BIBLIOTHECA

RERUM GERMANICARUM

EDIDIT

PHILIPPUS JAFFÉ

TOMUS TERTIUS

MONUMENTA MOGUNTINA

BEROLINI
APUD WEIDMANNOS
MDCCCLXVI

MONUMENTA

MOGUNTINA

EDIDIT

PHILIPPUS JAFFÉ

BEROLINI
APUD WEIDMANNOS
MDCCCLXVI

WILHELMO WATTENBACH

PROOEMIUM.

Statuentem me Bonifatii Lullique epistolas una cum reliquis fere omnibus monumentis ad ecclesiasticum Germaniae caput spectantibus huic tertio volumini mandare quamvis minime fugerit, rerum gravitati maxime ob subsidiorum adhibendorum et multitudinem et dissipationem responsuras esse laboris difficultates, tamen florentissima hoc tempore universarum paene bibliothecarum liberalitate confisus sum. Neque spem meam, qui publicis librorum copiis praesunt, excepta una asperitate obscura, fefellerunt. Non enim modo in duobus annorum 1863 et 1865 itineribus ad divitias bibliothecarum Bruxellensis, S. Crucis prope Vindobonam, Francofurtensis, S. Galli, Monacensis, Pommersfeldensis aditum facillimum habui, verum etiam, qui libri manu scripti longiorem requirebant tractationem, eos in museo meo Berolinensi expeditissime legere licuit. Nam benigno summorum regni nostri administrorum interventu pretiosi libri bibliothecarum Caesareae Vindobonensis et Carlsruhensis apportati sunt, et praeterea quoque viri humanissimi mittendis

codicibus magnopere me adiuvabant. Largiebantur autem Ludovicus Bethmann ex bibliotheca Guelferbytana, Carolus Halm ex regia Monacensi, Holzer praepositus Trevirensis ex bibliotheca capituli, I. G. Kohl ex Bremensi, Antonius Ruland ex Wirziburgensi, C. Schoemann ex bibliotheca urbis Trevirensis. Opitulabantur mihi gratissime etiam alii sive consiliis optimis dandis sive conferendis codicibus, Mauritius Haupt, Leopoldus Delisle, Augustus de Druffel, Ernestus Dümmler, Carolus Müllenhoff, Wilhelmus Scherer. Hinc nimirum fiebat, ut susceptum opus non nimis longo tempore absolveretur.

Berolini 3 Idus Apriles 1866.

INDEX.

MONUMENTA MOGUNTINA

CATALOGI EPISCOPORUM MOGUNTINORUM.

Tres catalogi sunt adhuc in codicibus manu scriptis reperti, quibus et episcoporum Moguntinorum, quos ante Bonifatium fuisse ferebant, et archiepiscoporum eiusdem ecclesiae nomina comprehenduntur. Eorum antiquissimum, in codice Zwetlensi 77 membr. saec. XIII Othlonianae Bonifatii vitae adiunctum, edidit Wattenbach in Archiv für ältere deutsche Geschichtskunde X 608 et repetiit Böhmerus Font. III p. XXXIII n. 1. Qui catalogus cum excurrat in Sifrido archiepiscopo (1060—1084), ad ipsius Othloni tempus pertinet ideoque est fortasse in monasterio Fuldensi conscriptus. Sed id quoniam pro explorato non habebam, catalogum hunc ex loco, ubi inventus est, Zwetlensem nominandum duxi. Alterum indicem ex fol. 1 codicis quondam S. Petri Erfurtensis, hodie Pommersfeldensis 2675 membr. saec. XII a Böhmero l. l. p. 139 vulgatum, indidem descripsi, hoc anno cum Pommersfeldae essem. Cuius aetatem significat prima manus, in nomine Arnoldi archiepiscopi (1153—1160) scribere cessans. Tertius catalogus, cuius excerpta tantum prodierunt apud Böhmerum l. l., in regio tabulario Monacensi nuper a me desumptus est ex primis tribus tomis „Registri litterarum ecclesiae Maguntinae“ membranaceis. Et primus quidem registri tomus in fol. 12 continet seriem una manu saec. XIII ad Werherum (1259—1284) adductam et longius aliis manibus contextam. Iidemque fasti repetiti sunt in secundo registri tomo fol. 13 manu saec. XIV et in tertio fol. 6 manu saec. XV, in utroque allatis accessionibus, quarum quae sit ratio, ex editione nostra facile intelligitur. Reieci men-

dacem catalogum, a Tritthemio in Vita S. Maximi (ap. Surium De probatis sanctorum historiis VI 408) fabricatum fictoque auctori Megenfrido Fuldensi saeculi X monacho assignatum, quem Böhmerus l. l. p. 137 iterum describendum curavit.

Berolini 12 Kal. Novembres 1865.

I. CATALOGUS ZWETLENSIS.

Isti sunt episcopi Mogontiacenses: Sophronius, Marinus, Bothadus, Ruthadus, Aureus, Maximus, Sidonius, Sigimundus, Liutgasius, Bezelinus, Lantwaldus, Laboaldus, Rigobertus, Geroldus, Gewilieb.

Bonifacius archiepiscopus, Lullus, Rihholf, Haistolf, Otker, Rabanus, Karolus, Liutbraht, Sundrolt, Hatto, Heriger, Hildibrant, Friderih, Willehalmus, Hatto, Ruotpreht, Willigis, Erchanbolt, Aribo, Bardo, L(iu)polt, Sifridus[1].

II. CATALOGUS ERFURTENSIS.

Hi sunt pontifices Mogontinae sedis, antequam archiepiscopatus inibi esset: Crescens, Marinus, Suffronius, Podardus, Rutharius, Aureus, Maximus, Sydonius, Sigemundus, Leodegarius, Becelin, Lanuwaldus, Laboaldus, Rigibertus, Geroldus, Gewiliob.

Anno ab incarnatione Domini septingentesimo quinquagesimo quinto sanctus Bonifacius obiit.

Sanctus Lullus, Richolfus, Haistolfus, Otgarius, Rabanus, Karlus, Liutbertus, Sunderolt occisus, Hatto, Hereger, Hiltibertus, Fridericus, Willehalmus, Hatto, Ruopertus, Willegis, Erkenbaldus, Arbo, Bardo, Lupoldus, Sigefridus, Wecil, Ruothardus, Adelbertus, Adelbertus iunior, Marcolfus, vicesimus octavus Heinricus depositus, Arnoldus[a]. Cuonradus, Sigefridus, Gerhardus, Heinricus, Wernherus, Heinricus frater, Gerhardus.

a. *huc usque scripsit una manus s. XII. Quae sequuntur nomina, ea variis manibus addita sunt.*

1. qui obiit anno 1084.

III. CATALOGUS MOGUNTINUS.

NOMINA EPISCOPORUM.

Crescens episcopus, Marinus episcopus, Suftronius episcopus, Bodardus episcopus, Ruodharius episcopus, Aureus episcopus, Maximus episcopus, Sidonius episcopus, Sigimundus episcopus, Leudegasius episcopus, Pecelinus episcopus, Lantivaldus episcopus, Laboaldus episcopus, Rigibertus episcopus[a], Geroldus episcopus, Gewiliob episcopus.

NOMINA ARCHIEPISCOPORUM.

Bonifatius archiepiscopus sedit annos 36, obiit 755.

Lul archiepiscopus sedit annos 22, obiit 786.

Richolfus archiepiscopus sedit annos 26, obiit 813.

Haistolfus archiepiscopus sedit annos 12, obiit 826.

Otgarius archiepiscopus sedit annos 22, obiit 847.

Rabanus archiepiscopus sedit annos 9, obiit 856.

Carolus archiepiscopus sedit annos 8, obiit 868.

Liutberdus archiepiscopus sedit annos 26, obiit 890.

Sunderoldus archiepiscopus sedit annos 3, obiit 891.

Hatho archiepiscopus sedit annos 22, menses 8; obiit 912.

Heriger archiepiscopus sedit annos 14, menses 6; obiit 924.

Hildeberdus archiepiscopus sedit annos 9, menses 5; obiit 938.

Fridericus archiepiscopus sedit annos 17, menses 3 et ebdomadas 2 et dies duos; obiit 954.

Willihelmus archiepiscopus sedit annos 13, ebdomadas 9, dies 4; obiit 968. [Iste[b] fuit filius Friderici[1].]

Hatho archiepiscopus sedit annum unum, ebdomadas 8; obiit 974. [Iste[c] fuit abbas Fuldensis.]

Ruoberdus archiepiscopus sedit annos 4, menses 10; obiit 988.

Willigisus archiepiscopus sedit annos 35, menses 6, dies 6; obiit 1011.

a. *manus s. XV addidit haec:* Iste fuit avunculus beate Bilhildis. *Cf. Vitam S. Bilihildis (ap. Gropp Coll. scriptorum Wirceburg. I p.* 771), *ubi sic est:* Sygiberto avunculo suo eiusdem civitatis (Moguntinae) archiepiscopo. b. Iste — Friderici *addidit alia manus s. XIII.* c. Iste — Fuldensis *addidit alia manus s. XIII.*

1. immo Ottonis I imperatoris.

Erkenboldus archiepiscopus sedit annos 10, menses 4, dies 17; obiit 1020.

Aribo archiepiscopus sedit annos 9, menses 6, dies 5; obiit 1031.

Bardo archiepiscopus sedit annos 10, menses 11 et ebdomadas 2 et dies 3; obiit 1051.

Liubaldus archiepiscopus obiit 1058.

Sigefridus archiepiscopus obiit 1084.

Wezelinus archiepiscopus obiit 1088.

Ruthardus archiepiscopus obiit 1108.

Adelbertus archiepiscopus obiit 1137.

Albertus iunior archiepiscopus obiit 1141, 12 Kal. Augusti.

Marcolfus archiepiscopus obiit 1142, Idus Iulii.

Heinricus archiepiscopus obiit 1153.

Arnoldus archiepiscopus obiit 1160, 8 Kal. Iulii.

Cunradus archiepiscopus obiit 1200.

Cristianus archiepiscopus obiit 1183.

Sifridus archiepiscopus obiit 1225, Idus Septembris.

Sifridus archiepiscopus obiit 1248, 7 Idus Marcii. Iste consecravit ecclesiam Maguntinam anno Domini 1239.

Cristianus archiepiscopus obiit 1251.

Gerhardus archiepiscopus obiit 1259.

Werherus[a] archiepiscopus sedit annos 24, menses sex; obiit 1284.

Henricus archiepiscopus obiit anno Domini 1288, 15 Kal. Aprilis et sedit annum unum et septimanas quadraginta et quinque cum diebus 5.

ex Registri T. I

Anno Domini 1305 in crastino beati Mathie obiit Gerhardus archiepiscopus Maguntinus.

Petrus natione de Treveris archiepiscopus Moguntinus sedit annos 14 et menses quinque. Qui rexit ecclesiam honeste, multiplici ornatu eam decorando. Obiit autem anno Domini 1320, pridie Nonas Iunii.

ex Registri T. II

Gerhardus archiepiscopus sedit annos 16, obiit 1305.

Anno Domini 1320 obiit Petrus archiepiscopus in die Bonifacii. Qui sedit annos 13, menses 3 et dies quatuor.

a. *huc usque scripsit una manus saec. XIII. Caetera variis manibus posita sunt.*

Mathias de Bucheck archiepiscopus Moguntinus sedit annos septem; obiit anno Domini 1328, 4 Idus Septembris.

---

ex Registri T. III

Henricus nacione de Verneborg archiepiscopus. Hic acquisivit ecclesie medietatem opidi et castri Zalcza; et subsequenti tempore depositus per Clementem sextum.

Gerlacus nacione comitum de Nassaw. Hic conquisivit ecclesie castrum Schurberg, opida Solme et Nydenow nec non et castrum Herboldesheim. Obiit anno Domini 13..

Iohannes archiepiscopus nacione Gallicus de genere comitum Sancti Pauli. Hic fuit homo caste vite, clerum dilexit, et amator fuit pacis et tranquilitatis. Sedit annum cum dimidio. Obiit anno Domini 13..

Venerabilis Adolffus archiepiscopus nacione Renensis, de genere comitum de Nassaw propagatus, pronepos Adolffi regis Romanorum, illustris homo, prudens et strennuus. Hic ecclesie conquesivit Rodinberg, Milsungen et Nydensteyn. Hic eciam lantgravium terre Hassie nomine Hermannum[1] strennuitate sua cohartavit, quod marschalcatum et alia feuda, que tenet ab ecclesia Maguntina, ab eo recepit in feudum, quotque idem lantgravius pro dampnis et expensis, que et quas idem Adolffus proinde sustinuit, ecclesie Maguntine castra et opida Grevensteyn, Wolffhagen et Immenhusen pro ... milibus florenorum obligavit. Idem eciam castrum et opidum Winsperg conquesivit. Hic clerum dilexit et protexit. Et vita functus est anno Domini

Mathias comes de Bucheck sedit annos septem; obiit (anno) Domini 1328, quarto Ydus Septembris.

Heinricus de Viernburg successit praedicto, et privatus fuit per Clementem papam sextum.

Gerlacus a Nassaw obiit anno Domini 1371, 12 Februarii.

Iohannes archiepiscopus sedit annum et medium; obiit anno Domini 1372.

Adolffus a Nassaw archiepiscopus obiit anno Domini 1389.

1. II.

millesimo trecentesimo octuagesimo nono in opido Heilgenstad; cuius anima requiescat in pace.

Conradus nacione Swevus de genere baronum de Winsperg Maguntinus archiepiscopus; qui obiit anno Domini 1396 die decima nona mensis Octobris.

Conradus de Weinsperg obiit anno Domini 1396 die 19 mensis Octobris.

Iohannes archiepiscopus de genere comitum de Nassau, homo in statura parvus, animosus et strennuus. Castrum Hoist apud Mogenum et opidum construxit, theolonium ibidem ecclesie Maguntinae acquisivit etc. Obiit anno Domini 1419 die vero 23 mensis Septembris.

Iohannes de Nassaw archiepiscopus obiit anno Domini 1419 die 23 mensis Septembris.

Conradus archiepiscopus de genere comitum Silvestrium et Ryngraven etc., homo illitteratus, in temporalibus vero providus et industriosus. Castrum et opidum Steynheim prope Mogenum cum suis attinentiis ecclesie Maguntine acquisivit. Eandem tamen ecclesiam propter diversa dampna, que passus fuit ab Hermanno lantgravio Hassie et expensas alias, quas in negociis ipsius ecclesie pertulit atque fecit, in magnis debitis reliquit. Et obiit anno Domini 1434 die undecima mensis Iunii, clero Maguntino extra civitatem Maguntinam residente et contra cives Maguntinos in concilio universali Basiliensi litigante.

Conradus de Duna comes Reni archiepiscopus obiit anno Domini 1434 die 11 mensis Iunii.

Theodericus archiepiscopus de genere baronum pincernarum de Erppach obiit anno Domini 1459 die sexto mensis May. Fuit homo illitteratus singularis inutilis ymmo epicurus, per suam sumptuositatem et negligentiam ecclesiam Maguntinam in multis dampnificans ac in magnis debitis relinquens etc.

Dietherus de Isenburg et Budingen, de baronum genere procreatus. Hunc papa Pius secundus anno 1461 privavit, domino Adolpho comiti de Nassau de ecclesia providens. Propter quod magna gwerra in diocesi facta est, quare dominus Fridericus

palentinus Reni, adherendo domino Diethero predicto, castrum Starkenberg cum opidis Bensheym et Heppenheym obtinuit; domini vero marchio Badensis[1] Wirtenberg[2] et episcopus Methensis[3] propter adesionem domini Adolphi per dominos palentinum et Dietherum ante Heidelbergam personaliter in campis capti sunt[4] et carceribus in Heidelberga mancipati. Propter quorum captivitatem et relevationem indempnitatis ecclesia multa dampna sustinuit. Verum et de anno Domini 1462 in die sanctorum 1462
Simonis et Iude apostolorum civitas Maguntina per adherentes Oct. 28
domino Adolpho capta fuit. Qua re dominus Adolphus possessionem ecclesie Maguntine obtinuit et archiepiscopus consecratus fuit; dominus autem Dietherus castra Hoist Steynheym et Diepurg de consensu patrum in vim compositionis ad vitam sibi reservavit.

1. Carolus. 2. Ulricus V comes Wirtenbergensis. 3. Georgius I. 4. d. 30 Iunii a. 1462. V. Stälin Wirtemberg. Geschichte III 537.

S. BONIFATII ET LULLI EPISTOLAE.

Felici casu factum est, ut Bonifatii Lullique episcoporum epistolae in tribus suppeditent saeculi X codicibus, pro communi temporis voracitate admodum vetustis aptissimisque ad veram monumentorum pretiosorum rationem et cognoscendam et proponendam.

Reperimus enim in eisdem codicibus satis signi, primitus duas epistolarum collectiones esse factas, minorem et maiorem. In minore libello eodemque veteriore circiter quadraginta duo capita et ea quidem prorsus fere ad curiam Romanam omninoque ad unius Bonifatii causam spectantia inerant[1]; compertumque habemus, postea cum ambo opera coniungerentur, in exordio eundem libellum minorem collocatum esse. Unus namque de tribus codicibus[2], quem illa capita deficiunt cuiusque prima epistola est infra a me numero 9 signata, scribi coeptus est verbis his: „Incipit epistola beati Bonifacii ad Nithardum", eademque verba: „Incipit epistola" cet. in reliquis duobus codicibus reperiuntur ante eandem epistolam, licet quadraginta duo capita praecesserint; facile ut intelligas, evidenti huic vestigio inchoatae maioris epistolarum copiae ab eo, qui eandem cum minore libello coagmentavit, quam caute parsum sit.

1. Quarum epistolarum, nostris numeris signatarum, ordo hic fere fuit: 17, 12, 20, 26, 22, 28, 18, 19, 25, 27, 35, 36, 37, 38, 42, 45, 44, 58, 50, 67, 52, 51, 63, 66, 79, 80, 81, 82, 68, 43, 49, 48, 83, 69, 78, 53, 54, et quae etiam in maiore collectione fuerunt, neque vero in limine eiusdem congregatae sed sparsim ceteris epistolis admistae: 106, 107, 11, 24, 47. 2. Vindobonensis, de quo v. infra.

Maior epistolarum acervus, quamquam non prorsus aequabilis numero ordineque capitum est in tribus codicibus, cum per partes tamen par digestio in eisdem inveniatur eaedemque litterae plerumque aut eodem lemmate praeditae sint aut lemma omnino non habeant, istas trium codicum epistolas non latet in una et eadem principali collectione maiore plus minusve versari. Et his quidem monumentis tempore Bonifatii et Lulli conscriptis antiquiora quaedam inserta sunt, in primis nonnulla Aldhelmi abbatis Malmesburiensis posteaque episcopi Sciréburnensis epistolae cum carminibus. Quae quo pacto in Germaniae tutelam pervenerint, ex epistola 76 animadverti potest, qua Lullus a Dealwino magistro petiit, ut „Aldhelmi aliqua opuscula, seu prosarum seu metrorum aut rithmicorum, dirigere dignaretur ad consolationem peregrinationis suae".

Ipsorum autem codicum manu scriptorum ratio haec est:

(M) Codex latinus Monacensis 8112 (Mag. 12) foliorum 128, forma quadrata maiore, membranaceus saec. X, tenet capita 82, in quorum dimidia priore minor epistolarum copia fere tota inest. Servabatur exeunte saec. XV in bibliotheca ecclesiae Moguntinae, ut planum fit ex folii 1 inscriptione hac: „Iste liber pertinet ad librariam sancti Martini ecclesiae Maguntinensis. M. sindicus sst 1479". Eodemque loci vidit codicem anno 1786 Philippus Gercken[1] et anno 1789 Stephanus Alexander Würdtwein, epistolas Bonifatii recognoscens. Illatus postea est regiae bibliothecae Monacensi, cuius praefectus Carolus Halm, ut ex puro hoc fonte haurirem Berolini, concessit humanissime. — Ex eodem codice descriptus est anno 1497 codex quondam Ingolstadiensis, hodie item Monacensis lat. 830, chartaceus, forma maxima[2].

1. Reisen T. III 37, ubi codex perperam saeculo XI attribuitur hoc modo: „Epistolae S. Bonifacii, cod. membr. in 4to saec. XI. Cod. optime conservatus et elegans". 2. in ultimo eius folio leguntur haec: „Conplevi hoc opus epistolarum sanctissimi martyris Bonifacii, primi Moguntiacensis ecclesie archipraesulis, et nonnullorum aliorum ego frater Franciscus Hofyrer de Kerneczenheym, pro tunc novicius, iussu reverendissimi patris et scripturarum studiosissimi cultoris Ioannis Tritemii abbatis secundi

(C) Monacensi, quondam Moguntino, codici finitimus est codex olim Hirsaugiensis[1] *hodie* *Carlsruhensis*, *ita signatus: „Durlacher cod. n. 94", membranaceus, forma octonaria, ex foliis 116 compositus, in fronte mancus*[2]. *Ibi item primum collocata sunt minoris collectionis, exordio carentis, capita 35; sequuntur capita 53 copiae maioris*[3]. *Quae omnia una manu saeculi X exarata sunt, aliaque manu quoquoversus castigata. At hae emendationes, non e meliore operis exemplo translatae sed ab ipso correctore concoctae, quantam lectoris abstinentiam requirant, duobus testimoniis satis ostendetur. In epistola enim 66 posuit Zacharias papa: „Sicut scriptum est: Sapientia, qui docet fatuum, quasi qui conglutinat testa". Hunc locum corrector cum non intelligeret, ita mutare ausus est: „Sicut scriptum est in libro sapientiae: Qui docet" cet. Neque vero liber Sapientiae haec verba habet, sed in Ecclesiastici cap. 22, 6 legimus haec: „flagella et doctrina in omni tempore sapientia", quam ipsam vocem sapientia sequitur v. 7: „Qui docet fatuum, quasi qui conglutinat testam". Non multo mitius laesit ipse emendator auctoritatem suam in epistola 71, quam quidem scripsit „Aelbwaldus aestanglorum regia potestate fretus". Ita enim in eo, quem tangam inferius, codice legitur. Sed haec cum in Carlsruhensi codice (quemadmodum etiam inveniuntur in Monacensi) sic posita essent: „Elbwaldus est anglorum regia potestate fretus", igno-*

de reformatione Bursfeldensi, anno salutis 1497, 16 Kal. Septembrias. Ora lector devote pro utriusque salute". In primo folio, hunc codicem antea Ingolstadii fuisse, definite scriptum est.

1. Etenim manus exeuntis saec. XI in eius folio 116 scripsit ita: „Anno millesimo noagesimo secundo, 9 Kal. Aprilis transmigravimus de Sancto Aurelio huc", sc. in maius monasterium, sub Wilhelmo abbate Hirsaugiensi constructum. V. Codex Hirsaugiensis, Stuttgartiae 1843 p. 6: „Congregatio de Sancto Aurelio ad maius monasterium transmigravit anno 1092". 2. Primi enim quaternionis non remansit nisi folium quartum (notatum numero 2) secundique quaternionis folium primum et octavum sublata sunt. Praeterea interciderunt folia singula inter codicis fol. 103 et 104 atque inter folia 110 et 111. 3. in extremo codice (fol. 111—115) reperiuntur epistolae quatuor ad saeculum X pertinentes eaeque manu saec. XI additae. De quibus vide infra Epistolas Moguntinas.


ratione Estanglorum sive Orientalium Anglorum illectus, corrector depravavit locum hoc modo: „Elbwaldus, qui est anglorum regia potestate fretus". Nihilosecius isto codice, quem liberaliter huc missum scrutari licebat, gravis materia ad horum monumentorum cognitionem allata est, inter alia etiam Zachariae papae epistola antehac non vulgata[1].

(V) Tertius deinde codex, cuius item hoc loco evolvendi mihi erat pergrata potestas, est Caesareae bibliothecae Vindobonensis 751 (Theol. 259), forma maiore, membranaceus, ex quatuor codicibus compositus. Quarum partium prima (fol. 1—77)[2] *continentur capita 117. Ex his sunt quinque tantummodo extremae minori epistolarum collectioni annumeranda; quae vero quoniam et dissociata et ceteris capitibus interserta sunt*[3]*, minus corpus epistolare deesse huic codici patet. Praeterea comparet (fol. 46—47) una epistola omnino peregrina, quam die 28 Febr. a. 605 scripsit Isidorus Hispalensis*[4]*; septem denique epistolae*

1. ep. 68. 2. Secunda pars codicis (fol. 78—128) tenet Actus apostolorum et epistolas Iacobi et Petri primam. In tertia parte (fol. 129—162) sunt „Interpretationes et expositiones vocabulorum sive locorum veteris et novi testamenti" cum glossis Teutonicis (fol. 132—135), quas edidit Graff Diutiska II 190; et pars „Notarum Vaticanarum", a Theodoro Mommsen propositarum ap. Keil Grammatici Latini III 307—309. Quarta pars (fol. 163—168) habet sermonem S. Augustini de ebrietate. In superiore folii 166v margine leguntur haec: „Anno dominicae incarnationis 871 indiccione 3, 15 Kal. Febr. Willibertus ad episcopum consecratus. Eodem anno mense Iulio, 7 Idus Iulii, fulminis ictus Col(oniae) prima feria" (cf. Dümmler Gesch. des ostfränkischen Reichs I 731 n. 45). Est in eodem folio formula quoque, quam indidem deprompsit Eugène de Rozière, Recueil général des formules I p. 124 (n. XCVII). Sequuntur fol. 167 canones, fol. 173 v „Brevis adnotatio capitulorum, in quibus constitutiones conciliorum Mogontiacense Remis et Cabillone et Turonis et Arelato gestorum concordant"; fol. 188 adiurationes, de quibus v. Müllenhoff und Scherer Denkmäler deutscher Poesie und Prosa p. 8 (IV 4. 5) et p. 267 (4 et 5). 3. V. supra p. 8 n. 1. 4. Haec epistola (fol. 46—47), quae sic incipit: „Veniente ad nos famulo", notata est ap. Serarium numero 72, ap. Würdtweinium n. 146, ap. Gilesium n. 136; legitur autem in Isidori opp. ed. Arevalus T. VI 563—565. — Eandem epistolam sequitur in cod. fol 47 fragmentum hoc (quod in editionibus superioribus cum nostro capite 150 conglutinatum est): „Interdum enim et iuxta meritum plebium eleguntur persone[a] electorum, unde noverunt[b] populi meriti sui regimen preversi

a. prosone *V.* b. noberunt *V.*

saeculo nono demum conformatae sunt[1]. *Reliqua capita 104 ad maiorem Bonifatianarum epistolarum collectionem pertinent; cuius igitur dimidiam fere partem uni huic codici pretiosissimo debemus. Haec omnia saeculo X scripta sunt, archetyporum Anglosaxonicorum vestigiis non omnino deletis. Quo in genere est verbi „autem" compendium huic scripturae peculiare*[a], *quod saepenumero apparet in codice neque quidquam negotii habet. Alia autem, quae ibidem reperitur, litterarum species paullo abstrusior est, propterea quod ad multiplex notarum secretiorum genus aperte spectat, quarum excogitatione usuque homines medii aevi maxime delectabantur, quaeque plerumque quidem non nimis spissam caliginem offundunt legenti, nonnunquam tamen inexsuperabiles salebras habent. Facilia intellectu haec sunt:*



a. *et istud quidem:* K.

susccpisse pontifices. Quod autem his qui[a] post baptismum aliquid mortali peccato corruptos ad sacerdocium non promoveatur, lex ipsa testatur. Moyses enim in lege precępit sacerdotibus, ne aliquod pecus viciatum offerant ad aram Dei, quod ipsud postea spernentibus sacerdotibus Israhel pro Malachiam inproperavit Deus dicens: „„Vos estis sacerdotes, qui polluistis nomen meum et dixistis: In quo polluimus eum? Offerentes super altare meum panem pollutum, et offerebatis[b] cecum et languidum"". Unde[c] et in Numeris[d] vitula rufa, cuius cinis expiatio populi est, non aliter iubetur offerri[e] ad altare Domini, nisi que terrena opera non fecerit[f] iugumque delicti[g] non traxerit nec vinculis peccatorum fuerit alligata[h]; sed quid plura subieciamus? Si enim his, qui, iam in episcopatu vel in presbiterio[i] positus, mortale peccatum aliquod admiserit, non debet offerre panes Domino, quanto magis ante unusquisque sciens, quod[k] potentes potenter tormenta patientur, retrahant se ab hoc non iam honore quam onere[l], et aliorum locum, qui digni sunt, non ambiant occupare. Qui enim in erudiendis[m] adque instituendis ad virtutem populis[n] preest[o], necesse est ut in omnibus sanctus sit et in nullo reprehensibilis habeatur. Qui enim aliquid de peccatis arguit, ipse a peccato debet esse alienus".

1. Eas invenies infra in Epistolis Moguntinis.

a. que *V.* b. offer abbatis *V.* c. une *V.* d. humeris *V.* e. offerre *V.* f. feci *V.* g. dilecti *V.* h. alligatus *V.* i. presbitero *V.* k. que *V.* l. non iam honore qua honore *V.* m. erudientis *V.* n. populus *V.* o. perit *V.*

Namque istae notae sic legendae sunt:

a. EPISTOLA . BEATI . BONIFATIEPISCŌ DANIELO . EPISCOPO . BON̄[1].

b. LUL[2] *c. CUNEBURGE*[3]. *d. BEILOC ET MAN*[4].

At duarum feminarum nomina, quae cognosci non potuerunt, in epistola 95 habentur infra.

Praeter istos tres codices, quorum duos ad coniunctas ambarum collectionum epistolas et tertiam ad solam maiorem copiam retulimus, fuerunt etiam et sunt libri manu scripti, quibus unius minoris libri capita tenentur.

Eiusmodi codex enim saeculo XI in Fuldensi monasterio exstabat, quo Othlonus, cum recoquendae antiquiori Bonifatii vitae daret operam[5], *ita usus est, ut ne ipsas epistolas quidem de suo novare desisteret. Attamen bene meruit, quod unam, quae huc spectat, epistolam aliunde non notam ab interitu detraxit*[6].

(R) Haud multo secus codex Vaticanus 1340 saec. XIII; qui fol. 346—356 iuramentum Bonifatii et pontificum Romanorum epistolas continet[7], *mutato aliquid ordine, quo eas in*

1. ep. 55; cod. Vindob. fol. 2 v. 2. ep. 76, cod. Vindob. fol. 4. 3. ep. 41, cod. Vind. fol. 4. Hoc nomen in cod. Carlsruhensi ita scriptum est: „Cuniburge“. 4. ep. 41, cod. Vindob. fol. 4 v. In codice Carlsruhensi legimus: „Begiloc et Man“. 5. Othlonus in vitam Bonifatii recepit „quas habebant Fuldenses“ (v. Othloni praefationem infra) epistolas tantummodo 26. Quae omnes e minore collectione manabant. Et repeTriuntur quidem, si eas numeris nostris signas, hoc ordine apud Othlonum: 12, 17, 21 (cf. not. 6 infra), 18, 19, 20, 26, 22, 28, 35, 36, 37, 38, 42, 43, 58, 50, 67, 52, 51, 63, 66, 79, 80, 81, 82; cf. supra p. 8 n. 1. — Iste codex, e quo Othlonus desumpsit, videtur idem fuisse, quem Nicolaus Serarius (Epistolae S. Bonifacii p. 286) queritur de monasterio Fuldensi „ab involante Harpyia immundissima, Illyrico, sublatum posteaque varie laceratum et conscissum“, cuiusque reliquias scribit in bibliotheca Helmstadiensi visas esse. Scimus autem, Matthiam Flacium Illyricum eiusque socios in perficienda Octava et Nona centuria ecclesiasticae historiae non solum minore epistolarum collectione usos esse, sed his etiam maioris copiae epistolis, quae in uno codice Vindobonensi (non Carlsruhensi, ut Dümmlero videbatur in Forschungen zur deutschen Geschichte V 371 n. 2) hodie inveniuntur. Itaque praeter Fuldensem codicem etiam alia subsidia illis praesto fuisse liquet. 6. ep. 21. 7. Codicem Vaticanum affir-

minore collectione inveniri supra retuli[1]. *Nec potest dubitari, quin ex eodem codice defluxerint epistolae 29, quas Antonius Carafa cardinalis, sedis apostolicae bibliothecarius, anno 1591 Romae in Epistolarum decretalium summorum pontificum tomo II p. 659—698 „ex ms. cod.“ foras dedit*[2]. *Quae editio Romana eam utilitatem attulit, ut mediocritas quidem codicis Vaticani exploratissima nobis sit, sed tamen, quidquid proprii habet*[3], *consulere possemus*[4].

mavit is, qui eum vidit, Pertzius (in Archiv für ältere deutsche Geschichtskunde V 338) similem esse codicis Veneti Latini 169 chartacei saec. XV, in quo (teste Zanettio, Latina et Italica D. Marci bibliotheca p. 94) epistolarum series haec invenitur: 17, 12, 18, 19, 20, 26, 22, 25, 35, 36, 37, 27, 44, 58, 67, 51, 80, 43, 106.

1. p. 8 n. 1. 2. ita ordinatus: 17, 12, 18, 19, 20, 26, 22, 25, 28, 35, 36, 37, 27, 38, 42, 43, 44, 58, 67, 51, 52, 49, 48, 63, 66, 79, 80, 81, 82. Cf. supra p. 8 n. 1. 3. V. ep. 82. 4. Fuerunt praeterea Romae codices duo, unde largitus est Baronius in Annalium ecclesiasticorum tomo IX (Romae 1600); qui quo discesserint, ignoramus. Alterum „vetustissimum sed nonnihil mendosum“ tum servabant in bibliotheca S. Mariae super Minervam (Baron. l. l. p. 11), ubi non iam reperitur (v. Archiv für ältere deutsche Gesch. V 337). Alter, „Antonii Augustini diligentia perpurgatus“, non videtur nisi prioris codicis apographum fuisse, ab A. Augustino ex coniectura correctum; singulas enim, quas Baronius affert, epistolas in utriusque codicis serie parem locum habuisse saepius significat. Is indidem integras epistolas 36 proposuit, neque omnino commemoravit plures quam 48. Modici autem hi libri ad maiorem epistolarum collectionem spectabant, ideo quod quascumque minoris collectionis litteras inducit Baronius, eas non ad istos codices sed aut ad Othloni vitam Bonifatii aut ad Carafae editionem definite refert. Attamen non erant consentanei codici Vindobonensi, quippe cuius epistolae peculiares a Baronii annalibus absint; nec participes erant correctionum codicis Carlsruhensis. Ceterum iactura duorum horum codicum omnino non nimis dolenda est; nihil enim praebuerunt singulare nisi interpolationes epistolae 59 (quae insuper etiam ap. Wilhelmum Malmesburiensem inveniuntur); tresque epistolae (53, 54, 83, ap. Baronium ad a. 745 et 751) inscriptionibus totis caruerunt. Et cum nusquam sciamus, veteremne codicem an Augustini coniecturas secutus sit Baronius, lectiones eius a codicibus nostris abeuntes nihil auctoritate valent. — Non laboravi de codice bibliothecae imp. Parisiensis 3859 A saec. XVI, epistolas 60 continente, quo Giles quantulum adiutus sit, ex eius editione apparet. Neque aut codicem Guelferbytanum saec. XVI (v. Archiv für ältere deutsche Gesch. VII 223) aut Pommersfeldensem item saec. XVI pervolutandum duxi.

Editiones istarum epistolarum, quas plenas esse volebant, tres eaeque sic paratae sunt, ut novissima quaeque proveniret pravissime.

Primum laborem satis bene peregit Nicolaus Serarius, hoc titulo usus: „Epistolae S. Bonifaci martyris" cet. Moguntiae 1605[1]. *Is principium sumpsit a codice Vindobonensi, cuius propositis capitibus, ex codice Ingolstadiensi imprimi ea iussit, quae deesse Vindobonensi vidit; sicque factum est, ut hac in editione maiorem epistolarum copiam (p. 1—162) sequatur collectio minor (p. 163—230). Quibus vero temporibus singulae epistolae scriptae essent, Serarius non curavit.*

Alteram editionem Moguntiae anno 1789 fecit Stephanus Alexander Würdtwein: „Epistolae S. Bonifacii archiepiscopi et martyris". Qui codicem tunc Moguntinum hodie Monacensem habuit nec recte adhibuit; codicis Carlsruhensis serius cogniti nonnullas tantum ad posterius tempus pertinentes epistolas protulit in appendice. Huius editio redundat lectionibus depravatis ordinemque capitum mirifice pervertit, ut nec tempus vere observetur nec codicum digestio.

Sita est in Würdtweinii editione editio Gilesii (Sancti Bonifacii operum vol. I, Londini 1844), omnium deterrima. Gilesius enim menda Würdtweiniana non sustulit sed auxit; immo singula monumenta cuius anni sint, cum ubique fere sit confidentissime adscriptum, editor ipse mirum quanta accuratione lectores praemonet, ut caveant appositos annorum numeros; propterea quod ista parerga commiserit calliditati typothetae[2].

Hanc editionem inprimis ad Monacensis (M) et Vindobo-

1. Editio Serariana repetita est in Novae bibliothecae veterum patrum (Parisiis 1639) T. II 48—121; cuius tomi exemplaribus non divenditis postea effectus est Magnae bibliothecae veterum Patrum (Parisiis 1654) tomus XVI. Eandem Serarii editionem reperis etiam in Maximae bibliothecae patrum (Lugduni 1677) T. XIII 70—140. 2. V. Opp. I „postscriptum" (post p. 308) et II 195. — Editionem Gilesianam renovavit Migne in Patrologiae tomo LXXXIX. — In Germanicum epistolas convertit singulari cura Ph. H. Külb, Sämmtliche Schriften des heiligen Bonifacius T. I, Regensburg 1859.

nensis (V) codicum auctoritatem revocavi[1]. *A codice Carlsruhensi (C) cautissime mutuatus sum memor, emendationes eius non veteriore in exemplo versari sed excogitatas esse. Nihil omnino transtuli varietatis lectionum ab Othlono factae, neque vero respui eam, quam is tradidit solus, epistolam 21. Consului etiam codicem Vaticanum in Romana Carafae editione repraesentatum (R); atque refeci nonnullas epistolas ex libris eorum, qui subsidiis postea amissis usi sunt, Wilhelmi Malmesburiensis de pontif. Angl. (v. ep. 3) ac de gestis regum Anglorum (v. ep. 59) et Spelmanni conciliis orbis Britannici (v. ep. 70). Quo omni apparatu collato id egi, ut haec litterarum monumenta germanae suae etiamsi crebro impolitae ac barbarae formae redderem.*

Utilissimum vero necessariumque cum videretur omnem epistolarum silvam, quantumcunque fieri posset, ad temporum ordinem digerere, his ex deliberationibus unum praecipue manabat correctionum genus; quo quidem chronicae epistolarum pontificiarum notae attinguntur. Etenim in papalibus aetatis illius litteris solebat significari, quoto anno imperii ab imperatore gesti datae essent, quoto anno post consulatum eiusdem, qua indictione (nimirum Graeca, a die 1 m. Septembris ad diem 31 m. Augusti patente). Ac diversis eiusmodi monumentis inter se comparandis facile intelligimus, scribas pontificios tunc usos esse formula hac: „Imperante domno piissimo augusto ... a Deo coronato magno imperatore anno ..., post consulatum eius anno ..., indictione ...“; et si imperator filium collegam imperii fecerat, hac formula: „Imperante domno piissimo augusto ... a Deo coronato magno imperatore anno ..., post consulatum eius anno ..., sed et ... magno imperatore eius filio anno ..., indictione ...“. Sed librarii codicum (Monacensis et

1. Neque vero ubique afferendam duxi leviorem lectionum varietatem, cuiusmodi est: „aecclesia, aeclesia, ecclesia, eclesia; celebrare, caelebrare; verumtamen, veruntamen; quatenus, quatinus; recuses, recusses“ cet.

Carlsruhensis) in his formulis saepissime peccaverunt, non tantum omittendis locis singulis, quos videlicet nullo negotio supplevi, verum etiam verbis his: „post consulatum“ vehementer corrumpendis. Tantummodo quater posuerunt recte: „post consulatum“, semel in iuramento Bonifatii (cap. 17) terque in actis synodi Romanae (cap. 50), ut intelligi necesse sit, haec verba in archetypis litterate perscripta fuisse. Verum cetera monumenta sedecim, in quibus exstant illae temporis notae, depravata lectione laborant. Codex Monacensis enim pro post consulatum in quinque epistolis[1] praebet: pater, in duabus[2]: pat̄; et in eisdem codicis Carlsruhensis epistolis septies reperimus, ibidem locorum, iis quae primitus erant scripta verbis deletis, liturae superpositum esse: imperii. Nihil porro in utroque codice habet una epistola[3] nisi: p̄; neque quidquam alia[4] in codice Carlsruhensi nisi: p. Reliquae septem epistolae[5] exhibent: imperii, modo in litura modo in integra membrana. Dilucide autem arbitror apparere, in principalibus epistolarum pontificiarum exemplis non infuisse huiusmodi: „Imperante — imperatore anno 6, imperii eius anno 6“. Itaque cum hoc ipsum imperii sit fictum perspicue, ex simplicioribus perlucidisque corruptelis istis: pater, pat̄, p̄, p manifestum est, librarios, cum istud archetyporum compendium p̄c̄ (i. e. post consulatum) non percepissent, nunc falso legisse p̄r̄ (i. e. pater), nunc mutilavisse notam, nunc in arte coniecturali misere versatos esse. Atque ita omnibus his locis „post consulatum“ reddidi.

Anni post consulatum quo modo illa aetate computari soliti sint, docet Pagius in Dissertatione hypatica Lugduni 1682 p. 349 squ. Etenim ex tempore Constantini III Pogonati (668—685) hoc more utebantur: ut, cui imperatori singularis dominatus obtigit, is ab ipso regnandi initio inciperet et annos imperii sui et „post consulatum“ suum annos numerare; filius autem, in societatem dominationis assumptus, non haberet vi-

1. epp. 18, 43, 49, 66, 80. 2. epp. 19, 25. 3. ep. 48. 4. ep. 51. 5. epp. 12, 38, 44, 45, 58, 63, 81.

vente patre nisi imperii sui annos, sed patre mortuo eorundem annorum computationem iam antea coeptam continuaret, at post consulatum suum annos demum a patris obitu duceret. Idcirco, qui solus imperare orsus est, eius erant semper quot imperii totidem post consulatum anni; quem vero pater socium regni fecerat, is, singularem potentiam nactus, minus annorum post consulatum suum quam imperii sui annos ageret oportuit.

Fuit igitur, cum Bonifatius procederet, imperator Leo III Isaurus, qui, die 25 Martii 717 principatum adeptus, filium suum Constantinum IV Copronymum die 31 Martii 720 collegam potestatis sibi adiunxit et die 18 Iunii 741 mortuus est. Exinde Constantinus cum imperare coepisset solus, ei post diem 27 Iunii 741 oppositus imperator est Artabasdus, qui filium Nicephorum imperii socium fecit anno 743 ante diem 1 Maii. Quorum aemulorum utrumque Constantinus m. Novembri eiusdem anni 743 oculis privatum in exsilium expulit. Unde facillime accipi potest, quid notarum chronicarum a scribis pontificiis tum adhibitarum spatio annorum 717 et 751[1] *singulis Christi annis obvenerit. Cuius rei conspectum tenet haec tabella:*

	LEONIS et imp. et post cons. anni	CONSTANTINI filii imp. anni	INDICTIO
717	I 25 Mart. — 31 Dec.		XV — 1 Sept. — I
718	I — 25 Mart. — II		I — 1 Sept. — II
719	II — 25 Mart. — III		II — 1 Sept. — III
720	III — 25 Mart. — IV	I 31 Mart. — 31 Dec.	III — 1 Sept. — IV
721	IV — 25 Mart. — V	I — 31 Mart. — II	IV — 1 Sept. — V
722	V — 25 Mart. — VI	II — 31 Mart. — III	V — 1 Sept. — VI
723	VI — 25 Mart. — VII	III — 31 Mart. — IV	VI — 1 Sept. — VII
724	VII — 25 Mart. — VIII	IV — 31 Mart. — V	VII — 1 Sept. — VIII
725	VIII — 25 Mart. — IX	V — 31 Mart. — VI	VIII — 1 Sept. — IX
726	IX — 25 Mart. — X	VI — 31 Mart. — VII	IX — 1 Sept. — X
727	X — 25 Mart. — XI	VII — 31 Mart. — VIII	X — 1 Sept. — XI
728	XI — 25 Mart. — XII	VIII — 31 Mart. — IX	XI — 1 Sept. — XII
729	XII — 25 Mart. — XIII	IX — 31 Mart. — X	XII — 1 Sept. — XIII
730	XIII — 25 Mart. — XIV	X — 31 Mart. — XI	XIII — 1 Sept. — XIV
731	XIV — 25 Mart. — XV	XI — 31 Mart. — XII	XIV — 1 Sept. — XV
732	XV — 25 Mart. — XVI	XII — 31 Mart. — XIII	XV — 1 Sept. — I
733	XVI — 25 Mart. — XVII	XIII — 31 Mart. — XIV	I — 1 Sept. — II
734	XVII — 25 Mart. — XVIII	XIV — 31 Mart. — XV	II — 1 Sept. — III

1. ad hos enim annos pertinent eae, quae in Bonifatianis monumentis reperiuntur, epistolae papales.

	LEONIS et imperii et post cons. anni	CONSTANTINI filii imp. anni	INDICTIO
735	XVIII — 25 Mart. — XIX	XV — 31 Mart. — XVI	III — 1 Sept. — IV
736	XIX — 25 Mart. — XX	XVI — 31 Mart. — XVII	IV — 1 Sept. — V
737	XX — 25 Mart. — XXI	XVII — 31 Mart. — XVIII	V — 1 Sept. — VI
738	XXI — 25 Mart. — XXII	XVIII — 31 Mart. — XIX	VI — 1 Sept. — VII
739	XXII — 25 Mart. — XXIII	XIX — 31 Mart. — XX	VII — 1 Sept. — VIII
740	XXIII — 25 Mart. — XXIV	XX — 31 Mart. — XXI	VIII — 1 Sept. — IX
741	XXIV — 25 Mart. — XXV (+ 18 Iun.)	XXI — 31 Mart. — XXII (— 18 Iun.)	IX — 1 Sept. — X

	CONSTANTINI imp. anni	post cons. anni	INDICTIO
741	XXII 18 Iuni. — 31 Dec.	I 18 Iunii — 31 Dec.	IX — 1 Sept. — X
742	XXII — 31 Mart. — XXIII	I — 18 Iun. — II	X — 1 Sept. — XI
743	XXIII — 31 Mart. — XXIV	II — 18 Iun. — III	XI — 1 Sept. — XII
744	XXIV — 31 Mart. — XXV	III — 18 Iun. — IV	XII — 1 Sept. — XIII
745	XXV — 31 Mart. — XXVI	IV — 18 Iun. — V	XIII — 1 Sept. — XIV
746	XXVI — 31 Mart. — XXVII	V — 18 Iun. — VI	XIV — 1 Sept. — XV
747	XXVII — 31 Mart. — XXVIII	VI — 18 Iun. — VII	XV — 1 Sept. — I
748	XXVIII — 31 Mart. — XXIX	VII — 18 Iun. — VIII	I — 1 Sept. — II
749	XXIX — 31 Mart. — XXX	VIII — 18 Iun. — IX	II — 1 Sept. — III
750	XXX — 31 Mart. — XXXI	IX — 18 Inn. — X	III — 1 Sept. — IV
751	XXXI — 31 Mart. — XXXII	X — 18 Iun. — XI	IV — 1 Sept. — V

	ARTABASDI et imp. et post cons. anni	NICEPHORI filii imp. anni	INDICTIO
741	I post 27 Iunii — 31 Dec.		IX — 1 Sept. — X
742	I — post 27 Iun. — II		X — 1 Sept. — XI
743	II — post 27 Iun. — III	I ante 1 Mai. — 31 Dec.	XI — 1 Sept. — XII
744	(III — post 27 Iun. — IV)	(I — ante 1 Mai. — II)	XII — 1 Sept. — XIII

Varia illa temporis indicia si in singulis litteris semper concinerent, profecto nihil esset dubitationis, quem ad Christi annum referendae sint. At vero saepe optabilis hic consensus frustra quaeritur. Ergo, cum inter se numeri discreparent, viri docti sic fere agebant, ut notas chronicas quasi suffragium ferre iuberent, quique Christi annus maiore earum parte significabatur, huic epistolam attribuerent. Quo nihil est et incertius et vitiosius, propterea quod plane perspicuum est, ad circumscribenda tempora non omnes illos numeros eadem gravitate praeditos esse.

Nam, verum si quaerimus, in his epistolis duo tantum insunt signorum temporalium genera, quorum quidem alterum, ad solos imperatores tendens, et imperii et post consulatum et filii

imperantis annos complectitur. Et cuncta ista indicia, inter se cohaerescentia, palam fit non tam temporis significandi causa in paparum epistolis posita esse, quam ob reverentiam imperatoribus legitime[1] *praestandam. Haec pars clausulae chronologicae quantopere superflua et molesta semper curiae pontificiae visa sit, argumenta non desunt. Compertum enim habemus, imperatorum annos etiam a Gregorio I epistolis suis ascribi solitos esse*[2]*, neque tamen aut registrum eius secundum istos annos est in partes distributum aut omnino ullum eorundem vestigium in eo collocatum est. Quae est praeterea eius rei maior confirmatio, quam, cum usus ille medio saeculo XI evanuisset, Paschalem II papam mense Aprili anni 1111, vixdum scilicet e carcere Heinrici V productum, Romae praesente ipso imperatore, eiusdem imperii annum primum paucis tabulis addidisse*[3] *nec postea renovatum morem conservasse? Neque odiosa solum et supervacanea domui papali videbantur haec signa imperialia, erant etiam propter vicissitudines imperiorum inconstantissima, atque ob ipsam suam multitudinem vitiis scribentium admodum patebant.*

Alterum designationis temporalis genus sola indictione continetur, quae cum aliunde non penderet sed cursus suos semper uno atque eodem modo repeteret firmissime, ceteris rationibus plurimum auctoritate praestat. Neque ignoramus, eam pontificibus Romanis adeo acceptam fuisse, ut id, in cuius mentionem iam supra incurri, registrum Gregorii I per ipsas indictiones digereretur. Ex quo perspicuum est, cum praesertim imperatores solum honoris gratia memoratos esse viderimus, papalium temporis illius litterarum veram ac propriam computationem annalem in indictione verti. Idcirco, discordantibus temporis notis, maxime consulenda indictio est, ut, si imperialia indicia vel partim vel etiam communiter contra dicunt, dumne aliis argumentis corroborentur, indictio tamen de anno decidat.

Reperto hoc filo Labyrintheo, nonnullae Bonifatii res gestae

1. V. Novellam Iustiniani 47. 2. V. Regesta pontificum Romanorum p. 92. 3. V. ibid. p. VII et 477.

quos ad annos pertineant, iam certius censere licuit. Cuiusmodi exemplo hic breviter ostendam, quando Bonifatius episcopus consecratus sit; quod quidem secundum Pagium ad annum 723 securissime referri solet. Testimonia autem eius rei sunt quatuor, ex quibus unum de die, reliqua tria de anno tradunt. Willibaldus enim in vita Bonifatii diem attulit 30 m. Novembris; anni vero notae in iuramento Bonifatii eodem die praestito (cap. 17) et in duabus Gregorii II papae epistolis postridie eius diei datis (ep. 18 et 19) inveniuntur hoc modo:

	Leone		Constantino	indictione
	imp.	post cons.	imp.	
(cap. 17)	a. 6	a. 6	a. 4	6.
(ep. 18)	a. 7	a. 7	a. 4	6.
(ep. 19)	a. 7	a. 7	a. 4	6.

Diem autem illum 30 Novembris fuisse anni 722, locupletissime demonstrat indictio 6; eodemque spectant etiam in cap. 17 Leonis imperii annus 6 et post consulatum annus 6[1]*. Neque iam latet, quam perperam Pagius, confisus reliquae notarum imperialium parti, annum 723 postulanti, contra iustam Sirmondii sententiam in fidissimis et constantissimis quibusque indiciis, iisdemque ultro ceterorum numerorum parte confirmatis, inesse vitia statuerit.*

Novus epistolarum ordo, qui temporibus accurate observandis effectus est, ut cum priorum editionum dispositionibus facile comparari posset, operam navavi. Itaque singulis capitibus numeros Serarianos, Würdtweinianos, Gilesianos ascripsi ita (S 52, W 160, G 148) (S 21, WG 20) cet., indicesque confeci sequentes:

Numeri		Numeri		Numeri		Numeri		Numeri	
Serariani	nostri	Serariani	nostri	Serariani	nostri	Serariani	nostri	Serariani	nostri
1	9	7	75	13	72	19	59	25	91
2	86	8	61	14	73	20	88	26	40
3	55	9	62	15	30	21	10	27	34
4	76	10	60	16	87	22	31	28	32
5	41	11	29	17	64	23	89	29	92
6	39	12	74	18	102	24	90	30	96

1. V. supra p. 18.

Numeri Serariani	nostri	Numeri Serariani	nostri	Numeri Serariani	nostri	Numeri Serariani	nostri	Numeri Seraniani	nostri
31	93	55	143	79	127	101	13	130	38
32	24	56	144	80	128	102	136	131	44
33	11	57	2	81	118	103	113	132	42
34	139	58	7	82	129	104	105	133	45
35	16	59	145	83	130	105	70	134	{58
36	23	60	146	84	131	106[3]	104		50}
37	94	61	147	85	100	108	151	135	50
38	14	62	116	86	121	109	122	136	67
39	77	63	148	87	132	110	137	137	52
40	103	64	149	88	133	111	123	138	51
41	4	65	5	89	134	112[4]	138	139	63
42	65	66	33	90	119	118	12	140	66
43	101	67	15	91	106	119	20	141	79
44	1	68	3	92	{84	120	26	142*a*	80
45	111	69	{95		85}	121	22	142*b*	43
46	97		6}	93	117	122	28	143	49
47	126	70	108	94	135	123	18	144	48
48	140	71[1]	112	95	124	124	19	145	83
49	57	73	150	96	115	125	25	146	69
50	141	74[2]	110	97	107	126	27	147	78
51	8	76	71	98	99	127	35	148	53
52	46	77	120	99	125	128	36	149	54
53	98	78	{109	100	114	129	37	150[5]	62
54	142		47}						

Numeri Würdtweiniani	nostri	Numeri Würdtweiniani	nostri	Numeri Würdtweiniani	nostri	Numeri Würdtweiniani	nostri	Numeri Würdtweiniani	nostri
1	11	11	24	21	23	31	86	41	31
2	12	12	55	22	91	32	88	42	34
3	16	13	56	23	93	33	13	43	35
4	9	14	15	24	27	34	94	44	36
5	21	15	25	25	28	35	41	45	37
6	18	16	75	26	57	36	39	46[6]	38
7	26	17	72	27	87	37	62	49	92
8	20	18	73	28	101	38	100	50	52
9	22	19	32	29	71	39	29	51	42
10	19	20	10	30	14	40	30	52	43

1. 72 est Isidori ad Masonem ep., de qua v. supra p. 11 n. 4. 2. 75 est Leonis III ad Riculfum ep., quam v. infra in Epistolis Moguntinis. 3. 107 est Moguntinorum ad Ludovicum I epistola (825—829), quam v. infra in Epistolis Moguntinis. 4. 113—117 sunt epistolae, quas reperies infra in Epistolis Moguntinis. 5. ep. 151 invenies infra in Othloni vita S. Bonifacii. 6. 47 et 48 relationes Würdtweinii sunt.

Numeri Würdtweiniani	Numeri nostri	Numeri Würdtweiniani	Numeri nostri	Numeri Würdtweiniani	Numeri nostri	Numeri Würdtweiniani	Numeri nostri	Numeri Würdtweiniani	Numeri nostri
53	44	80	98	98	89	119	129	147	112
54	61	81	95	99	96	120	130	148	33
55	74		6	100	90	121	131	149	5
56	47	82	66	101	76	122	121	150	149
57[1]		83	81	102 *a*	77	123	133	151	148
59	48	84	103	102 *b*	97	124	134	152	147
60[2]	49	85	83	103[3]	111	125	117	153	146
62[2]	58	86	79	105[4]	107	126	135	154	145
66	50	87	80	107	116	127	124	155	7
67		88	82	108	119	128	125	156	2
68	53	89	106	109	115	129	136	157	144
69	54	90	84	110	132	130	113	158	143
70	51		85	111	128	131	122	159	142
71	60	91	105	112	114	132	137	160	46
72	59	92	40	113	126	133	123	161	141
73	70	93	104	114	108	134[5]	138	162	140
74[2]	63	94	69	115	110	140[5]	118	163	1
77	65	95	78	116	120	143	3	164	4
78	67	96	99	117	109	144	151	165	139
79	64	97	102	118	127	145[6]	150	166[5]	8

Numeri Gilesiani	Numeri nostri	Numeri Gilesiani	Numeri nostri	Numeri Gilesiani	Numeri nostri	Numeri Gilesiani	Numeri nostri	Numeri Gilesiani	Numeri nostri
1	11	14	15	27	87	40	30	53	74
2	12	15	25	28	101	41	31	54	48
3	16	16	75	29	71	42	34	55	49
4	9	17	72	30	14	43	35	56	58
5	21	18	73	31	86	44	36	57	50
6	18	19	32	32	88	45	37	58	53
7	26	20	10	33	13	46	38	59	54
8	20	21	23	34	94	47	92	60	51
9	22	22	91	35	41	48	52	61	60
10	19	23	93	36	39	49	42	62	59
11	24	24	27	37	62	50	43	63	70
12	55	25	28	38	100	51	44	64[7]	63
13	56	26	57	39	29	52	61	67	65

1. 58 statuta continet, ad Bonifatii epistolas non pertinentia. 2. 61, 63—65 et 75, 76 ad Bonifatii epistolas non spectant. 3. 104 fragmenta a Würdtweinio ex Bonifatii vitis collecta praebet. 4. 106 reperies infra in Othloni vita Bonifatii. 5. 135—139, 140, 141, 167—169 reperies infra in Epistolis Moguntinis. 6. 146 est Isidori ad Masonem ep. de qua v. supra p. 11 n. 4. 7. 65, 66, 113 ad Bonifatianas epistolas non pertinent.

Numeri		Numeri		Numeri		Numeri		Numeri	
Gilesiani	nostri	Gilesiani	nostri	Gilesiani	nostri	Gilesiani	nostri	Gilesiani	nostri
68	67	83	69	99	132	115	117	138	33
69	64	84	78	100	128	116	135	139	149
70	98	85	99	101	114	117	124	140	148
71	66	86	102	102	126	118	125	141	147
72	81	87	89	103	108	119	136	142	146
73	103	88	96	104	110	120	113	143	145
74	83	89	90	105	120	121	122	144	7
75	79	90	76	106	109	122	137	145	144
76	80	91	77	107	127	123	123	146	143
77	82	92	97	108	129	124[3]	138	147	142
78	106	93	111	109	130	130[3]	118	148	46
79	84	94[1]	107	110	131	133	3	149	141
	85	96	116	111	121	134	151	150	140
80	105	97	119	112[2]	133	135[4]	150	151	139
81	40	98	115	114	134	137	112	152[3]	8
82	104								

Berolini 18 Kal. Novembres 1865.

1. *Aldhelmus abbas Malmesburiensis, iubente concilio, Geruntium regem et sacerdotes Domnoniae admonet, ut pacem servent, de tonsura et de paschate sequantur ecclesiam Romanam, catholicorum sacerdotum communione utantur*[a 5]. (S 44, W 163)

675—705 Domino gloriosissimo occidentalis regni sceptra gubernanti, quem ego, ut mihi scrutator cordis et rerum testis est, fraterna caritate amplector, Geruntio regi simulque cunctis Dei sacerdo-

a. *ex V* 26—29. *Lemma:* Item epistola Althelmi abbatis ad regem Geruntium.

1. 95 reperies infra in Othloni vita Bonifatii. 2. V. p. 23 n. 7. 3. 125—129, 131, 132, 153—156 invenies in Epistolis Moguntinis infra. 4. 136 est Isidori ad Masonem ep., de qua v. supra p. 11 n. 4. 5. Cf. Bedae hist. eccl. L. V c. 18 (Opp. ed. Giles III 234): „Aldhelmus, cum adhuc esset presbyter et abbas monasterii, quod Maildufi urbem nominant, scripsit, iubente synodo suae gentis, librum egregium adversus errorem Britonum, quo vel pascha non suo tempore celebrant, vel alia perplura ecclesiasticae castitati et paci contraria gerunt; multosque eorum, qui occidentalibus Saxonibus subditi erant Britones, ad catholicam Domini paschae celebrationem huius lectione perduxit". — Fuit Aldhelmus ab a. 675 ad a. 705 abbas Malmesburiensis, et ab a. 705 ad a. 709 episcopus Scireburnensis; v. vitam Aldhelmi ap. Giles S. Aldhelmi opp. p. 386: „Obiit autem a. D. 709, ab anno quo factus est abbas tricesimo quarto et episcopatus sui anno quinto".

tibus per Domnoniam[a] conversantibus Althelmus, sine meritorum prerogativa abbatis[1] officio functus, optabilem in Domino salutem. 675—705

Nuper cum essem in concilio episcoporum — ubi ex tota pene Brittania innumerabilis Dei sacerdotum caterva confluxit, ad hoc presertim congregata, ut pro ecclesiarum sollicitudine et animarum salute ab omnibus decreta canonum et patrum statuta tractarentur et in commune, Christo patrocinium prestante, conservarentur; his igitur rite peractis — omne sacerdotale concilium meam[b] parvitatem pari precepto et simili sententia conpulerunt: ut ad vestre pietatis presentiam epistulares litterarum apices diregerem et eorum paternam petitionem salubremque suggestionem per scriptae stilum intimarem, hoc est de ecclesiae catholicae unitate et christiane relegionis concordia, sine quibus fides otiosa torpescit et merces futura fatescit. Quid enim prosunt bonorum operum emolumenta[c], si extra catholicam gerantur ecclesiam, etiamsi aliquis actualem rigidae conversationis regulam sub disciplina coenubii sollerter exerceat aut certe, cunctorum mortalium contubernia declinans, in squalida solitudine remotus, contemplativam anachoreseos peragat vitam. Igitur, ut certius vestra sagacitas animadvertere queat, pro quibus causis mea mediocritas scripta direxerit, conpendiose et breviter enucleabo[d].

Auditum namque et diversis rumorum relatibus[e] conpertum nobis est: quod sacerdotes vestri in catholicae fidei regula secundum scripturae precepta minime concordent, et per eorum simultates et pugnas verborum in ecclesia Christi grave scisma et crudele scandalum nascatur. Quod psalmigrafi sententia detestatur dicens: *Pax multa diligentibus nomen tuum, et non est in illis scandalum*[2]. Pacem quippe relegionis pia concordia copulat, sicut caritatem dira contentio contaminat. Nam unitatem fraternitatis rectae fidei sectatores psalmista hortatur, inquiens: *Deus, qui habitare facit unanimes*[f] *in domo*[3]. Domus

a. Domnonia *V.* b. meum *V.* c. emolamenta *V.* d. eucleabo *V.* e. relativus *V.* f. uni animes *V.*

1. Malmesburiensis. 2. Ps. 118, 165. 3. Cf. Ps. 67, 7.

675—705 vero haec secundum allegoriam[1] ecclesia[a] per totos mundi cardines diffusa intellegitur. Haeretici namque et scismatici ab ecclesiae societate extranei per contentionum argumenta, in mundo pululantes et veluti horrenda zizaniorum semina in medio fecundae segitis sata, dominicam messem maculabant. Sed huiuscemodi altercationis obprobrium apostolica conpescit bucina: *Qui vult* inquit *contentiosus esse; nos talem consuetudinem non habemus nec ecclesia Dei*[2], *quae non habet maculam aut rugam*[3]. Pacem namque catholicorum matrem et filiorum Dei genetricem esse, euangelica promulgant oracula: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur*[4]. Unde, domino et salvatore nostro a summo caelorum fastigio[b] descendente[c], ut cyrographum protoplasti deleret[5] et mundum pace sequestra reconciliaret, angelica cecinit melodia: *Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis*[6]. Et psalmista: *Fiat* inquit *pax in virtute*[d] *tua et habundantia in turribus tuis*[7].

Denique rumor, ecclesiae fidei contrarius, longe lateque percrebruit: quod sint in provincia vestra quidam sacerdotes et clerici tonsuram sancti Petri apostolorum principis pertinaciter refutantes. Seque tali excusationis apologia pervicaciter[e] defendentes vivunt: quod auctorum et precessorum suorum tonsuram[8] imitentur. Quos divina inlustratos gratia fuisse, grandiloquis adsertionibus contestantur. Qui si a nobis sollicite sciscitentur, quis primus auctor rasurae huius et tonsurae extiterit, omnino, aut veritatem ignorando aut falsitatem dissimilando, obmutescunt. Nos autem, secundum plurimorum opinionem, Simonem, magicae artis inventorem, huius tonsurae principem fuisse, conperimus; quia, qualem quantamque[f] necromantiae fallaciam contra beatum Petrum fraudulenter machinaretur, certamen[g] apostolo-

a. ecclesiae *V.* b. fatigio *V.* c. discente *V.* d. virtu *V.* e. pervivaciter *V.* f. quantumque *V.* g. certamen *V.*

1. V. Breviarium in psalterium S. Hieronymo ascriptum (Opp. ed. Vallarsius VII append. p. 170). 2. 1 Corinth. 11, 16. 3. Ephes. 5, 27. 4. Matth. 5, 9. 5. Coloss. 2, 14. 6. Luc. 2, 14. 7. Ps. 121, 7. 8. „Brittones et Scotti anteriorem capitis partem capillis omnino nudabant ab aure ad aurem, posteriori intonsa". Mabillon Ann. ord. S. Bened. T. I p. 472.

rum[1] et decem libri Clementis[2] testes sunt. Nos, inquam, secundum sacrosanctam scripturae auctoritatem de tonsura nostra veritatis testimonium perhibentes, diversas ob causas Petrum apostolum hunc ritum sumpsisse adserimus; primitus, ut formam et similitudinem Christi in capite gestaret, dum, pro redemptione nostra crucis patibulum subiturus, a nefanda Iudeorum gente acutis spinarum aculeis crudeliter coronaretur; deinde, ut sacerdotes veteris et novi testamenti in tonsura et habitu discernerentur; postremo, ut idem apostolus suique successores et sequipede[3] ridiculosum gannaturae[4] ludibrium in populo Romano portarent, quia et eorum barones[5] et hostes exercitu superatos sub corona vendere solebant[6]. Ceterum in veteri testamento tonsurae signum a Nazareis, id est sanctis[7], ni fallor, sumpsit exordium[8]; est enim regale et sacerdotale stematis indicium. Nam thiara apud veteres in capite sacerdotum constituebatur[9]; haec, bisso retorta[a], rotunda erat quasi spera media; et hoc significatur in parte capitis tonsa. Corona autem latitudo aurea est circuli, quae regum capita cingit. Utrumque itaque signum exprimitur in capite clericorum, Petro dicente: *Vos estis genus electum, regale sacerdotium*[10]. Hoc ritu tondendi et radendi, ut vitia resecentur, signatur, et crinibus carnis nostrae quasi criminibus exuamur. 675—705

Est autem altera crudelior animarum pernities: quod in sacrosancta paschali sollemnitate 318 patrum regulam non sectantur[b]. Qui in Niceno concilio decemnovennalem laterculi circulum, per ogdoadam et endicadam usque ad finem mundi recto tramite decursurum[c], sagaci sollertia sanxerunt; et a quinta decima luna usque ad vigesimam primam supputationis seriem

a. retorto *V* (cf. Exod. 28, 8). b. sectatur *V*. c. decursum *V*.

1. i. e. Actus apost. (8, 9—24). 2. Recognitionum libri decem (S. Clementi I attributi) L. II 7, ap. Cotelerium SS. Patres (Amstelodami 1724) T. I 512. 3. discipuli, imitatores. 4. sugillationis. 5. servos. 6. A. Gellii Noct. Att. VI (VII) 4: „Sicuti“ inquit (Caelius Sabinus) „antiquitus mancipia iure belli capta coronis induta veniebant; et idcirco dicebantur sub corona venire“ cet. 7. Iudic. 16, 17: „qui Nazaraeus, id est consecratus Deo sum“. 8. V. Numeri 6, 18. 9. Exod. 29, 6. 10. 1 Petr. 2, 9.

675—705 et paschalis calculi terminum tradiderunt; quem anticipare et transgredi contra ius et fas, inlicitum fore censuerunt. Porro isti secundum decennem novennemque Anatolii[1] conputatum aut potius iuxta Sulpicii Severi[a] regulam, qui 84 annorum cursum descripsit, quarta decima luna cum Iudeis paschale sacramentum celebrant; cum neutrum ecclesiae Romanae pontifices ad perfectam calculi rationem sequantur. Sed nec Victorii[2] paschalis laterculi curriculum, qui 532 annorum circulis continetur, posteris sectandum decreverunt. Erat namque genus quoddam hereticorum aput orientales, quod tessereskaedecadite vocatur, id est quartadecimani, eo quod quarta decima luna cum Iudeis, Christum blasphemantibus et margaritas euangelii ritu porcorum calcantibus, paschae sollemnitatem peragunt; et ob[b] hoc alieni a beata orthodoxorum sodalitate inter scismaticorum conciliabula infeliciter reputantur; quos beatum Augustinum[c] in libro de nonaginta heresibus scripto[3] commemorasse memini.

Illud vero quam valde a fide catholica discrepat et ab euangelica traditione discordat: quod ultra Sabrinae[4] fluminis fretum Demetarum sacerdotes, de privata propria conversationis munditia gloriantes, nostram communionem magnopere abhominantur, in tantum, ut nec in ecclesia nobiscum orationum officia celebrare nec ad mensam ciborum fercula pro caritatis gratia pariter percipere dignentur. Quin inmo fragmenta ferculorum et reliquias epularum lurconum canum rictibus et inmundis devorandas porcis proiciunt; vascula quoque et fialas aut harenosis sabulonum[d] glareis aut fulvis favillarum cineribus expianda purgandaque precipiunt. Non salutatio pacifica prebetur, non osculum piae fraternitatis offertur, dicente apostulo: *Salutate vos in osculo sancto*[5]. Nec manibus lomentum aut latex cum manutergio exhibetur neque pedibus ad lavacrum pelvis[e] adponitur, cum Salvator, sindone precinctus discipulorum pedes abluens,

a. Severini *V.* b. ab *V.* c. Angustinum *V.* d. sablonum *V.* e. pulvis *V.*

1. Alexandrini, episcopi Laodicensis anno 270 facti. Cf. Ideler Handbuch der Chronologie II 226. 2. Aquitani. Cf. Ideler l. l. p. 275. 3. Augustinus de haeresibus c. 29, Opp. ed. Benedictini (Antwerpiae 1700) T. VIII p. 8. 4. Severn fl. 5. Rom. 16, 16.

normam nobis tradiderit imitandi dicens: *Sicut ego feci vobis*[a], 675—705 *ita et vos facite aliis*[1]. Ast vero, si quilibet de nostris, id est catholicis, ad eos habitandi gratia perrexerint, non prius ad consortium sodalitatis suae adsciscere dignantur, quam quadraginta dierum spatia in penitendo peragere conpellantur. Et in hoc hereticos infeliciter imitantur, qui se catharos, id est mundos, nuncupari voluerunt. *Heu, heu* pro tantis erroribus — potius quam *evax, evax* — lacrimosis vocibus et querulosis singultibus lugubriter ingeminandum reor. Et totum hoc contra euangelii precepta secundum Phariseorum inanes traditiones agere noscuntur, Christo veraciter adstipulante: *Vae vobis, scribae et Pharisaei, qui mundatis, quod foris est calicis et pharabsidis*[2]. Nam Dominus cum publicanis et peccatoribus convivia celebrasse discribitur[3], ut verus medicus purulentis animarum vulneribus divinae pietatis medicamina et caelestis clementiae cataplasma conponeret. Idcirco peccatorum consortia Phariseorum more minime dispexit, sed potius illam peccatricem, pollutae vitae piacula lugubriter deflentem et dominicos pedes fusis lacrimarum imbribus umectantem ac solutis et laxis cincinnorum crinibus tergentem, solita clementia misericorditer refocilat[b] dicens: *Remittantur illi peccata multa, quia dilexit multum*[4].

Quae cum[c] ita se habeant, propter communem caelestis patriae sortem et angelice sodalitatis[d] collegium subnixis precibus et flexis poplitibus vestram fraternitatem adiurantes suppliciter efflagitamus: ut ulterius doctrinam et decreta beati Petri contumaci cordis supercilio et protervo pectore non abhominemini et traditionem ecclesiae Romanae propter prisca priorum statuta vestrorum nequaquam, tyrannica freti pertinacia, adroganter aspernemini. Petrus namque Dei filium beata voce confessus audire meruit: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo aecclesiam meam, et porte inferni non prevalebunt adversus eam; et tibi dabo claves regni caelorum* usque *solutum*

a. vos *V.* b. refocilatur *V.* c. cum *om. V.* d. sobalitatis *V.*

1. Cf. Iohan. 13, 15. 2. Matth. 23, 25. 3. Matth. 9, 11. 4. Luc. 7, 47.

675—705 *et in caelo*[1]. Si ergo Petro claves caelestis regni a Christo conlate sunt, de quo poeta ait:

Claviger aetherius, portam qui pandit in aethra[a][2],

quis, ecclesiae eius statuta principalia spernens et doctrinae mandata contemnens, per caelestis paradisi portam gratulabundus ingreditur? Et si ipse potestatem ligandi atque monarchiam solvendi in caelo et in terra felici sorte et peculiari privilegio accipere promeruit, quis, paschalis festi regulam et tonsurae Romanae ritum refutans, non potius se strictis nexibus inextricabiliter obligandum quam clementer absolvendum[b] ullatenus arbitretur?

Sed fortasse[c] quilibet strophosus librorum lector ac sagax scripturarum disceptator tali se excusationis clipeo defendat et talis apologiae parma protegat: *Ego* inquiens *utriusque instrumenti precepta sincera fide veneror; ac sanctae Trinitatis unam essentiam unamque substantiam et trinam personarum substantiam corde credulo confiteor; dominicae incarnationis sacramentum et passionis patibulum ac resurrectionis tropeum voce libera per populum predicabo; supremum vivorum et mortuorum examen, quando singulis quibusque pro meritorum diversitate dispar retributio aequissimis iudicii lancibus trutinabitur, diligenter denuntiabo; et huius fidei privilegio in catholicorum coetu glomeratus sine aliquo infelicitatis obstaculo*[d] *connumerabor.* Sed huius excusationis propugnaculum, sub quo se delitescere confidunt, apostolicae castigationis ballista solo tenus dirutum conquassare et confringere nitar. Ait namque Iacobus, matertere Domini filius: *Tu credis, quia unus est Deus*[3]; et quia per hironiam[e] duodecim tribubus in dispersione gentium constitutis[4] loquebatur, statim subiunxit: *Bene facis; et demones credunt et contremiscunt*[5]; *quia fides sine operibus mortua est*[6]. Fides nempe[f] catholica et fraternae caritatis concordia inseparabiliter[g] pari

a. aethera *V.* b. adsolvendum *V.* c. fortassae *V.* d. abstaculo *V.* e. hieroniam *V.* f. nemphe *V.* g. inseperabiliter *V.*

1. Matth. 16, 18. 19. 2. Ex ipsius Aldhelmi Poemate de aris beatae Mariae II 2, opp. ed. Giles p. 119. 3. Iacob. 2, 19. 4. V. Iacob. 1, 1. 5. Iacob. 2, 19. 6. Iacob. 2, 20.

tramite tendunt, sicut predicator egregius et vas electionis[1] eleganter attestatur: *Si noverim omnem profetiam et omnia misteria, si habeam fidem, ita ut montes transferam, et si tradidero corpus meum ut ardeam, caritatem autem non habeam, nihil mihi prodest*[2]. Et ut brevis sententiae clustello[3] cuncta concludantur, frustra de fide catholica inaniter gloriatur, qui dogma et regulam sancti Petri non sectatur. Fundamentum quippe ecclesiae et firmamentum fidei, principaliter in Christo et sequenter[a] in Petro collocatum, nequaquam ingruentibus tempestatum turbinibus nutabundum vacillabit, ita apostulo promulgante: *Fundamentum aliud nemo potest ponere preter id, quod positum est, quod est Iesus Christus*[4]. Petro autem veritas ita privilegium ecclesiae sanxit: *Tu es Petrus, et supra hanc petram edificabo ecclesiam meam*[5]. 675—705

---

2. *Aldhelmus abbas Malmesburiensis Sigegythae scribit, pontificem concessisse, ut monacha quaedam baptizetur. Monet, tractet litteras divinas*[b]. (S 57, W 156)

Dilectissimae atque amantissime sorori et mihi sincero caritatis affectu venerandae Aldhelmus supplex, indigno abbatis vocabulo functus, in Domino salutem. 675—705

Cognoscat vestra almitas, de baptismo sororis me interrogasse pontificem. Qui licentiam dedit, baptizari illam[c] sanctimonialem, sed tamen clam et latenter. Saluto te diligenter, o Sigegyth, ex intimo cordis cubiculo; subnixis precibus obsecrans: ut adsidua scripturarum meditatione mentem tuam occupare non desistas, quatenus psalmigrafi sententiam conpleas dicentis: *In lege eius meditabitur die ac nocte*[6]. Et idem psalmista hoc item testatur dicens: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua*[7] et reliqua. Orationum vero mearum ut memores sint omnes sorores, per Christum suppliciter obsecra; quia dicit apostolus: *Multum valet deprecatio iusti adsidua*[8]. Vale,

a. sequentem *V*. b. *ex V* 33 *v*. *Lemma:* Item epistola. c. illum *V*.

1. S. Paulus. 2. 1 Corinth. 13, 2. 3. 3. corollario. 4. 1 Corinth. 3, 11. 5. Matth. 16, 18. 6. Ps. 1, 2. 7. Ps. 118, 103. 8. Iacob. 5, 16.

675—705 decies dilectissima, immo centies et milies. Te Deus valere faciat.

---

3. *Aldhelmus abbas Malmesburiensis Heddae episcopo Occidentalium Saxonum scribit, se impediri, quominus post diem natalem Domini ad eum accedat. De studiis suis exponit*[a 1].
(S 68, W 143, G 133)

676—705 Domino[b] reverentissimo omnique virtutum conamine venerando et post Deum peculiari patrono ....[c] supplex almitatis vestrae vernaculus in Domino salutem.

Fateor, o[d] beatissime antestis[e], me dudum decrevisse: si rerum[f] ratio ac temporum[g] volitans vicissitudo pateretur[h], vicinam optati[i] natalis Domini[k] sollemnitatem ibidem in consortio fratrum trepudians celebrare, et postmodum vita comite vestrae caritatis affabili[l] presentia frui. Sed quia, diversis inpedimentorum obstaculis refrenati[m], quemadmodum lator presentium viva voce plenius[n] promulgabit[o], illud perficere nequivimus, idcirco difficultatis[p] veniam, precor, inpendite.

Neque enim parva temporum intervalla in hoc lectionis[q] studio protelanda sunt; ei dumtaxat, qui, sollerti[q] sagacitate legendi succensus, legum Romanorum iura medullitus rimabitur et cuncta iuris consultorum[r] decreta[s] imis[t] precordiis scrutabitur et quod his multo artius[u] et perplexius est: centena scilicet metrorum genera pedestri regula discernere[v] et ad[w] musica[x] cantilenae modulamina recto syllabarum tramite[y] lustrare. Cuius rei studiosis lectoribus tanto inextricabilior obscuritas pretenditur, quanto rarior doctorum numerositas repperitur.

a. *ex V* 38—38*v* (*cum lemmate:* Item epistola), *et ex Wilhelmi Malmesburiensis de pontif. Anglor. L. V ap. Gale Hist. Brit. SS. T. I p.* 341. b. Domino — salutem *om. WM.* c. *lacuna non est in cod. V.* d. o *om. WM.* e. praesul *WM.* f. rerum — ac *om. WM.* g. tempora *V,* temporum *WM.* h. patiretur *V.* i. *om. V.* k. dn̄s *V.* l. *om. WM.* m. tardati *WM.* n. *om. WM.* o. promulgavit *V.* p. difficultati *WM.* q. *om. WM.* r. iuris consulatorum *V.* s. secreta *WM.* t. ex intimis *V,* imis *WM.* u. artius et *om. WM.* v. discerneret *V.* w. ad *om. WM.* x. musca *V,* musicae *WM.* y. tramitae *V.*

1. Hanc epistolam ab Aldhelmo ad Heddam episcopum Occidentalium Saxonum (s. Vintoniensem, 676—705) missam esse, docet Wilhelmus Malmesburiensis de pont. Angl. L. V. ap. Gale Hist. Brit. SS. I 341.

Sed de his diutius ratiocinari, stricta[a] epistolaris angustia 676—705 minime sinit; quomodo videlicet ipsius metrice artis clandistina instrumenta litteris, logis[b], pedibus, poeticis figuris, vorsibus, tonis, temporibus conglomerentur; pathetica[c] quoque septenae divisionis disciplina, hoc est[d] acefalos, lagaros[e 1], procilos cum ceteris qualiter[f] varietur; qui vorsus monoscemi[g], qui[f] pentascemi, qui decascemi[2] certa[h] pedum mensura terminentur[h]; et qualiter[i] catalectici vel brachicatalectici seu ypercatalectici vorsus sagaci[k] argumentatione colligantur. Haec, ut reor, et his similia brevi temporis intercapedine momentaneoque[l] ictu adprehendi nequaquam valebunt[m].

De ratione vero calculationis quid commemorandum? cum tantae[n] supputationis inminens desperatio[o] colla mentis conpresserit[p], ut omnem preteritum lectionis laborem parvi penderem, cuius me pridem secreta cubicula nosse credideram; et ut sententiam beati Hieronimi, dum[q] se occasio obtulit, depromam[r]: qui mihi prius[s] videbar sciolus, rursus coepi esse discipulus; sic[t], quod tandem, superna gratia fretus, difficillima rerum argumenta et calculi supputationes, quas partes numeri appellant, lectionis instantia reperi.

Porro de zodiaco, 12 signorum circulo[u], que vertigine celi volvuntur, ideo tacendum arbitror, ne ars[v] opaca et profunda, quae[w] longa explanandarum rerum ratione indiget, si vili explanationis textu[x] promulgata fuerit, infametur et vilescat; pre-

a. deutius ratiocinari stricta *V*, prolixo ambitu verborum disputare *WM*. b. syllabis *WM*. c. pathetica *V*, poetica *WM*. d. hoc est *om. V*. e. *om. WM*. f. *om. V*. g. monoschemi, pentaschemi, decaschemi *WM*. h. videantur *V pro* certa — terminentur *WM*. i. qualiter *V*, qua ratione *WM*. k. cognoscantur *V pro* sagaci — colligantur *WM*. l. momentaneoque ictu *om. WM*. m. possunt *WM*. n. tanta V, tantae *WM*. o. disputatio V, desperatio *WM*. p. oppresserit *WM*. q. dum — obtulit *om. V*. r. sententia — utar *WM*. s. *om. V*. t. sic — reperi *om. V*. u. ratione *WM*. v. res *V*, ars *WM*. w. quae — indiget *om V*. x. interpretationis serie *WM*.

1. De vitiosis versibus, qui Graece dicuntur *ἀκέφαλοι* et *λαγαροί*, v. Marium Victorinum I 21, 2. 3 et Diomedem III 17, 12. 13 ap. Gaisford SS. latini rei metricae p. 90 et 472; et Aldhelmi ep. ad Acircium, opp. ed. Giles p. 246. 2. De versibus monoschematistis, penteschematistis, decaschematistis v. Diomedis L. III 15, l. l. p. 465 squ. et Aldhelmi ep. l. l. p. 242 squ.

676—705 sertim cum astrologiae artis peritia et difficillima[a] oroscopi conputatio elucubrata doctoris indagatione egeat.

Haec[b] idcirco, carissime pater, cursim, pedetemptim perstrinximus, non garrulo verbositatis strepitu inlecti; sed ut scias, tanta rerum archana examusim non posse intellegi, nisi frequens et prolixa meditatio fuerit adhibita.

Salutate in Christo omnem sodalium meorum catervam a minimo usque ad maximum. Quos obsecro et adiuro per clementiam Christi: ut pro me, peccatorum pondere et criminum sarcina oppresso, preces Domino fundant.

---

4. *Scottus quidam Aldhelmum rogat, ut se doceat. Librum mutuari cupit*[c]. (S 41, W 164)

688—705 Domino sancto, sapientissimo, Christo quidem carissimo Aldhelmo Scottus ignoti nominis in Deo aeterno salutem.

Dum te prestantem ingenio facundiaque Romana ac vario flore litterarum, etiam Grecorum more, non nesciam, ex ore tuo, fonte videlicet scientiae purissimo, discere[d] malo, quam ex aliquo quolibet potare turbulento magistro. Presertim hoc prenoscens, scito[e], quod idcirco te fiducialiter ita obsecro: ut me suscipias doceasque. Quoniam fulgor — ceu dictum est — sapientiae pre multis in te fulget lectoribus, ac peregrinorum mentes, cupientium sapientiam discere, cognoscis; quia tu Romae advena fuisti[1], insuper quod a quodam sancto viro[2] de nostro genere nutritus es. Haec conpendii causa significant[f]; quia, si humiliter[g] per caritatem volueris adtendere, non minus per pauca verba quam per plurimas sermocinationes, perspicies. Haec tibi quoque sinceriter dissero: libellum quendam, quem ego non[h] habeo, qui non est maior acceptorio duarum septimanarum,

a. perplexa *WM.* b. Haec — preces domino fundant *om. WM.* c. *ex V* 25 — 25*v.* *Lemma:* Item epistola. d. discire *V.* e. scito prenoscens *V.* f. sicrifficant *V.* g. huniliter *V.* h. non *addidi.*

1. sub Sergio I papa (687—701). V. Faricii Vita Aldhelmi cap. 2 in Aldhelmi opp. ed. Giles p. 360 et Wilhelmi Malmesbur. de pontificibus L. V ap. Gale Hist. Brit. SS. I 350. 2. a Maildulfo, monasterii Malmesburiensis auctore. V. Wilhelmi Malmesb. de pontificibus L. V l. l. 338, et Mabillon Acta SS. ord. Ben. saec. III P. I p. 223*.

legere cupio. Hoc autem breve tempus predico, non eo, quod mihi plus non opus sit, sed ne hec petitio fastidium in tua mente creet. Ministrum quoque equosque, ut opinor, adepiscar. In hoc autem tempore messis laetam a te responsam sperabo. Orantem pro nobis beatitudinem tuam divina gratia custodire dignetur[1]. 688—705

5. *Aedilwaldus Aldhelmum abbatem Malmesburiensem rogat, ut se erudire pergat. Carmina mittit, in his unum de peregrinatione transmarina, Wynfritho destinatum*[a]. (S 65, W 149)

Sacrosancto abbati Aldhelmo, mihi inextricabilis[b] ignitae caritatis nodis, ut merita poscunt, adstricto, Aedilwaldus[2], tuae piae paternitatis supplex alumnus, perpetuam in Domino sospitatis salutem. ante 706

a. *ex V* 35*v*—36*v*. *Lemma:* Item epistola Aedilwaldi. b. *sic V pro* inextricabilibus.

1. Sequitur in codice carmen paschale, quod Claudiano attribui solet (V. Claudiani quae exstant ed. Heinsius p. 890), hoc modo:

Versiculi.

Criste, potens rerum, redeuntis conditor aevi,
Vox summi sensusque Dei, quem fudit[a] ab alta
Mente Pater tantique dedit consortia regni,
Impia tu nostrae domuisti[b] crimina vitae,
Passus corporea[c] mundum vestire figura,
Adfarique palam populos, hominemque[d] fateri.
Virginei tumuere sinus; innuptaque mater
Arcano[e] stupuit conpleri viscera partu,
Auctorem paritura suum; mortalia corda
Artificem texere poli[f]. Mundique repertor[g]
Pars fuit humani generis; latuitque sub uno
Pectore, qui totum late complectitur orbem;
Et, qui non spatiis terrae, non aequoris unda
Nec capitur caelo, parvos confluxit in artus.
Quin et[h] supplicii nomen nexusque subisti,
Ut nos subriperes leto, mortemque fugares
Morte tua; mox aetherias evectus in auras,
Purgata repetens[i] laetum tellure[k] parentem.
Augustum foveas, festis ut sepe diebus[l]
Annua sinceri[m] celebret[n] ieiunia[o] sacri.

2. Is non alius esse videtur, nisi qui Mercionibus rex praefuit ab a. 716 ad a. 757.

a. fundit *V*. b. domusti *V*. c. corpore *V*. d. homineque *V*. e. Arcano *V*. f. polum *V*. g. repetor *V*. h. quinec *V*. i. perpetēs *V*. k. luċe *V*. l. ut se pedibus *V*. m. Annuos in *V* (*pro* Annua sinceri). n. celebrent *V*. o. iaciunia *V*.

ante 706 Aestivi igitur temporis cursu, quo inmensis feralium passim congressionum expeditionibus haec miserrima patria lugubriter invidia vastatrice deformatur[a], tecum legendi studio conversatus demorabar. Tum mihi, licet indigno, tuae beatitudinis sacrosancta sagacitas — omnibus ut reor propemodum pannagericis tam saecularium, litterariae verbositatis facundia editorum, quam etiam spiritalium, aecclesiastici dogmatis stilo elucubratorum, plenissime[b] voluminum scriptis inbuta — arcana liberalium litterarum studia, opacis dumtaxat misteriorum secretis[c] ignaris quibusque mentibus obstructa[d], abrepto[e] propere[f] spissae stoliditatis velamine[g], patefaciens liquidissime propalarat. Quibus ad integrum exuberantis ingenii aepulis ambronibus siticulosae intellegentiae faucibus avide absumptis, meam adhuc pallentem hebitudinis maciem largissime blande sponsionis epimenia[h] affluenter refocilabat; pollicitans: omni me desiderate lectionis instrumento, quo potissimum meae mediocritatis industriam satis inhiantem agnoverit, libenter educando[i] inbuere[k]. Quapropter, mi amantissime purae institutionis preceptor, quatenus effectu[l] consequente fidem verborum haut difficulter adhibeas, opere pretium censemus; talibus sacrae scripturae oraculis instimulatus: *Fili mi, si spoponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam; inlaqueatus es verbis oris tui*[1]. Etiam dico, si nullis te capacibus prolate promissionis retinaculis perplexum involutumque reminisceris, tamen — cum memet ab ipsis tenerrime cunabulis infantiae, fovendo amando pedetemptimque delicatioribus sollertiae cibis recreando, ad vegetam usque pubertatem provexisti — dignum ab omnibus sanae intellegentiae esse iudicatur: quatenus confotum[m] iam pabulo tenerioris ingenii alas[n] vino solidiore[o] quoque profundioris sophiae[p]; tamen, si humillima subiectae devotionis instantia inportune[q] insistens expetit, adfatim alendo epulas inpendere non deneges, meque

a. defamatur *V.* b. plenissimae *V.* c. secretus *V.* d. obstrusa *V.* e. abrepta *V.* f. prepore *V.* g. velaminae *V.* h. *sic pro* epimeniis. i. edocando *V.* k. inbueret *V.* l. affectu *V.* m. confoto *V.* n. al *V.* o. solidiores *V.* p. sophae *V.* q. inportunae *V.*

1. Prov. 6, 1. 2.

licet nullius[a] momenti ducas, vestrae sublimitatis adoptivam[b] prolem ex omni paternae prudentiae diviti censu aliquatenus ad tempus ditare non recuses; ne quando invisi audacium emulorum[c] cunei crispanti optate inprobationis cachinno[d] tripudiantes congratulentur, si sobolem opulenti[e] paternae philosophiae censu exheredem penuriamque[f] feralis insipientiae experientem conperiunt; et non incongrue mihi ille Robuam — generosa de stirpe famosissimi tam[g] laudabilis sapientiae excellenti inormitate quam etiam opimis rerum facultatibus regis Salomonis infelici fusus ortu — omnis pene paternae felicitatis expers, luguhriter coaequari queat. Denique age[h] iam nunc impleturus vota persolve, et incoeptum largae institutionis beneficium concitus conple; sciens, te haut dubie[i] maiorem inde perpetuae remunerationis gloriam adepturum[k], Domino adstipulante qui ait: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*[1]. ante 706

Huic autem nostrae parvitatis epistolae[l] trina cantati modolaminis carmina, binis generibus digesta, subdidimus. Quorum primum, dactilico heroici poematis exametro ac pedestri ut authumo regula enucleate trutinatum et in 70 coaequantium vorsuum formulas — casu ita obtingente[m], et ut verius dicam, superne dispensationis nutu moderante — divisum; tertium quoque, non pedum mensura elucubratum sed, octonis[n] syllabis in uno quolibet vorsu conpositis, una eademque littera conparis[o] linearum tramitibus aptata, cursim calamo perarante caraxatum, tibi, sagacissime sator, transmittens dicavi[2]. Medium vero meo tuoque clienti Wynfritho — de transmarini scilicet[p] itineris peregrinatione — simillimis itidem vorsuum[q] et syllabarum lineis confectum, representans porrexi[3]. Haec idcirco vestrae beatitudinis venerandis obtutuum[r] luminibus representanda fore necessarium duxi, quod nostrae parvitatis iudicio dignum esse

a. nullus *V.* b. adoptivum *V.* c. emulor *V.* d. chacinno *V.* e. opilenti *V.* f. penuriaeque *V.* g. tuā *V.* h. acgiae *V.* i. dubiae *V.* k. adeptarum *V.* l. aepistolae *V.* m. obtigente *V.* n. octenis *V.* o. *sic pro* comparibus *V.* p. silicet *V.* q. uuorsuum *V.* r. obtutium *V.*

1. Matth. 10, 22. 2. V. infra p. 45 carmen IV. 3. Hoc de peregrinatione transmarina carmen, Wynfritho dedicatum, evanuit perincommode.

ante 706 visum est: omnem tibi, utpute patri, mearum litterarum editiunculam[a] primum pandens propalarem; quatenus, vestrae sublimitatis probabili rationis iudicio conprobata et ad aequitatis normulam derivata, omnibus deinceps lectorum numerositatibus acceptabilis exstat. Vale in Christo.

---

6. *Quinque carmina*[b 1]. (S 69b, W 81b)

I[c].

Rector[d] casae[e] catholicae atque ospes[f] athletice[g],
tuis pulsatus precibus obnixe flagitantibus,
ymnista carmen cecini; atque rem sponsam[h] reddidi,
sicut pridem pepigeram, quando profectus fueram
usque diram Domnoniam[i] per carentem Cornubiam
florulentis cespitibus et foecundis graminibus.
Elementa inormia atque facta informia
quassantur sub aetherea convexi celi camera[k],
dum tremit[l] mundi machina sub ventorum monarchia.
Ecce nocturno tempore orto brumali turbine,
quatiens terram tempestas turbabat atque vastitas,
cum fracto[m] venti federe bacharentur in aethere
et rupto retinaculo desevirent in saeculo.
Tum, libertate potita et servitute sopita,
spissa statim spiramina duelli ducunt agmina,
quibus bis sena nomina indiderunt volumina.
Horum archon[n] atrociter, fumum[o] verrens ferociter,
furibundus cum flamine[p] veniebat a cardine,
unde Titanis torrida labuntur luminaria.
Cumque flatus victoriae non furerent[q] inglorię,
tremebat tellus turbida; atque eruta robora

a. aeditiunculam *V.* b. *ex V* 40—42. c. Incipit carmen A͞L *V.* d. Rector *scripsit M. Haupt pro* Lector *V.* e. casses *V.* f. obses *V.* g. anthletice *V.* h. rem sponsam *scripsi pro* responsa *V.* i. Dōnoniam *V.* k. camara *V.* l. tremet *V.* m. fracti *V.* n. archons *V.* o. famam *V.* p. flaminae *V.* q. furirent *V.*

1. Singulis carminibus (excepto quarto) in codice praemissa haec sunt: „Incipit carmen A͞L"; subiuncta autem carmini primo sunt haec: „Finit carmen Aldhelmi", reliquis nihil nisi: „Finit carmen". — In his versibus emendandis me petentem adiuvit Mauritius Haupt.

cadebant, cum verticibus simul ruptis radicibus.
Neque guttae graciliter manabant, sed minaciter;
mundi rotam rorantibus umectabant cum imbribus.
Cum praepollenti pluvia essent referta flumina,
turbo terram teretibus grassabatur grandinibus,
quae catervatim caelitus crebrantur nigris nubibus.
Neque caelorum culmina carent nocturna nebula;
quorum pulchra planities perlucebat ut glaties,
donec nimbo ac nubibus torve teguntur trucibus[a].
Nam tenebrescunt turbine, disrupto rerum ordine,
germane Phoebi numina atque praeclara lumina.
Neque flagrabat flammiger ductor[b] dierum Lucifer,
sicut solet sepissime auratum sidus surgere,
sed caecatus caligine velut furva fuligine.
Plaustri plane pulcherrima non comparent curricula[c],
aquilonis a circio cursum servantis sedulo.
Ac totidem torrentibus septem latet lampadibus
Pliadis pulchra copula ab Athlantis prosapia;
haec conscendunt per ethera ab ortu solis sidera.
Tunc pari lance limpida Libre torpębat trutina.
Zodiacus cum cetera cyclus fuscatur caterva,
quem Mazaroth[1] reperimus nuncupari antiquitus,
bis senis cum sideribus per Olimpum lucentibus.
Nec radiabat[d] rutilus, sicut solebat, Sirius;
quia nubis nigerrima[e] abscondunt polos pallia.
Attamen flagrant fulmina late per caeli culmina,
quando pallentem pendula flammam vomunt fastigia;
quorum[f] natura nubibus procedit conlidentibus.
Nec non marina cerula glomerantur in glarea,
qua ruit inruptio ventorum ac correptio.
Per pelagi itinera salsa spumabant equora,
cum bulliret brumalibus undosus vortex fluctibus.

a. crucibus *V.* b. doctor *V.* c. curricola *V.* d. radiebat *V.* e. nugerrima *V.* f. quarum *V.*

1. Hieronymi ep. 64 ad Fabiolam (Opp. ed. Vallarsius I 365): „Mazuroth, hoc est zodiacum circulum“.

Oceanus cum molibus atque diris dodrantibus[a]
pulsabat promontoria, suffragante victoria.
Sic turgescebat trucibus pontus ventorum flatibus,
infligendo flaminibus[b] scopulosis marginibus.
Quid dicam de ingentibus Altithroni operibus,
quae nullus nequit numero conputare in calculo.
En multa. In miraculo nunc apparet[c] propatulo
clara Christi clementia per haec facta recentia,
cum grata gallicinia quasi quarta vigilia
suscitarent sonantibus somniculosos cantibus.
Tum, binis stantes classibus, celebramus concentibus
matutinam melodiam ac synaxis psalmodiam,
en statim fulcra flamine nutabant a fundamine,
tigna tota cum trabibus tremibunda ingentibus
vacillabant, ab omnibus aule pulsata[d] partibus.
His tantis tempestatibus ac terrorum turbinibus
nostra pavent precordia tot monstrorum prodigia,
quando cernebant lumina tectorum laquearia
horrisonis fragoribus concuti et creporibus.
Tum tandem cursu caterva, confracta linquens limina,
portum petit basilicae, propellente[e] pernicie;
sic pelluntur pericula per matris adminicula.
Quidam, discrimen dubiis[f] devitantes[g] cum saltibus
per devexa ac lubrica clivosi ruris latera,
metuebant magnopere casam contritam[h] crepore.
Porro cum tetrae[i] tenebrae preterissent et latebrae,
fatiscente[k] velamine, orto iubaris[l] lumine,
scissa ceca caligine quasi mortis imagine,
tunc vident[m] ab ecclesia tigilli fusa fragmina.
En, inquam, noctis horrida nunc apparent spectacula.
Ecce casae cacumina cadebant ad fundamina,
qua[n] solebant lautissime[o] sumi dulces deliciae.

a. *sic.* b. flāminibus *V.* c. apparent *V.* d. pulsatis *V.* e. populante *V.* f. duobus *V.* g. divitantes *V.* h. contritum *V.* i. tetro *V.* k. fatescentes *V.* l. iuvaris *V.* m. videus *V.* n. que *V.* o. lautissimae *V.*

En genestarum aprica frondosarum velamina
velluntur[a] parietibus flabrorum[b] arietibus.
Heu, tectorum tutamina prosternuntur in platea,
ecce crates a culmine ruunt sine munimine;
flatus saevi spiramina haec fecerunt ludibria.
Et nisi natalicia Pauli sancti sollemnia Iunii 29
tuerentur trementia timidorum precordia,
forsan, quassati culmine[c], quateremur et fulmine,
quemadmodum crudeliter novies binos circiter
propalant euangelica trini Tonantis famina[1]
turris fregisse fragmina cum inmensa maceria.
Ergo Christo in commune, adempti a discrimine,
grates dicamus dulciter, manenti inmortaliter.
Doxa Deo ingenito atque Gnato progenito,
simul cum sancto superna Flatu regenti[d] saecula[e].

II[f].

Nuper dein labentibus[g] vivis[h] brumae[i] temporibus
atque[k] mora meatuum mox conpleta vergentium —
quemadmodum mellificis heroicorum vorsibus
inlustris quondam poeta, Romae urbis indigena,
stili calamo stridulo caraxante persedulo,
sacris inserit scedulis doctiloquus Sedulius:
evolutam labilibus mundi molem rotatibus
protelata[l] prae patulis intervalla obstaculis
pepulisse perniciter parum sistens stabiliter[m] —
trini fuere famine viri absque cunctamine[n]
divulgati[o] per aethera summi Olimpi supprema,
virtutum quos redimita cristatos cingit corona,
parta[p] namque per fabricam aethralis Heri vegetam[q],

a. pelluntur *V.* b. flabrorum *scripsit M. Haupt pro* fabrorum *V.* c. *an* flamine? d. regente *V.* e. *sequuntur haec:* Finit carmen Aldhelmi. f. Incipit carmen Al̄ *V.* g. de inlabentibus *V.* h. binis *V.* i. brunae *V.* k. absque *V.* l. protellata *V.* m. *sic.* n. cuntamine *V.* o. devulgati *V.* p. paeta *V.* q. vegitam *V.*

1. Luc. 13, 4.

fidei nec non trilices[a]   girant humeris thoraces[b].
Sic truduntur tyrannidis   tela vi osa[c] tyronis,
quibus horrende inruit,   imber veluti ingruit,
bellicosus in agone,   Christi adverso agmine,
consternatus quod queritat[d]   furvus et rictu inhiat[e].
Christi crucis per culmina   ferimus frontis vexilla,
quae[f] fugax Orcus[g] horridis   timet telorum imbribus[h].
At vos, famosi viribus   viri sudantes strennuis
trucem vicistis tropeo   hostem belli aethereo.
Qui propinquos et patrias   abspernantes, peregrinas[i]
ignoti ruris cespites   adistis[k], cursu[l] praepetes[m].
Neque furentes vortices   undisonis fragoribus
turgentis Thitis[1], tellurem   debellantis per terrorem;
neque latrones lividis[n]   glomerantes genuinis
loetiferae libidinis   luridaeque cupidinis,
abstrahunt qui[o] exuvias   legentibus pera vias[p];
neque beluae[q] vibrantibus   rabidi rostri rictibus,
oberrantes[r] per devia   dumosi ruris limina,
celsorum[s] Christi militum   refrenarunt propositum.
Tum agape pro Numinis   iter suum conaminis
gradientes, sublimia   Petri petunt suffragia.
Illum visendi[t] gratia   frequentant, ut amnestia
nancta foret a Numine,   Petri iuvante[u] famine:
omnes hii in Domino   vivi[v] sanę pro saeculo
essent iuncti bitumine   germanitatis viscide[w].
Tandem, decurso[x] concite   perlongi callis limite,
ędem almam adiere[y],   patria[z] quam petivere,
ubi Petri corpusculum   iacet tellure conditum.
Tum alter[a] e felicibus   couterinis fratribus

a. trilicibus *V.* b. humeris thoraces *scripsi pro* thoracis humeros *V.* c. te labiosa *V.* d. queritat *scripsit M. Haupt pro* veritat *V.* e. *sic scripsi pro* furvex erectus indicat *V.* f. quas *V.* g. Orcas *V.* h. *sic.* i. *sic V.* k. audistis *V.* l. cassu *V.* m. praecipites *V.* n. lividis *scripsit M. Haupt pro* libidis *V.* o. abstrahuntque *V.* p. legentibus per avias *V.* q. biluę *V.* r. aberrantes *V.* s. caelsorum *V.* t. vissendi *V.* u. iuvanti *V.* v. bini *V.* w. uscide *V.* x. decurre *V.* y. audiere *V.* z. patriam *V.* a. altar *V.*

1. Thetidis HAUPT.

prosilit de ergastulo carnis; evulsus clanculo,
clavigero et reginae[a] caeli adhesit Mariae[b];
qui[c], evectus florentibus paradisi cespitibus
sociatus sublimibus angelorum cum milibus,
regnat istic per saecula, carpens aeterna gaudia.
Bini vivi[d], beantibus meritorum meatibus,
virentes acsi flosculi[e] paradisi perflorei[f],
olim spretas[g] agilibus patrias petunt[h] cursibus;
non quod luxu labilia cosmi[i] quaerunt quisquilia[k],
sed quod ferunt[l] non minima carismatum donamina,
quibus ditatur[m] area[n] animarum perflorea.
En vehebant volumina numerosa per agmina
multimodis et mysticis elucubrata normulis,
quorum auctoribus aius[o] adesse constat Alitus;
quae profetae, apostoli doctiloqui oraculi
indiderunt pergaminae, almo inflati Flamine.
Nunc vestium velamina bella[p] produnt ornamina[q]
mirifico que munere proferebant[r] praepropere[s];
quaeque ita inormia eliciunt exordia:
Pulchra[t] prorsus propagine deprompta in origine,
gnari quaedam genimina vermis fuerunt[u] minima,
foliis quique vescitur, brume meatu moritur[v];
cumque proles progreditur ovorum alvo oritur,
neque, illos qui genuit, vermis idem recaluit.
Foetus[w] fluunt[x] ex semine imo nature germine;
sed quod magis mirabile mundo et disperabile[y]:
ova viri et faeminae, calificata[z] calore,
parturire progenitum foetum, vellere vegetum[a].
Lana ostri elabitur vermiculo, cum vertitur,
spissam ceu aranea telam texit muscarea[b].
Tumque lana, latratribus fusi[c] valde volantibus,

a. regiae *V.* b. munitae *V.* c. quo *V.* d. Bini bini *V.* e. floscula *V.* f. perflorea *V.* g. ollim spraetas *V.* h. pectunt *V.* i. cusmi *V.* k. quiscilia *V.* l. fert' *V.* m. didatur *V.* n. arida *V.* o. quorum auctor aius *V.* p. ulla *V.* q. oramina *V* (*cf. infra v.* 82). r. perferebant *V.* s. p̄pore *V.* t. pulchro *V.* u. fuerunt' *V.* v. meatū oritur *V.* w. foetum *V.* x. fluant *V.* y. disparabile? z. calificati *V.* a. vegitum *V.* b. muscanea *V.* c. fusae *V.*

filamenque[a][1] revolvitur,   veluti setis[b] torquetur[c].
Inde sumuntur syrica,   quae portabant promiscua.
Quorum persplendet[d] species   pulchra, ceu planities
paradisi, Puniceis   purpurata cum rosetis[e],
quibus inter eburnea   lilia lucent[f] linea;
sic, sic sane sanguinea   syricorum insignia[g]
pulchrę picta, perniveo   colore atque croceo,
viridi, fulvo, floreo   fucata atque blaveo[h][2],
ut peplorum per pallia   pulchra pandant[i] ornamina.
Tum[k] sanctorum reliquias   nonnullorum eximias
advehebant, inormiter   dicatas[l], nutu naviter
quae concedunt oramina   orantium fidelia.
Nec non adhuc munusculum   quoddam addunt pulcherrimum:
toracydas[m][3], tuentibus   retorquentes luminibus
imagines auriferis   Christi matris capitibus.
Cumque multa magnanima[n]   producebant[o] donamina,
Christi sponsae, ecclesiae   cuncta ferebant opimae
et ipsorum et omnium   matri, Christo credentium.
Valetote, felicibus   vitam clausuri calcibus[p].

III[q].

Summum Satorem — solia   sedit qui per aethralia,
alti Olimpi arcibus   obvallatus minacibus,
cuncta cernens acumine[r]   caelorum summo lumine,
alta poli et infima   telluris latae limina;
cuius inmensa munera   nequeo prorsus, funera
antequam rictu rabido   raptent et rodant[s] avido
ore halitum, corpore   mortis[t] rigente[u] torpore,
carminare concentibus   celsae[v] laudis stridentibus —

a. filā inq; *V.* b. *an* seta? c. torquitur *V.* d. persplendit *V.* e. roseis *V.* f. locant *V.* g. insignea *V.* h. blaveo *scripsit M. Haupt pro* laneo. i. pandunt *V.* k. tā *V.* l. dicatus *V.* m. toracyclos *V.* n. magnamina *V.* o. producebant *scripsit M. Haupt pro* perducebant. p. *sequuntur haec:* Finit carmen. q. Incipit carmen Al̄ *V.* r. cacumine *V.* s. rodent *V.* t. mortis *scripsit M. Haupt pro* sortis *V.* u. rigenti *V.* v. caelsae *V.*

1. V. Dieffenbach Glossarium Latino-germanicum: „filamen". 2. caeruleo. V. Ducange Glossarium: „blavus". 3. imagines ad pectora fictas.

ipsum profecto precibus   peto, profusis fletibus
allidens libentissime   solo tenus saepissime[a]
curvatam colli cervicem   capitis atque verticem:
titubanti tutamina   tribuat per solamina
sacrosancta sublimiter,   suffragans manu fortiter
alma per adminicula;   hostium demat spicula,
quibus infesti fortibus   forant thoracas humeris,
Christi tyronum cassibus   caesis, foedis fragoribus
afflant[b], necantes imbribus   telorum emicantibus.
Illos, illos omnipotens[c]   trudat aeternis tenebris,
ubi Typo, teterrimis[d]   tostis[e] globorum gremiis,
girat, torquens gurgitibus   atri ignis ultricibus.
En pilarum acerrima   parma pellat acumina,
hostium a ferocibus   protegens arundinibus
concertantes agonibus   Christo semper fidelibus.

IV[f].

Aethereus qui omnia   mundi Herus molimina
verbi tantum cum numine   formasti in origine,
mihi, nova qui nutibus   adgredior[g] nutantibus,
litterarum cum lusibus   odas[h] coaptem usibus,
facunda funde famina   . . . .
queam cepto in carmine   celso proferre famine
virum, virtutum rumore   fulgescentem in aethere,
Cassem priscum cum nomine   comptum, veluti lumine
astra Olimpi ignito   ardui orbi vegeto[i]
lucem librant largifluam[k],   lustrant axis ignifluam
molem, mundo minacibus   eminentem[l] cum arcibus,
fumum furvum[m] frigoribus   foci conplent caloribus,
celi iubar e culmine[n]   croceo fundunt fulmine.
Titan torret, trementibus[o]   taedis latę lucentibus,

a. saepissimae *V*. b. afflā *V*. c. omnips̄ *V*. d. teterrimus *V*. e. tortis *V*. f. *carmen hoc cum antecedente in cod. (V) ita coniunctum est, ut ambo unum esse videantur.* g. adgredirer *V*. h. odis *V*. i. vegito *V*. k. *sic scripsi pro* larem librant lucifluam *V*. l. aeminentem *V*. m. fumam furvam *V*. n. et ulmine *V*. o. *sic scripsi pro* tremet torrentibus *V*.

passim orbis per marginem   ad usque caeli cardinem;
Phoebe quoque flagrantibus   fratrem iuvat[a] ardoribus,
noctem, nigram nubiculis,   lucens[b] lustrat corniculis;
ambo spargunt spiramina   ignis aethralis lumina,
neque nocent nitoribus   nemorosis cespitibus
ruris, rigati rivulo   roscidi roris sedulo.
Sed lutosam liquoribus   tellurem umectantibus
urebant[c] astra ignito   torrentis globi iaculo,
gliscant[d] ut glębae germina   dura atque tenerrima.
Situ roscido robora   quaeque virescunt aspera[e],
sucorum sumunt saporem;   si verminant[f] per vaporem.
Ita[g] *Cassis* per culmina   *prisci* splendent[h] praefulgida
gloriosa per agmina   gemmifera ornamina
rutulanti redimita   obrizo, velud limpida
astra convexi Olimpi   orbi clarescunt viridi.
Althelmum nam altissimum   cano atque clarissimum
alto nostratim nomine   nunccupatum, et numine
pollentem, per caelestia   potentem ac terrestria,
sic, sic sane sublimibus   satis ornatum cultibus,
caeli ceu per culmina   candent[i] exorta[k] fulmina,
illis, illis in omnibus   aequalem dico actibus.
Quae effari[l] sublimiter   odes[m] huius inormiter
surgens nempe[n] prolixitas   refragaturque[o] vastitas.
Tibi salus, per secula   sospiti, absque[p] macula
maneat inmortaliter   fine tenus feliciter[q].

V[r].

Vale, vale, fidissime   phile, christe carissime,
quem in cordis cubiculo   cingo amoris vinculo.
Have, ova[s] altissime,   olim[t] sodes[1] sanctissime,

a. iubat *V.* b. lucem *V.* c. arebant *V.* d. glescunt *V.* e. tenera *V.* f. *sic scripsi pro* si verum nam *V.* g. Ista *V.* h. paudunt *V.* i. candunt *V.* k. exorta *scripsi pro* per orta *V.* l. quaeque fari *V.* m. hodis *V.* n. nēpē *V.* o. refragat atque *V.* p. sospis ab usque *V.* q. *addita sunt haec:* Finit carmen. r. Incipit carmen Al̄ *V.* s. houa *V.* t. ollim *V.*

1. sodalis.

salutatus supplicibus, Aethilwalde[a], cum vocibus.
Tete Herus in omnibus clarum creavit actibus,
forma et visu virilem, facto et dicto senilem.
Tuam primam[b] propaginem per profundam indaginem
curiosę conicere mentis atque inspicere
nullus valet volucribus summi celi sub nubibus.
Tamen, adgressi, gaudiis loquimur parum trepidis.
Summo Satore sobolis satus fuisti nobilis,
generosa progenitus genetrice, expeditus
statura, valde stabilis[c] statu et forma agilis.
Capud candescens crinibus cingunt capilli nitidis.
Lucent sub fronte lumina, lati ceu per culmina
caeli candescunt calida clari fulgoris sidera.
Genae gemellae collibus glomerantur cum mollibus[d],
pedetemptim purpureo pictae fuco et niveo,
rosa veluti rutilis[e] radiat valde flosculis.
Aures auscultant omnia. Verba ex ore prodita
almi oris innumera nequeunt fari munera.
Adest verbosae fulgidum sophiae lumen lucidum[f].
Manus, manus mirabiles; multum pedes placibiles[g],
tibiae cursu teretes, tam[h] fortes, ut sonipedes[i]
sepe sequuntur cursibus salientes praepetibus.
Iam[k], si centenis clamitet quisque linguis et vocitet
ferrea voce[1], fremitans valde et ore crepitans,
nequit sane in saeculo ullus fari[l] oraculo,
quantum mundo mirabilem . . . .
neque altum ingenium explicare mortalium
ullus valet, sonantibus licet clamet concentibus.
Quod idcirco non effero laude[m] quavis nec reffero,
quia[n] mundi per omnia cunctis claret confinia.

a. Aethilwaldi *V.* b. primum *V.* c. valde stabilis *scripsi pro* destabilis *V.* d. ollibus *V.* e. rutulis *V.* f. *sic scripsit M. Haupt pro:* Adest verbosa fulgidum sopha et omne lucidum *V.* g. placabiles *V.* h. tantum *V.* i. sonipes *V.* k. nam *V.* l. fare *V.* m. lauda *V.* n. qui *V.*

1. Cf. Virgil. Aeneid. VI 625, Sedulii carmen paschale I 99 (Opp. ed. Arevalo p. 165).

Sospitem tete sordibus servet Herus ab omnibus,
tegat[a] totum tutamine, truso hostis acumine,
mi te[b] reddens refugium robustum per suffragium,
inque locet aethereum caelestis sceptri gremium;
ubi semper consortium perfruaris angelicum,
fine carens, caelestibus vitam degens[c] cespitibus[d].

---

7. *Berhtwaldus archiepiscopus Cantuariensis Forthereo episcopo Scireburnensi scribit, hortetur Beorwaldum abbatem Glastoniensem, ut puellam captivam, accepto pretio, dimittat*[e].

(S 58, W 155, G 144)

709—712 Reverentissimo atque sanctissimo coepiscopo Forthereo[1] Berhtwaldus[2] famulorum Dei famulus salutem in Domino.

Quoniam petitio mea — qua precatus sum coram te venerabilem abbatem Beorwaldum[3] de concedenda unius captivae puellae, quae propinquos apud nos habere monstratur, redemptione — in irritum, contra quod credidi, cessit, et denuo eorumdem precibus inquietor, utillimum duxi, ad te per eiusdem puellae germanum vocabulo Eppa has litteras destinare. Per quas obsecro: ut ipse omnino optineas a predicto abbate, quatenus pro eadem puella trecentos accipiat solidos de manu presentium geruli; et ei tradat illam, huc usque perducendam, quo possit reliquum vitae suae spatium cum consanguineis suis, non in servitutis tristitia, sed in libertatis transigere laetitia. Quam rem dum ad effectum tua perduxerit benivolentia, et a Deo mercedem et a me gratiarum actiones habebis. Frater quoque noster Beorwaldus nihil, ut aestimo, de eo, quod in

a. togat *V.* b. mi te *scripsi pro* rite *V.* c. deges *V.* d. *Sequuntur haec:* Finit carmen. e. *ex V* 34. *Lemma:* Item epistola.

1. episcopo Scireburnensi, 709—738. 2. archiepiscopus Cantuariensis, 693—731. 3. abbatem Glastoniensem (Glestingaburgensem). Qui „Beornwald abbas“ iam d. 26 Maii a. 704 in tabula Inae regis Westsaxonum comparet ap. Kemble Cod. dipl. I 57—58; licet, eum anno 705 praeesse coenobio Glastoniensi coepisse, tradat Iohannes in Chron. Glaston. ed. Hearnius Oxonii 1726 p. 93. Eius successorem Aldbertum reperimus iam a. 712 in tabula, quae est in Monast. Anglic. (Lond. 1846) T. I 47 (charta 83).

ea iuste possedit, amittit. Quod ante debui facere, obsecro: ut, cum tui[a] memoriam in crebris orationibus feceris, mei nihilhominus meminisse digneris. Incolumem reverentiam tuam aevo prolixiore Iesus Christus dominus noster custodiat. 709—712

---

8. *Aelffled abbatissa Streaneshalchensis Adolanae abbatissae Palatioli commendat N. abbatissam, Romam euntem*[b].

(S 51, W 166, G 152)

Domine sanctae atque a Deo honorabili Adolanae abbatissae[c1] Aelffled[2], ecclesiastice familiae famula, sempiternae sospitatis salutem in Domino. ante 714

Ex quo ... me[d] famam vestrae sanctitatis ab adventantibus ex illis partibus, rumore celebri referente, cognovimus, fateor in primis nos vestrum[e] visceraliter iuxta preceptum dominicum ex intimo pectore amorem caepisse, Domino dicente: *Hoc est preceptum meum, ut diligatis invicem*[3]. Quapropter[f] precibus subnixis suppliciter poscimus, ut sacrosanctis flammigerisque oraculis vestris nos apud almipotentem Dominum defendere dignemini; siquidem vobis vicem reddere nostra humilitas minime pigebit, apostolo Iacobo hoc ipsum precipiente ac dicente: *Orate pro invicem, ut salvemini*[4].

Insuper et summae sanctitati vestrae ac solite pietati .N., devotam ancillam Dei ac relegiosam abbatissam, karissimam fidelissimamque filiam nostram ab annis[g] adoliscentiae — pro Christi caritate et pro honore sanctorum apostolorum, Petri videlicet et Pauli, ad ipsorum sancta limina ire cupientem, sed a nobis pro necessitate atque utilitate animarum sibi com-

a. *sequitur* mei *in V.* b. *ex V* 32 — 32*v. Lemma:* Item epistola Aelffledi. c. abb. *V.* d. Ex quo me *V; an* Ex quo saepissime? e. vestram *V.* f. quia pp *V.* g. ab annis ab annis *V.*

1. Palatioli prope Treviros (filiae Dagoberti II regis); de qua cf. Mabillon Acta SS. ord. Ben. saec. III P. I 532 et Boll. Acta SS. Febr. T. II 178. 2. abbatissa coenobii Streaneshalch (hodie Whitby, in litore maris, ab Eboraco ad septemtriones, de quo cf. Monast. Angl., Lond. 1846, I 405), filia Oswini regis Northanhumbrorum, quam a. 713 obiisse, liquet ex Bedae Hist. eccl. III 24, opp. ed. Giles II p. 356. 3. Ioh. 15, 12. 6. Iacob. 5, 16.

ante 714 missarum actenus detentam — obnixe[a] omni cum diligentia commendamus; et precamur: quatenus cum affectu verae caritatis in sinum clementiae piae a vobis suscipiatur cum his, qui secum comitantur; ut diu desideratum ac sepe coeptum iter, Deo auxiliante, adnitente etiam vestra pietate, tandem aliquando perficere possit. Quam ob rem iterum iterumque repetendo petimus, ut cum vestris indiculis missisque[b] ad almissimam urbem Romam prospero cursu, suffragante[c] sancto ac signifero apostolorum principe Petro, dirigetur[d]; et, si quando presens Deo volente adfuerit, quicquid viva voce, qualibet occasione stimulante, pro sui iteneris necessitate suggesserit, paratum apud vos invenerit. Orantem pro nobis sanctitatem vestram divina gratia tuere dignetur.

---

9. *Wynfrethus Nithardum iuvenem ad virtutem litterarumque studia hortatur*[e]. (S 1, WG 4)

716—717 Carissimo sodali et amico dilectissimo, quem mihi non[f] temporalis caducum auri munus nec mellitate per blandimenta adolantium[g] verborum facetiae[h] urbanitas adscivit, sed spiritalis necessitudinis famosa adfinitas inmarcescibilis catena caritatis nuper copulavit, Nithardo[i] Wynfrethus[k] supplex in Christo Iesu perpetuae sospitatis salutem[l].

Humillimis mediocritatis meae apicibus inlustrem pubertatis tuae indolem precor, frater karissime, ut tibi sapientissimi Salomonis sententiae minime recordari pigeat, dicentis: *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis*[1]; et alibi: *Currite, dum lumen*[m] *vitae habetis, ne tenebrae mortis vos conprehendant*[2]. Quia cuncta velociter transitura sunt instantia; et in aeternum mansura cito adfutura. Et universa mundi huius pretiosa, sive in specimine[n] auri et

a. obnixae *V.* b. misisque *V.* c. suffragantem *V.* d. *sic.* e. *ex M* 71—72*v*, *C* 54*v*—56, *V* 1—2. *Cum hoc lemmate:* Incipit epistola beati Bonifatii archiepiscopi ad Nithardum *MCV.* f. *om. M.* g. *corr. in* adulantium *C.* h. *corr. in* faceta *C.* i. Nidhardo *M.* k. Wynfredus *MC.* l. saluti *V.* m. lucem *M.* n. specie *M.*

1. Eccli. 7, 40. 2. Cf. Ioh. 12, 35.

argenti sive in stellantium varietate gemmarum vel in luxorio- 716—717
sorum ciborum[a] aut comptorum vestimentorum adquisita diversitate, simillima collatione[b] rerum ut[c] umbra praetereunt, ut fumus fatiscunt, ut spuma marcescunt iuxta veridicam psalmigrafi sententiam, dicentis: *Homo sicut foenum dies eius, et sicut flos agri ita floriet*[1]; et alibi: *Dies mei sicut umbra declinaverunt, et ego sicut foenum arui*[2].

Et hac de re universi aurilegi[3] ambrones[4], apo ton[d] grammaton agiis[5] frustratis adflicti, inservire excubiis et fragilia aranearum in cassum — ceu flatum tenuem sive pulverem captantia — tetendisse retia dinoscuntur; quia cata psalmistam thesaurizant et ignorant, cui congregent illa[6]. Et, dum exactrix invisi Plutonis[7], mors videlicet, cruentatis crudeliter frendens dentibus, in limine latrat, tum[e], tremibundi[f] et omni divino suffragio[g] destituti, animam — pariter pretiosam et fallacem gazam, cui avari die noctuque sollicite inserviebant, subito amittentes — perdent. Et exinde, diabolicis rapti manibus, teterrima subeunt claustra Erebia[h][8], aeterna luituri supplicia.

His autem omnibus absque scrupulo falsitatis ita se habentibus, precibus caritatis interlitis obnixe flagitantibus, te implorare procuro: ut, his universis veraciter perspectis[i], resuscitare festines gratiam ingenii naturalis, quae in te est; et liberalium litterarum scientiam et divini intellectus flagrantem spiritaliter ignem aquoso luto et humido terrenae cupiditatis pulvere non extinguas; sed — memor psalmigrafi de beato viro sententiam proferentis: *In lege Domini fuit voluntas eius*[k] *et*[l] *meditabitur die ac nocte*[9], et alibi: *Quomodo dilexi legem tuam, Domine, tota die meditatio mea est*[10], et Moysen[m] in deuteronomio[n][11]: *Non*

a. cyborum *V.* b. collectione *M.* c. et *V.* d. to *codd.* e. tu *V.* f. *corr. in* tremebundi *C.* g. subfragio *V.* h. *corr. in* Herebi *C.* i. perfectus *M.* k. et in lege *in marg. add. C.* l. et *om. V*; et meditabitur *om. M.* m. *corr. in* Moysi *C.* n. deuteronomia *MV.*

1. Cf. Ps. 102, 15. 2. Ps. 101, 12. 3. aurileguli. 4. ganeones, lurcones. 5. His verbis contra regulam grammaticam conformatis: „ἀπὸ τῶν γραμμάτων ἁγίοις frustratis adflicti" scriptorem apparet declarare haec: „a litterarum sanctuariis frustratis adflicti". 6. Ps. 38, 7. 7. diaboli. 8. Erebea, Tartarea. 9. Ps. 1, 2. 10. Ps. 118, 97. 11. immo Ios. 1, 8.

716—717 *recedat liber legis de ore tuo; et meditaberis in ea diebus ac noctibus omnibus* — non profuturis aliarum rerum obstaculis porro abolitis, studium sanctarum litterarum mentis intentione sequi nitaris et inde gloriosae ac vere pulchritudinis venustatem adquirere, id est divinam sapientiam. Quae est splendidior auro, speciosior argento, ignitior carbunculo, candidior cristallo, pretiosior topazio[a], et secundum sanctionem ingeniosi contionatoris, omne pretiosum non est ea dignum. Quid enim, frater karissime, a iuvenibus decentius quaeritur aut quid a senibus demum sobrius possidetur, quam[b] scientia sanctarum scripturarum? Quae, sine illo[c] naufragio periculose tempestatis navem animae nostrae gubernans, deducet ad amoenissimi[d] litus paradisi et ad perpetua supernorum gaudia angelorum. De qua supra dictus sapiens dixit: *Sapientia vincit malitiam*[1]*; attingit ergo a fine*[e] *usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter*[2]*; hanc amavi et exquisivi*[f] *a iuventute*[g] *mea, et amator factus*[h] *sum formae illius*[3]*; generositate*[i] *clarificat, contuberniam Dei habens, sed et omnium dominus dilexit illam*[4]*; doctrix est enim disciplinae Dei*[5].

Propterea, si Dominus omnipotens voluerit, ut aliquando ad istas partes remeans, sicut propositum habeo, perveniam[k], spondeo[l], me tibi in his omnibus fore fidelem amicum et in studio divinarum scripturarum, in quantum vires subpeditent, devotissimum adiutorem[m].

Vale, frater, florentibus[n] iuventutis cum viribus,
ut floreas cum Domino in sempiterno solio —
qua martyres in cuneo regem canunt aethereo,
prophetae apostolicis consonabunt et laudibus,
qua rex regum perpetuo cives ditat in saeculo —
iconisma[6] sic Cherubin ut et gestes[o] cum Seraphin,

a. topaxio *M.* b. quia *VM, corr. in* quam *C.* c. *corr. in* ullo *C.* d. ammoeniissimi *V.* e. a fine *om. MV.* f. exquaesivi *V.* g. iuvente *M.* h. *om. M.* i. generositatem *C.* k. perviam *MV, corr. in* perveniam *C.* l. spospondeo *MV.* m. *qui sequuntur versus, eos om. M.* n. foribus *C.* o. gentes *C.*

1. Sap. 7, 30: „Sapientiam autem non vincit malitia". 2. Sap. 8, 1. 3. Sap. 8, 2. 4. Sap. 8, 3. 5. Sap. 8, 4. 6. speciem.

editus apostolorum et[a] filius prophetarum. 716—717
Nitharde[1], nunc[b] nigerrima imi cosmi contagia
temne fauste — Tartarea haec contrahunt[c] supplicia —
altaque super aethera rimari petens agmina,
Deum quae[d] semper canticis[e] verum comunt angelicis,
Summa sede ut gaudeas unaque[f] simul fulgeas,
excelsi regni praemia lucidus captes aurea
inque[g] throno aethereo Christum laudes preconio.

---

10. *Wynfrethus Eadburgae abbatissae Thanetensi visionem in monasterio Wenlocensi factam perscribit*[h]. (S 21, WG 20)

Beatissimae virgini immo dilectissimae dominae Eadburge[2], monastice normulae[i] conversationis emeritae, Wynfrethus[k] exiguus in Christo Iesu intimae caritatis salutem. 717—718

Rogabas me, soror carissima: ut admirandas visiones de illo redivivo, qui nuper in monasterio Milburge abbatissae[3] mortuus est et revixit, quae ei ostensae sunt, scribendo intimare et transmittere curarem[l], quemadmodum istas veneranda abbatissa Hildelida[4] referente[m] didici. Modo siquidem gratias omnipotenti Deo refero, quia in hoc dilectionis tuae voluntatem eo

a. et *addidi.* b. *om. C.* c. contrahunt *scripsi pro* contra hunc *codd. VC.* d. Deumque *C.* e. canticis *scripsi pro* caelicolis *codd. VC.* f. una quae *V.* g. in quae *V.* h. *ex M* 95*v*—102, *C* 76*v*—82, *V* 13—16*v*. *Lemma:* Item epistola Winfredi *MC,* Item epistola Wynfrethi *V.* i. normula *V.* k. Winfrethus *M,* Winfredus *C,* Wynfrethus *V.* l. curare *V.* m. referenti *MV.*

1. Novem horum hemistichiorum initia formant nomen: Nithardus. 2. abbatissae coenobii S. Mildredae Thanetensis, d. Cantuariensis. V. Historia fundationis coenobii, Monasticum Anglicanum (London 1846) I 449; Lewis History of the isle of Tenet, London 1736, a collection of papers p. 64. Obiit Eadburga a. 751; v. Chron. Willelmi Thorne (ap. Twysden et Selden Hist. Angl. Script. p. 1908) cap. 24: „beata Erburt (sic perperam pro Eadburc) mortua anno D. sextingentesimo (lege: septingentesimo) quinquagesimo primo". 3. in monasterio Wenlocensi (Wenlock, in Shropshire, a Shrewsbury inter orientem et meridiem), a S. Milburga circ. a. 680 condito. V. Monasticum Anglicanum T. V 72, Mabillon Acta SS. ord. Ben. saec. III P. I 443. 4. abbatissa Berecingensi (coenobii Barking s. Berking, a Londino ad orientem); de qua cf. Bedae hist. eccl. IV 10, opp. ed. Giles T. III p. 48, Monasticum Anglicanum T. I 436, Mabillon Acta SS. ord. Ben. saec. III P. I 299.

717—718 plenius liquidiusque, Deo patrocinium praestante, implere valeo. Quia ipse cum supra dicto fratre redivivo — dum nuper de transmarinis partibus ad istas pervenit regiones — locutus sum; et ille mihi stupendas visiones, quas, extra corpus suum raptus, in spiritu vidit, proprio exposuit sermone.

Dicebat quippe, se per[a] violentis egritudinis dolorem corporis gravedine[b] subito exutum fuisse. Et simillimum esse collatione, veluti si videntis et vigilantis hominis oculi densissimo tegmine velentur; et subito auferatur velamen, et tunc perspicua sint omnia, quae antea[c] non visa et velata et ignota fuerunt. Sic sibi, abiecto terrenae[d] velamine carnis, ante conspectum universum collectum fuisse mundum: ut cunctas terrarum partes et populos et maria sub uno aspectu contueretur. Et tam magnae claritatis et splendoris angelos eum, egressum de corpore, suscepisse, ut nullatenus pro nimio splendore in eos aspicere potuisset. Qui iucundis et consonis vocibus canebant: *Domine, ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripias me*[1].

Et sublevabant me — dixit — *in aera*[e] *sursum. Et in circuitu totius mundi ignem ardentem videbam et*[f] *flammam inmensae magnitudinis anhelantem et terribiliter ad superiora ascendentem, non aliter pene quam ut sub uno globo totius mundi machinam conplectentem, nisi eam sanctus angelus, inpresso signo sanctae crucis Christi, conpesceret. Quando enim in obviam minacis flammae signum crucis Christi expresserat, tunc flamma magna ex parte decrescens resedit. Et istius flammae terribili ardore intollerabiliter torquebar; oculis maxime ardentibus et splendore fulgentium spirituum vehementissime reverberatis; donec splendidae visionis angelus manus suae inpositione caput meum quasi protegens tangebat et me a lesione flammarum tutum reddidit.*

Praeterea referebat: illo in temporis spatio, quo extra cor-

a. super *C pro* se per. b. gravidine *V.* c. ante *M.* d. tetrae *V.* e. Et sublevabant me in aere dixit sursum *M.* f. et *om. C.*

1. Ps. 37, 2.

pus fuit, tam magnam animarum migrantium de corpore multitudinem illuc, ubi ipse fuit, convenisse, quam totius humani generis in terris non fuisse antea existimaret. Innumerabilem quoque malignorum spirituum turbam nec non et clarissimum chorum supernorum angelorum adfuisse, narravit. Et maximam inter[a] se miserrimos spiritus et sanctos angelos de animabus egredientibus de corpore disputationem habuisse, daemones accusando et peccatorum pondus gravando, angelos vero relevando[b] et excusando. 717—718

Et se ipsum audisse, omnia flagitiorum suorum propria peccamina[c] — quae fecit a iuventute sua et ad confitendum aut neglexit aut oblivioni tradidit vel, ad peccatum pertinere, omnino nesciebat — ipsius propria voce contra illum clamitasse et eum dirissimę accusasse. Et specialiter unum quodque vitium quasi ex sua persona in medium se obtulisse, dicendo quoddam: *Ego sum cupiditas tua, qua*[d] *inlicita frequentissime et contraria praeceptis Dei concupisti;* quoddam vero: *Ego sum vana gloria, qua te apud homines iactanter exaltasti;* aliud: *Ego sum mendacium, in quo mentiendo peccasti;* aliud: *Ego sum otiosum verbum, quod inaniter locutus fuisti;* aliud: *Ego visus, quo videndo inlicita peccasti;* aliud: *Ego contumacia et inoboedientia, qua senioribus spiritalibus inoboediens fuisti;* aliud: *Ego torpor et desidia in sanctorum studiorum neglectu;* aliud: *Ego vaga cogitatio et inutilis cura, qua te supra modum sive in ecclesia sive extra ecclesiam occupabas;* aliud: *Ego somnolentia, qua oppressus tarde*[e] *ad confitendum*[f] *Deo surrexisti;* aliud: *Ego iter otiosum*[g]*;* aliud: *Ego sum neglegentia et incuria, qua detentus erga studium divinae lectionis incuriosus fuisti;* et cetera his similia. Omnia, quae in diebus vitae suae in carne conversatus peregit et confiteri neglexit, multa quoque, quae ad peccatum pertinere omnino ignorabat, contra eum cuncta terribiliter vociferabant. Similiter et maligni spiritus, in omnibus consonantes vitiis, accusando et duriter testificando et loca et tem-

a. intra *MC*. b. revelando *M*. c. peccata *C*. d. quae *MV*. e. tarda *C*. f. consistendum *C*. g. otisum *M*.

717—718 pora nefandorum actuum memorantes, eadem, quae peccata dixerunt, conclamantes probabant. Vidit quoque ibi hominem quendam, cui, iam in seculari habitu degens, vulnus inflixit — quem adhuc in hac vita superesse referebat — ad testimonium malorum suorum adductum; cuius cruentatum et patens vulnus et sanguis ipse, propria voce clamans, inproperabat et inputabat ei crudele effusi sanguinis crimen. Et sic cumulatis et conputatis sceleribus, antiqui hostes adfirmabant: eum, reum peccatorem, iuris eorum et condicionis indubitanter fuisse.

E contra autem — dixit — *excusantes me, clamitabant parve virtutes animae, quas ego miser indigne et inperfecte peregi. Quaedam dixit*[a]*: „Ego sum oboedientia, quam senioribus spiritalibus exhibuit“; quaedam: „Ego sum ieiunium, quo corpus suum contra desiderium carnis pugnans castigavit“; alia*[b]*: „Ego oratio pura, quam effundebat in conspectu Domini“; alia: „Ego sum*[c] *obsequium infirmorum, quod clementer egrotantibus exhibuit“; quaedam: „Ego sum psalmus, quem pro otioso sermone satisfaciens Deo cecinit“. Et sic una queque virtus contra emulum suum peccatum, excusando me, clamitabat. Et has illi inmensae claritatis angelici spiritus magnificando, defendentes me, adfirmabant. Et istae virtutes universae valdę mactae*[d] *et multo maiores et excellentiores*[e] *esse mihi videbantur, quam umquam viribus meis digne perpetrate fuissent.*

Inter ea referebat, se, quasi in[f] inferioribus, in hoc mundo vidisse igneos puteos horrendam eructantes flammam plurimos. Et erumpente tetra[g] terribilis flamma[h] ignis, volitasse et miserorum hominum spiritus in similitudine nigrarum avium per flammam, plorantes et ululantes et verbis et voce humana stridentes, et lugentes[i] propria merita et praesens supplicium; consedisse paululum, herentes in marginibus puteorum; et iterum heiulantes cecidisse in puteos. Et unus ex angelis dixit: *Parvissima haec requies indicat, quia omnipotens Deus in die*

a. dicit *MCV.* b. aliae *MV.* c. *om. CV.* d. mactae *CV, corr. in* actae *M.* e. excellentiones *C.* f. *om. M.* g. tetra *MV,* terra *C.* h. flammā *C.* i. humanam strindente lugentes *V.*

futuri iudicii his animabus refrigerium[a] *supplicii et requiem perpetuam praestiturus*[b] *est.* 717—718

Sub illis autem puteis, adhuc in inferioribus et in imo profundo, quasi in inferno inferiori, audivit horrendum et tremendum et dictu difficilem gemitum et fletum lugentium animarum. Et dixit ei angelus: *Murmur et fletus, quem in inferioribus audis, illarum est animarum, ad quas numquam pia miseratio Domini perveniet; sed aeterna illas flamma sine fine cruciabit.*

Vidit quoque mire amoenitatis[c] locum, in quo pulcherrimorum hominum gloriosa multitudo miro laetabatur gaudio; qui eum invitabant, ut ad eorum gaudia, si ei licitum fuisset, cum eis gavisurus, veniret. Et inde mirae dulcedinis fraglantia[d] veniebat; quia[e] beatorum alitus fuit ibi congaudentium spirituum. Quem locum sancti angeli adfirmabant famosum esse Dei paradisum.

Nec non et igneum[f] piceumque flumen, bulliens et ardens, mirae formidinis et teterrimae visionis cernebat[g]. Super quod lignum, pontis vice, positum erat. Ad quod sanctae gloriosaeque animae, ab illo secedentes conventu, properabant, desiderio alterius ripae transire cupientes. Et quaedam non titubantes constanter transiebant. Quaedam vero labefactae de ligno cadebant in Tartareum flumen; et aliae tinguebantur pene, quasi toto corpore mersae; aliae autem ex parte quadam, veluti quedam[h] usque ad genua, quaedam usque ad corpus[i] medium, quaedam vero usque ad ascellas[k]. Et tamen una quaeque cadentium multo clarior speciosiorque de flumine in alteram ascendebat ripam, quam prius in piceum bulliens cecidisset flumen. Et unus ex beatis angelis de illis cadentibus animabus dixit: *Hae*[l] *sunt animae, quae post exitum mortalis vitae, quibusdam levibus vitiis non omnino ad purum abolitis, aliqua pia miserentis Dei castigatione*[m] *indigebant, ut Deo dignae offerantur.*

Et citra illud flumen speculatur muros fulgentes clarissimi

a. refregerium *M.* b. praestaturus *MC.* c. admoenitatis *M.* d. flagrantia *MV.* e. quae *V,* quae a *M.* f. ignem *C.* g. cernebant *M.* h. quedam *om. MV.* i. corpus *scripsi pro* genua *codd. MCV.* k. ascella *M,* ascellas *CV.* l. Haec *MV.* m. correctione *C,* cogitatione *V.*

717—718 splendoris, stupendae longitudinis et altitudinis inmensae. Et sanctos angelos dixisse: *Haec est enim illa sancta et inclita civitas, caelestis Hierusalem, in qua istae perpetualiter sanctae gaudebunt animae.* Illas itaque animas et istius gloriosae civitatis muros, ad quam post transitum fluminis festinabant, tam magna inmensi luminis claritate et fulgore splendentes esse dixit, ut, reverberatis oculorum pupillis, pro nimio splendore in eos nullatenus aspicere potuisset.

Narravit quoque, ad illum conventum inter alias venisse cuiusdam hominis animam, qui in abbatis officio defunctus est; quae speciosa nimis et formosa esse visa est. Quam maligni spiritus rapientes contendebant sortis eorum et condicionis fuisse. Respondit ergo unus ex choro angelorum dicens: *Ostendam*[a] *vobis cito, miserrimi spiritus, quia vestrae potestatis anima illa probatur non esse.* Et his dictis, repente intervenit magna cohors[b] candidarum animarum, quae dicebant: *Senior et doctor noster fuit iste, et nos omnes suo magisterio lucratus est Deo; et hoc pretio redemptus est, et vestri iuris non esse dinoscitur,* et[c] quasi cum angelis contra daemones pugnam inirent. Et adminiculo angelorum eripientes illam animam de potestate malignorum spirituum liberaverunt. Et cum increpans angelus daemones dixit: *Scitote modo et intellegite, quod animam istam sine iure rapuistis; et discedite, miserrimi spiritus, in ignem aeternum.* Cum vero hoc dixisset angelus, ilico maligni spiritus levaverunt fletum et ululatum magnum; in momento et quasi in ictu oculi[1] pernici volatu iactabant se in supra dictos puteos ignis ardentis; et post modicum intervallum emersi, certantes in illo conventu iterum de animarum meritis disputabant.

Et diversorum merita hominum, in hac vita commorantium, dicebat se illo in tempore speculari potuisse. Et illos, qui sceleribus obnoxii non fuerunt et qui, sanctis virtutibus freti, propitium omnipotentem Deum habuisse noscebantur, ab angelis semper tutos ac defensos, et eis caritate et propinquitate con-

a. Ostendemus *C.* b. choors *MV.* c. et *inductum est in C.*

1. 1 Corinth. 15, 52: „In momento, in ictu oculi".

iunctos fuisse. Illis vero, qui nefandis criminibus et maculate vitae sordibus polluti fuerunt, adversarium spiritum adsiduę sociatum et semper ad scelera suadentem fuisse; et quandocumque verbo vel facto peccaverint[a], hoc iugiter quasi ad laetitiam et gaudium aliis nequissimis spiritibus in medium proferens manifestavit. Et quando homo peccavit, nequaquam malignus spiritus sustinuit moram faciens expectando, donec iterum peccaret; sed singillatim unum quodque vitium ad notitiam aliorum spirituum offerebat. Et subito apud hominem peccata suasit, et ilico apud daemones perpetrata demonstravit. 717—718

Inter ea narravit, se vidisse puellam quandam in hac terrena vita, molantem[b] in mola[c]. Quae vidit iuxta se iacentem alterius novam colum sculptura variatam; et pulchra ei visa fuit, et furata est illam. Tunc, quasi ingenti gaudio repleti, quinque teterrimi spiritus hoc furtum aliis in illo referebant conventu; testificantes, illam furti ream et peccatricem fuisse. Intulit quoque: *Fratris cuiusdam, qui paulo ante defunctus est, animam tristem ibi videbam. Cui antea ipse in infirmitate exitus sui ministravi et exsequias[d] prebui; qui mihi moriens praecepit[e], ut fratri illius germano, verbis illius testificans, demandarem, ut ancillam quandam, quam in potestate communiter possederunt[f], pro anima eius manu mitteret. Sed germanus eius, avaritia impediente, petitionem eius non implevit[g]. Et de hoc supra dicta anima per alta suspiria accusans fratrem infidelem, et increpans graviter querebatur[h].*

Et similiter testatus est de Ceolredo rege Mercionum[1], quem illo tamen tempore, quo haec visa sunt, in corpore fuisse non dubium est[2]. Quem, ut dixit, videbat angelico quodam umbraculo contra impetum daemoniorum, quasi libri alicuius magni extensione et superpositione, defensum. Ipsi autem[i] daemones anhelando rogabant angelos: ut, ablata defensione illa, ipsi per-

a. peccaverunt *MC.* b. molantem *MV, corr. in* molentem *C.* c. im mola *M.* d. exsequia *MV, corr. in* exequias *C.* e. precipit *V.* f. possiderunt *V.* g. implebit *V.* h. quaerebatur *MV.* i. *om. MC.*

1. 709—716. V. Bedae epitome hist. eccl., Opp. ed. Giles III 306.
2. itaque visio haec ante annum 717 facta esse fertur.

717—718 mitterentur crudelitatis eorum voluntatem in eo exercere. Et inputabant ei horribilem ac nefandam[a] multitudinem flagitiorum; et minantes dicebant, illum sub durissimis inferorum claustris claudendum et ibi, peccatis promerentibus, aeternis tormentis[b] cruciandum esse. Tunc angeli solito tristiores facti dicebant: *Pro dolor: quod homo peccator iste semet ipsum plus defendere non permittit; et ob ipsius[c] propria merita nullum ei adiutorium possumus prebere.* Et auferebant superpositi tutaminis defensionem. Tunc daemones gaudentes et exultantes, de universis mundi partibus congregati maiori multitudine, quam omnium animantium in saeculo fieri aestimaret, diversis eum tormentis inaestimabiliter fatigantes lacerabant.

Tum demum beati angeli praecipiebant ei, qui haec omnia, extra corpus suum raptus, spiritali contemplatione vidit et audivit: ut sine mora ad proprium rediret corpus; et universa, quae illi ostensa fuerunt, credentibus et intentione divina interrogantibus manifestare non dubitaret, insultantibus autem narrare denegaret; et ut cuidam mulieri, quae inde in longinqua regione habitabat, eius perpetrata peccata per ordinem exponeret et ei intimaret, quod omnipotentem Deum potuisset per satisfactionem repropitiari sibi, si voluisset; et ut cuidam presbitero nomine Beggan istas spiritales visiones cunctas exponeret[d] et postea, quemadmodum ab illo instructus fieret[e], hominibus pronuntiaret; propria quippe peccata, quae illi ab spiritibus inmundis inputata fuerunt[f], confessa, supra dicti presbiteri iudicio emendaret; et ad indicium angelici praecepti presbytero testificaretur[g], quia[h] iam per plurimos annos zonam ferream circa lumbos, nullo hominum conscio, amore Domini cogente, habuerat.

Proprium corpus dicebat se, dum[i] extra fuerat, tam valde perhorruisse[k], ut in omnibus illis visionibus nihil tam odibile, nihil tam despectum, nihil tam durum foetorem evaporans, ex-

a. nefandum *M.* b. dormientibus *corr. in* doloribus *M;* tormentibus *corr. in* tormentis *C,* dormentibus *V.* c. et ouib *M,* et obius *corr. in* ob eius *C.* d. exponere *V.* e. fie *V.* f. f. *V.* g. testificari *MV, corr. in* testificaretur *C.* h. qui *MV, corr. in* quia *C.* i. fedum *M pro* se dum. k. perhorruisset *V,* quod perhorruisset *M.*

ceptis demonibus et igne flagrante[a], videret, quam proprium corpus. Et fratres eius conservos, quos intuitus est exsequias corporis sui clementer exhibere, ideo perhorruit, quia invisi corporis curam egerunt. Iussus tamen ab angelis, primo diluculo redit ad corpus. Qui primo gallicinio exiebat de corpore. Redivivo autem[b] in corpore plena septimana nihil omnino corporalibus oculis videre potuit, sed oculi, vesicis[c] pleni, frequenter sanguine stillaverunt. 717—718

Et postea de presbytero relegioso et peccatrice muliere sicut ei ab angelis manifestatum est, ita, illis profitentibus, verum esse probavit. Subsequens autem et citus scelerati regis[1] exitus, quae de illo visa fuerunt vera esse, procul dubio probavit.

Multa alia et his similia referebat sibi ostensa fuisse, quae de memoria labefacta per ordinem recordari nullatenus potuisset. Et dicebat, se post istas mirabiles visiones tam tenacem memoriae non fuisse, ut ante fuerat.

Haec autem[d] te diligenter flagitante scripsi, quae[e] tribus mecum relegiosis et valde venerabilibus fratribus in commune audientibus exposuit; qui mihi in hoc scripto adstipulatores fideles testes esse dinoscuntur.

Vale; verae virgo vitae ut et vivas angelicae,
recto rite et rumore regnes semper in aethere
Christum[f].

---

11. *Daniel episcopus Vintoniensis Wynfrithum presbyterum omnibus commendat*[g]. (S 33, WG 1)

Piissimis ac clementissimis regibus, ducibus universis, re- 718
verentissimis et dilectissimis episcopis, relegiosis nec non abbatibus, presbiteris, et spiritalibus filiis Christi nomine consignatis Daniel[h] [2] Dei famulorum famulus.

a. fraglante *V.* b. ħ *V.* c. fisicis *VM, corr. in* vesicis *C.* d. *sequitur* quae *MCV.* e. quod *M*, quae *C,* quo *V.* f. xp̄m *MCV.* g. *ex M* 67*v*—68, *Ca* 51*v*—52, *Cb* 108—108*v*, *V* 19*v*—20. *Cum his lemmatibus:* Epistola Danielis *M;* Epistola Danielis episcopi, sancto Bonifatio in omnibus causis oboediendum *Ca;* Epistola Danielis episcopis ducibus directa *Cb;* Item epistola Daniheli *V.* h. Danihel *M.*

1. Ceolredi. 2. ep. Vintoniensis 705—746. Chronica de Mailros (Edinburgi 1835 p. 4) 746: „obiit Daniel episcopus Wincestriae“.

718 Dum universis fidelibus devotione sincerissima Dei mandata sunt observanda, quantum sit hospitalitatis munus quamque acceptabile Deo[a] humanitatis officium viantibus exhibere, sanctis scripturis attestantibus demonstratur. Dum et beatus Abraham propter hospitalitatis misericordiam sanctorum angelorum praesentiam suscipere meruit et venerando eorum colloquio perpotiri[1]. Loth quoque per huiusmodi ministerium[b] pietatis de Sodomorum flammis ereptus est[2]; salvavit[c] eum hospitalitatis gratia de flammarum interitu, mandatis caelestibus obsequentem. Ita et vestrae dilectioni proveniet ad salutem[d], dum, horum portitorem relegiosum presbiterum Deique omnipotentis famulum suscipientes[e] Wynfrithum[f], caritatem ei[g], quam Deus et diligit et precipit, exhibetis. Recipientes ergo Dei famulos, eum recipitis, cuius maiestati deserviunt[h] ita[i] pollicenti[k]: *Qui vos recipit, me recipit*[3]. Haec itaque cum cordis devotione facientes, et Dei mandata peragitis et, de divinae promissionis oraculo confidentes, mercedem apud eum habebitis[4] sempiternam. Incolumem eminentiam vestram superna gratia custodiat.

---

12. *Gregorius II papa Bonifatio dat mandatum, ut paganos ad Christi cultum convertat*[l]. (S 118, WG 2)

719 Mai. 15 Gregorius servus servorum Dei Bonifatio relegioso presbitero.

Exigit manifestata nobis relegiosi propositi tui, pie in Christo flagrantis, intentio et adprobata sincerissima fidei tuae perlata relatio: ut ad dispensationem verbi divini, cuius per gratiam Dei curam gerimus, te conministro utamur. Experientes proinde, te ab infantia sacras litteras didicisse[5] profectusque indolem ad augmentum crediti caelitus talenti[6] prospectu divini amoris extendere, videlicet gratiam cognitionis caelestis oraculi in laborem

a. Deo *om. Cb.* b. mysterium *MV, corr. in* ministerium *Ca, Cb.* c. salvabit *MV;* enim *add. Cb.* d. ad salutem *om. Ca.* e. suscipientem *MV.* f. Wynfridum *M, Ca.* g. dei *M.* h. deservire cernuntur *Cb;* decernunt *corr. in* deserviunt *V.* i. ipso *add. Cb.* k. pollicentem *Ca,* pollicente *Cb.* l. *ex M* 1*v*—2*v*. *Sine lemmate.*

1. Genes. 18, 2 squ. 2. Genes. 19, 1 squ. 3. Matth. 10, 40. 4. cf. Matth. 10, 42. 5. 2 Timoth. 3, 15: „et quia ab infantia sacras litteras nosti". 6. Cf. Matth. 25, 15 squ.

salutiferae praedicationis — ad innotescendum gentibus incredulis mysterium fidei — instanti conatu expendere; conlaetamur fidei tuae et adiutores effici cupimus[a] gratiae praerogatae. Idcirco, quia praemissi conatus pium affectum usque ad apostolicae sedis modesta praevisione perduxisti consultum — ut, membrum ex membro[1], proprii corporis caput requirens, motum mentis probares; capitisque arbitrio[b] humiliter te submittens, eius directioni iusto tramite properans, solidati conpaginis plenitudo exsistas — ideo in nomine indivisibilis Trinitatis per inconcussam auctoritatem beati Petri apostolorum principis, cuius doctrinae magisteriis dispensatione fungimur et locum sacrae sedis amministramus, modestiam tuae relegionis instituimus. Atque praecipimus: ut in verbo gratiae Dei — quo igne salutifero, quem mittere Dominus venit in terram[2], enitere[c] videris — ad gentes quascumque infidelitatis errore detentas properare Deo comitante[d] potueris, ministerium regni Dei per insinuationem nominis Christi domini dei nostri veritatis suasione designes et per spiritum virtutis et dilectionis ac sobrietatis praedicationem utriusque testamenti mentibus indoctis consona ratione transfundas. Disciplinam denique sacramenti, quam ad initiandos Deo praevio credituros tenere studeas, ex formula officiorum sanctae nostrae apostolicae sedis — instructionis tuae gratia, praelibata — volumus ut intendas. Quod vero actioni susceptae tibi deesse perspexeris, nobis, ut valueris, intimare curabis. Bene vale. Data Id. Maii, imperante domno piissimo augusto Leone a Deo coronato magno imperatore anno tertio, post consulatum eius anno tertio[e], indictione secunda.

719 Mai. 15

---

13. *Egburg Wynfrido scribit de orbitate venerationeque erga eum sua. Petit, ut pro se precetur*[f]. (S 101, WG 33)

Abbate[g3] sancto veroque amico, iure ac merito honorando, 716—722
divinae scientiae ac relegionis gratia repleto Wynfrido[h] Egburg[i]

a. cupimur *M.* b. arbritrio *M.* c. eniteri *M.* d. comittente *M.* e. post consulatum — tertio *scripsi pro* imperii eius *M. Vid. supra p.* 17. f. *ex M* 120*v*—122, *C* 95*v*—97*v*, *V* 64—65. *Sine lemmate.* g. *sic codd.* h. Winfrido *MC*, Wynfrido *V.* i. Egburg *MC*, Eggburg *V.*

1. 1 Corinth. 12, 27: „Vos autem estis corpus Christi et membra de membro". 2. Luc. 12, 49. 3. i. e. patri. Cf. Marc. 14, 36.

716—722 ultima discipulorum seu discipularum tuarum[a] aeternam[b] in Domino sospitatis salutem.

Karitatis tuae copulam[c] fateor[d]; ast dum per interiorem hominem gustavi, quasi quiddam[e] mellitae dulcedinis meis visceribus hic sapor insidet. Et licet interim, ut nancta[f] sum, ab aspectu[g] corporali visualiter defraudata sim, sororis tamen semper amplexibus collum tuum constrinxero. Quam ob rem, mi amande, iam olim frater, nunc autem ambo pariter in Domino dominorum: abba atque frater appellaris[h]. Quia, postquam a me separavit amara mors et crudelis illum, quem supra omnes alios amare consueveram, germanum meum Osherem[i], te poene ceteris omnibus masculini sexus caritatis amore praeferebam. Et ne diutius varie verba protelarem[k], non volvitur[l] dies neque nox elabitur ulla sine memoria magisterii tui. Idcirco crede mihi, Deo teste: quia te summo conplector amore. Et de te confido, quod numquam inmemor sis illius amicitiae, quam cum fratre meo te, certum fuit, habere. Ego autem, licet scientia tardiora meritis viliora[m] illo sim, tamen erga tuae caritatis obsequium dispar non sum. Et quamvis temporum series ocius[n] currendo decrescerit[o], meroris tamen numquam me nebula atra deseruit. Sed maiorum[p] spatia[q] temporum[r] maiorum[s] mihi addiderunt lucra iniuriarum, ut scriptum est: *Amor hominis deducit dolorem, amor autem Christi inluminat cor.* Et postquam mihi simul carissima soror Wethburg[t], quasi inflicto vulnere iteratoque dolore, subito ab oculis evanuit, cum qua adolevi[u] cum qua adoravi idem nutricium[v] sinus; una mater ambobus in Domino et dereliquid; Iesum testor: ubique dolor, ubique pavor, ubique mortis imago[1]. Malui mori, si sic Deo

a. *om. C.* b. *om. M.* c. culpam *MC*, copulam *V.* d. *sic codd.* e. quidtam *M.* f. *corr. in* nacta *C.* g. abspectu *M, corr. in* aspectu *C;* ab aspectu *V.* h. apellaris *V.* i. Oserem *M.* k. *corr. in* protelem *C.* l. volbitur *V.* m. *corr. in* tardior — vilior *C.* n. serier occius *V.* o. *corr. in* decreverit *C.* p. maiora *C.* q. maiori spatio *M.* r. tempore *V.* s. maiora *M*, maiorum *CV.* t. Wethburg *M*, Vivethburg *C*, Wiecthburg *V.* u. cumque adolevit *C.* v. nutricum *codd.*

1. Virg. Aen. II 369. 370: „Crudelis ubique
Luctus, ubique pavor, et plurima mortis imago“.

auspice cui arcana non latent placuisset, vel tarda mors non tricaverit. Sed quid dicam nunc? Ante inprovida tandem nos non amara mors sed amarior divisio separavit ab invicem; illam, ut reor, felicem; me vero infelicem, quasi quoddam depositum, huic saeculo servire permisit, sciens enim, quantum illam dilexi, quantum amavi, quam nunc, ut audio, Romana[a] carcer includit. Sed amor Christi, qui in eius pectore viruit floruitque, omnibus vinculis fortior et validior est, et perfecta caritas foras[b] mittit timorem[1]. En, inquam, ille superi rector olimpi ineffabili gratulatur tripudio, qui taliter te doctrina exornat divina; et in lege eius die noctuque meditaberis[c][2]; ut scriptum est: *Quam speciosi pedes euangelizantium, euangelizantium autem bona*[3]. Illa arduam et arctam iam greditur[d] callem; ego autem adhuc in infimis, lege carnali ceu quadam compede praepedita, iaceo. Illa gratulabunda in iudicio futuro pariter cum Domino decantans dicit: *In carcere fui, et visitastis me*[4]. Tu autem in regeneratione[e], cum sederint[f] duodecim apostoli in sedibus duodecim[5], sedebis et ibi; et quantos labore proprio adquesieris[g], de tantis ante tribunal aeterni regis, dux futurus deauratus, gaudebis. Ego autem adhuc in valle lacrimarum, ut emeritum est, lugeo propria peccata, eo quod talibus me indignam fecisset Deus adherere comitibus. Quapropter, crede mihi, non sic tempestate iactatus portum nauta desiderat, non sic sitientia imbres arva desiderant, non sic curvo litore anxia filium mater expectat, quam ut ego visibus vestris fruere[h] cupio. Sed quia, peccatis meis exigentibus et innumeris delictis adgravata, ut hoc evenire[i] queat, ut ab inminentibus periculis absoluta sim, in disperationem deducta sum; idcirco ego peccatrix, vestigiis celsitudinis tuae[k] provoluta, ex intimis precordiorum[l] penetra- 716—722

a. Romana *MV, corr. in* Romanus *C.* b. foris *M,* foras *C,* foras *corr. in* foris *V.* c. meditaveris *MV; corr. in* meditaris *C.* d. greditur *MV, corr. in* graditur *C.* e. regeratione *M.* f. sederit *M,* sederint *C,* sedent *V.* g. adquesieris *MV, corr. in* adquisieris *C.* h. fruere *corr. in* frui *MC;* fruere *V.* i. venire *C.* k. tui *V.* l. precordiarum *M.*

1. 1 Ioh. 4, 18. 2. Ps. 1, 2: „Et in lege eius meditabitur die ac nocte". 3. Rom. 10, 15. 4. Matth. 25, 36. 43. 5. V. Matth. 19, 28.

716—722 libus inplorans, a finibus terrae ad te clamavi, o beatissime domine, dum anxie requirit cor meum: ut in petra[a] orationum, tuarum exaltabis me[1]; quia factus es spes mea, turris fortitudinis a[b] facie visibilis et invisibilis inimici[2]. Et ut[c] ad consolationem inmensi doloris, ad sedandam meroris undam, obsecro, ut tuo suffragio mea fragilitas quasi quibusdam sustentaculis, ut non prorsus corruat, fulciatur. Similiter supplex rogito, ut mihi aliquod solacium, vel in reliquiis sanctis vel paucula saltim per scripta beatitudinis tue[d] verba, distinare digneris; ut in illis tuam praesentiam semper habeam. Vale iugiter prosperis successibus, vivens Deo, terque quaterque interpellans pro me.

Ego autem similiter Ealdbeorcth[e] pauperculus Christi in Domino cum omni affectu saluto te. Deprecor te, ut illius amicitiae, quam olim spopondisti, in tuis deificatis orationibus recorderis; et licet corpore separemur, tamen recordatione iungamur.

---

14. *Eangyth abbatissa et Heaburg Wynfritho de litteris missis gratias agunt. De sua fortuna adversa Romamque eundi desiderio. Denewaldum commendant*[f]. (S 38, WG 30)

719—722 Benedicto in Deo in fide ac dilectione venerabili Wynfritho[g] cognomento Bonifacio, presbiteratus privilegio[h] praedito et virginalis castimoniae floribus velut liliarum[i] sertis coronato nec non doctrinae scientia erudito, Eangyth, indigna ancilla ancillarum Dei et nomine abbatissae sine merito functa, et unica filia eius Heaburg[k] cognomento Buggae[l], in sancta Trinitate aeternam salutem.

Ad referendas gratias amplitudinis et dilectionis, qua transmarinis litteris per gerulum scedarum pietatis tuae transmisisti, nullus oris nostri sufficit sermo. Gratulandum est, si vera

a. ut in petra *MV, corr. in* in penetralibus *C.* b. et *M.* c. ut *deletum est in C.* d. tui *M.* e. Ealdbeorach *M,* Ealdbeorah *C,* Ealdbeorcth *V.* f. *ex M* 107—110*v, C* 86*v*—88*v, V* 21*v*—23*v. Lemma:* Item epistola Eanguthi *M,* I. e. Eanguthae *C,* I. e. Eangythi *V.* g. Wynfrido *M,* Winfritho *C.* h. privileio *M.* i. *corr. in* liliorum *C.* k. Haeaburg *M.* l. Bugge *M.*

1. Ps. 60, 3. 2. V. Ps. 60, 4.

laus est qua laudati sumus; timendum est valde, ne[a] magis vituperatio sit non merita laus quam laudatio. 719—722

Amantissime frater, spiritalis magis quam carnalis, et spiritalium gratiarum munificentia magnificatus, tibi soli[b] indicare voluimus[c] et Deus solus testis est nobis, quas cernis interlitas lacrimis: quod multis miseriarum molibus, velut gravissima sarcina aut pressura premente[d], depressi[e] sumus[f] et saecularium rerum tumultibus. Tamquam spumosi maris vortices verrunt[g] et vellunt[h] undarum cumulos, conlisos[i] saxis, quando ventorum violentia et procellarum tempestates saevissime enormem[k] euripum inpellunt, et cymbarum carinae sursum inmutate et malus[l] navis deorsum duratur[m], haut secus animarum nostrarum naviculae magnis miseriarum machinis et multifaria[n] calamitatum quantitate quantiantur et, velud veritatis voce de euangelica domo dicitur: *Descendit pluvia, venerunt flumina, flaverunt venti et inpegerunt*[o] *in domum illam*[1] et reliqua.

Igitur primum omnium ponitur et super omnia alia, quae illa exterius accendunt[p] memorata, innumerabilium concatenatio criminum et nullius boni plena et perfecta fiducia. Et non tantum recordatio animarum nostrarum, sed — quod difficilius[q] est et multo gravius — quod universarum commissarum animarum promiscui sexus et aetatis. Et multorum mentibus et diversis moribus deservituræ, et postea ante sublime tribunal Christi rationem reddituræ non solum pro manifestis peccatis gestorum sive dictorum, sed simul pro occultis cogitationibus quae homines latent, Deo tantum teste; et cum simplici acie[r] adversus duplicem et cum decem milibus adversus viginti milia duellium ducturae[2]. Et additis animabus nostris, additur interea domesticae rei difficultas et disputatio diversarum discordiarum, quas seminat omnium bonorum invisor; qui rancida

a. me *M.* b. sol *M.* c. noluimus *M.* d. permente *M.* e. deperri *M,* depresse *C.* f. simus *C.* g. verrant *MC.* h. vellunt *scripsi pro* velud *codd.* i. conlisas *codd.* k. inormem *V.* l. malis *M.* m. *corr. in* ducatur *C.* n. multifariae *M.* o. inpingerunt *MV, corr. in* inpegerunt *C.* p. accedunt *V.* q. difficili ius *V.* r. aciae *M.*

1. Matth. 7, 25. 27. 2. Cf. Luc. 14, 31.

719—722 corda virorum inficit malitia, et inter omnes homines spargit, maxime per monasticos et monachorum contubernia; et scit, quia potentes potenter tormenta patiuntur[a] [1].

Angit praeterea paupertas et penuria rerum temporalium, et angustia cespitis ruris nostri; et infestatio regalis, quia accusamur[b] apud eum ab his, nobis qui invident[c], ut quidam sapiens ait: *Fascinatio et invidia obscurat multa bona*[2]. Similiter servitium regis et reginae, episcopi et praefecti et potestatum et comitum; quae omnia enumerare longum est, et facilius possunt[d] mente tractari quam sermone.

Additur his omnibus miseriis amissio[e] amicorum et contribulium caterva propinquorum et consanguineorum[f] turba. Non habemus filium neque fratrem, patrem aut patruum; nisi tantum unicam filiam, penitus destitutam[g] omnibus caris in hoc saeculo, praeter unam tantum sororem eius et matrem valde vetulam, et filium fratris earum, et illum valde infelicem propter ipsius mentis[h] et quia rex noster eius gentem multum exosam habet. Et nullus est alius, qui noster sit necessarius; sed diversis casibus transtulit illos Deus. Alii obierunt in patrio solo; et corpora eorum in terrae pulvere squalente requiescunt, iterum resurrectura in die necessitatis, quando herilis tuba concrepat et omne[i] humanum genus atris tumbis[k] emergerit[l], rationem redditura, et spiritus eorum, angelicis ulnis evecti, regnaturi cum Christo; ubi omnis dolor deficiet et invidia fatescit et fugiet dolor et gemitus a facie sanctorum. Ast alii patria litora reliquerunt et aequoreis campis se crediderunt et sanctorum petivere apostolorum limina Petri et Pauli et multorum martyrum, virginum atque confessorum, quorum numerum et nomina Deus scit.

Pro his omnibus et huiuscemodi causis, que vix uno die

a. patuntur *MC.* b. accussamus *MV.* c. qui invident *om. M, lacuna relicta.* d. possunt *om. M, relicta lacuna.* e. *sic codd. pro* amissa. f. consanguinum *M, corr. in* consanguineorum *C;* consanguinium *V.* g. destituam *M,* destitutum *V.* h. meritis *V.* i. omne *om. MC.* k. tumbus *M.* l. *corr. in* emerserit *C.*

1. Sap. 6, 7. 2. Cf. Sap. 4, 12.

enumerari possunt, quamvis, ut dicitur, Sextilis aut Quintilis 719—722
tempora protelent aestatis, tedebit[a] nos vitae nostrae et pene nobis pertesum[b] est vivere. Omnis homo, in sua causa deficiens et in suis consiliis[c] diffidens, querit sibi amicum fidelem, in cuius consiliis confidat, qui[d] in suis diffidet[e]; et talem fiduciam habeat in illo, ut omnem[f] secretum sui pectoris[g] pandet[h] et aperiat. Et ut dicitur, quid dulcius est, quam habeas illum, cum quo omnia possis loqui ut tecum? Et ideo, pro his dumtaxat omnibus miseriarum necessitatibus, quae lacinioso sermone enumeravimus[i], nobis necessarium fuit, ut quaereremus amicum fidelem et talem, in quem confidamus melius quam in nosmet ipsos[k]; qui dolores nostros et miserias et paupertates suas deputaret, et conpatiens nobis fuisset et consolaret[l] nos et sustentaret eloquiis suis et saluberrimis sermonibus sublevaret. Diu quaesivimus. Et confidimus, quia invenimus in te illum amicum, quem[m] cupivimus[n] et optavimus et speravimus. Et si nobis Deus dedisset, ut per angelum suum — sicut Ambacuc[o][1] prophetam cum prandiis in lacum leonum ad Danielum[p] vatem misit[2] et Philippum unum de septem diaconibus ad eunuchum[3] — in illas terras et in illam peregrinationem possemus[q] pervenire, ubi habitas; et si licuisset nobis viva verba ex ore tuo audire, quam dulcia faucibus meis eloquia tua, domine, super mel et favum ori nostro[4].

Sed quia hoc nostris meritis non meruimus, sed longo intervallo terrae marisque et multarum provinciarum terminis dividimur[r], tamen pro hac fiducia supra memorata notum tibi facere volumus, frater Bonifacius[s]: quia multum temporis fluxit, ex quo desiderium habuimus, sicut plurimi ex necessariis nostris et cognatis sive alienis, dominam[t] quondam[u] orbis Romam pete-

a. dededit *M.* b. pertessum *MCV.* c. conciliis *M.* d. *an* quia? e. *corr. in* diffidit *C.* f. *corr. in* omne *C.* g. pectori *M.* h. *corr. in* pandat *C.* i. enumerabimus *CV.* k. ipsis *V.* l. *corr. in* consolaretur *C.* m. quae *CV.* n. cupimus *MV, corr. in* cupivimus *C.* o. Ambacuc *M, corr. in* Abbacum *C;* Ambacu *V.* p. Danielem *C.* q. possumus *MV, corr. in* possemus *C.* r. dividamus *V.* s. *corr. in* Bonifaci *C.* t. dominamque *MV.* u. quandam *M.*

1. Habacuc (Ἀμβακούμ secundum versionem septuaginta interpretum). 2. Daniel 14, 33. 3. Act. apost. 8, 26. 27. 4. V. Ps. 118, 103.

719—722 remus[a] et ibi peccatorum nostrorum veniam impetremus, sicut alii multi fecerunt et adhuc faciunt; et ego maxime, quae aetate provectior sum et multa pluriora[b] in vita mea commisi et perpetravi. Et huius meae voluntatis atque propositi mihi conscia fuit Wale[c], abbatissa quondam mea et mater spiritalis. Et unica filia adhuc in annis iuvenilibus fuit, et huius rei desiderium querere nescivit. Sed quia[d] scimus, quod multi sunt, qui hanc voluntatem vituperant et hunc amorem derogant et eorum sententiam his adstipulantibus adfirmant: quod canones synodales praecipiant, ut unus quisque in eo loco, ubi constitutus fuerit et ubi[e] votum suum voverit, ibi maneat et ibi Deo reddat vota sua; sed quia universi diversa voluntate vivimus et nobis incerta re[f] et occulta Dei iudicia, sicut ait profeta: *Iustitia tua sicut montes Dei, et iudicia tua abyssus multa*[1], et eius secreta voluntas et dispensatio in hac re nobis[g] valde occulta est, pro his ergo incertis et occultis ambae te supplices atque prostratis vultibus flagitamus: ut sis nobis Aaron, id est mons fortitudinis, orationum[h] tuarum nos suffragio fulcias[i] et dirigas turibulum deprecationum tuarum sicut incensum in conspectu divinitatis, et elevatio manuum tuarum conparetur sacrificio vespertino[2]. Vere enim confidimus in Deum et eius clementiam exoramus, ut per supplicationem oris tui et orationes medullatas ostendat nobis per te, quod profuturum et utile iudicaverit: sive in patrio solo vivere vel in peregrinatione exulare. Similiter postulamus pietatem tuam, ut tua rescripta trans pontum dirigere digneris et respondeas his, quibus in his kartis[k] caraxavimus[l] rustico stilo et inpolito sermone. Quia non[m] multam[n] fiduciam habemus aput eos, qui in facie gloriantur et non in corde[3], set[o] de tua fide et[p] caritate in Deum et dilectione in proximum.

Et illum fratrem — supra memoratum sine[q] nomine — ne-

a. petere *C.* b. *corr. in* multo plura *C.* c. Walę *V.* d. quia *deletum est in C.* e. ibi *MV.* f. re *corr. in* res est *C.* g. vobis *V.* h. *corr. in* orationumque *C.* i. fultis *M, corr. in* fulcias *C*, fultes *V.* k. fartis *MV, corr. in* kartis *C.* l. carexavimus *C.* m. non *om. MV,* superscriptum *est in C.* n. multum *MV.* o. sed *om. MV.* p. et *om. M.* q. sive *MC.*

1. Ps. 35, 7. 2. Ps. 140, 2. 3. 2 Corinth. 5, 12.

cessarium amicum nostrum Denewaldum, si Deus disponat vel decreverit, ut dirigat viam eius in illas partes terrae et peregrinationem illam, in qua habitas, tu illum cum[a] caritate et dilectione suscipias et, si voluntas eius vel desiderium flagitat, cum tua benedictione et gratia et[b] eulogia dirigere digneris ad venerabilem fratrem nomine Berhtheri, presbyteratus[c] gratia decoratum et confessionis titulo notatum[d], qui diu incoluit illam peregrinationem. Vale, frater spiritalis fidelissime atque amantissime et sincera et pura dilectione dilecte[e]; et prosperis successibus polle in Domino dilecto. Amicus diu quaeritur, vix invenitur, difficile servatur. Ora pro nobis, ut non noceant nobis noxarum crimina amara. 719—722

---

15. *Daniel episcopus Vintoniensis Bonifatium docet, quibus rationibus utatur in paganis ad Christi cultum convertendis*[f]. (S 67, WG 14)

Venerando et amando antestiti Bonifacio Daniel[g 1] plebi[h] Dei famulus. 719—722

Quamvis, mi frater consacerdosque[i] carissime, te primam virtutum promereri gaudeam palmam — qui saxea[k] stiriliaque[l] actenus gentilium corda, fidei magnitudine fretus, fiducialiter adgrediendo, vomere euangelicae praedicationis infatigabiliter subigens[m] in glebas fertiles cotidiano labore convertere niteris, ut vere tibi aptari[n] profeticum euangelicumque dictum possit: *Vox clamantis in deserto*[2] et cetera — tamen secundae portio palmae non incongrue ipsis etiam praestabitur, qui tam pio tam[o] salubri operi congratulando quibus valent subsidiis favent[p], eorumque indigentiam conpetentibus amminiculis supplent, quo alacris ceptum praedicationis opus et sequentes Christo generare filios studeant.

a. *om. MC.* b. et *deletum est in C.* c. presbiteratis *MV, corr. in* presbyteratus *C.* d. decorato — notato *MV, corr. in* decoratum — notatum *C.* e. dilectis *MCV.* f. *ex Ma* 79*v* — 81*v*, *Mb* 113*v* — 116, *C* 62 — 63*v*, *V* 36*v* — 38. *Lemma:* Item epistola Danielis *Ma Mb C;* Item epistola Dauihelis *V.* g. Danihel *V.* h. plebis *C.* i. consacerdotesque *Mb.* k. saxa *MaC.* l. steriliaque *Mab.* m. subiens *C.* n. apatri *Ma.* o. *corr. in* tamque *C.* p. fabent *MaV, corr. in* favent *C;* fabunt *Mb.*

1. episcopus Vintoniensis. 2. Isai. 40, 3; Matth. 3, 3.

719—722 Unde et devota benivolentia pauca tuae suggerere prudentiae curavi, quo magis advertas secundum meum sensum, qua potissimum ratione obstinationem agrestium convincere promptus queas. Neque enim contraria eis de ipsorum, quamvis falsorum, deorum genealogia[a] astruere debes[1] .... secundum eorum opinionem. Quoslibet ab aliis generatos per conplexum mariti[b] ac femine concede eos asserere; ut saltim modo, hominum natos deos ac deas homines potius non deos fuisse, et cepisse qui ante non erant, probes.

Cum vero, initium habere deos, utpote alios ab aliis generatos, coacti didicerint, item interrogandi: utrum initium habere hunc mundum an sine initio semper exstitisse arbitrentur. Si initium habuit, quis hunc creavit? cum procul dubio ante constitutionem saeculi nullatenus genitis[c] diis inveniunt subsistendi vel habitandi locum. Mundum enim non hanc[d] visibilem tantum caelum et terram sed cuncta etiam extenta locorum spatia — quae ipsi quoque pagani[e] suis imaginare[f] cogitationibus possunt — dico. Quodsi sine initio semper exstitisse mundum contenderint — quod multis refutare ac[g] convincere documentis argumentisque stude — tamen[h] altercantes interroga: quis ante natos deos mundo imperaret? quis regeret? quomodo autem suo subdere dominatui[i] vel sui iuris facere mundum, ante se semper subsistentem, potuerunt? unde autem vel a quo vel quando substitutus aut genitus primus deus vel dea fuerat? utrum autem adhuc generare deos deasque alios aliasque suspicantur? Vel, si iam non generant, quando vel cur cessaverunt a concubitu et partu; si autem adhuc generant, infinitus iam deorum effectus numerus est. Et quis tam[k] inter tot tantosque potentior sit, incertum mortalibus est; et valde cavendum, ne

a. genealogium *Mb.* b. maris *C.* c. gentis *MaV, corr. in* genitis *C;* genitis *Mb.* d. hanc *MaV, corr. in* hunc *C;* hϙc *Mb.* e. paginis *Ma,* pagini *V.* f. *corr. in* imaginari *C.* g. ad *MabV, corr. in* ac *C.* h. studet non *Mb pro* stude, tamen. i. dominatur *Ma.* k. tam *MabV, corr. in* iam *C.*

1. in codicibus non sequitur lacuna. Sed hic quoddam de interrogandis paganis consilium excidisse, docent ea quae post paullo sequuntur verba: „item interrogandi: utrum“.

in potentiorem[a] quis offendat. Utrum autem pro temporali ac praesenti, an[b] potius pro aeterna et futura beatitudine[c] colendi[d] sint, arbitrantur? Si pro temporali, in quo iam feliciores pagani christianis sunt[e], dicant. Quid autem se suis conferre sacrificiis lucri diis suspicantur pagani, cuncta sub potestate habentibus? Vel cur, in potestate sibi subiectorum fieri, permittunt ipsi dii, quod[f] ipsis tribuant? Si talibus indigent, cur non ipsi magis potiora elegerunt[g]? Si autem non indigent, superflue iam talibus hostiarum conlationibus placare[h] se posse deos[i] putant. 719—722

Haec et his similia multa alia, quae nunc enumerare longum est, non quasi insultando vel inritando[k] eos, sed placide ac magna obicere moderatione debes. Et per intervalla nostris, id est christianis, huiuscemodi[l] conparandae[m] sunt dogmatibus[n] superstitiones, et quasi e latere tangendae; quatenus magis confuse quam exasperate[o] pagani erubescant pro tam absurdis[p] opinionibus et ne, nos latere ipsorum nefarios ritus ac fabulas, estimant[q].

Hoc quoque inferendum: Si omnipotentes sunt dii et benefici et[r] iusti, non solum suos remunerant[s] cultores, verum etiam puniunt[t] contemptores. Et si haec[u] utraque temporaliter faciunt, cur ergo parcunt christianis, totum pene orbem ab eorum cultura avertentibus idolaque evertentibus? Et cum ipsi, id est christiani, fertiles terras vinique et olei feraces ceterisque opibus habundantes possident provincias, ipsis autem, id est paganis, frigore[v] semper rigentes terras cum eorum diis reliquerunt; in quibus, iam tamen toto orbe pulsi, falso regnare putantur.

Inferenda quoque sepius eis est orbis auctoritas christiani; in quorum conparatione ipsi paucissimi in vanitate antiqua adhuc perseverant.

a. potiorem *Ma.* b. ac *MV, corr. in* an *C.* c. beatitudini *Mb.* d. collenda *Mab, corr. in* colenda *C.* e. sint *MbV.* f. quid *V.* g. eligiter *MaV,* elegerunt *C;* eligunt *Mb.* h. placere *MabV, corr. in* placare *C.* i. deas *MabV, corr. in* deos *C.* k. inridando *Mb.* l. huiuscęmodae *V.* m. conparanda *Mab.* n. *corr. in* dogmatum *C.* o. confusę-exasperate *Mab,* confusae-exasperati *V, corr. in* confusi-exasperati *C.* p. obsurdis *MabC.* q. estiment *C.* r. benefici et *MbV,* bene silicet *Ma,* bene scilicet *C.* s. renumerant *Mb.* t. puniant *Mb.* u. hoc *MabV.* v. frigide *Mb.*

719—722 Et ne quasi de legitimo semper a principio[a] super ipsas gentes deorum iactitent imperio[b], intimandum eis: cunctum prius mundum idolorum[c] deditum culturae[d], donec Christi gratia — veri omnipotentis conditoris rectoris uniusque Dei[e] notitia inluminatus — vivificatus[f] reconciliatusque Deo est. Nam, quod aput christianos fidelium cotidie baptizantur filii, quid aliud faciunt, nisi a sorde[g] et reatu gentilitatis, quo totus olim constitutus mundus est, per singulos eos purgant?

Haec caritatis intuitu, frater mi, breviter tuae commemorare libuit dilectioni, et qui[h] corporali praegravatus languore laboro ita, ut congrue illud psalmiste[i] dicere possim: *Cognovi, Domine, quia iustum iudicium tuum, et vere me*[k] *afflixisti*[1]. Unde obnixius[l] tuam peto reverentiam, quatenus cum his, qui tecum Christo in spiritu serviunt, pro me supplicationum fundere preces digneris: ut Dominus, qui me vino[m] conpunctionis potavit[2], cito sua[n] etiam anticipet misericordia[3]; ut, qui iuste corripuit, clementer ignoscat profeticumque illud sua faciat pietate me quoque gratulabundum posse cantare: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes*[o] *tuae, Domine, laetificaverunt animam meam*[4]. Opto, ut in Christo bene valeas et mei memineris, consacerdos carissime.

---

16. *Bugga Bonifatio de bono rerum successu gratulatur. Postulatas martyrum passiones posterius se missuram esse. Alia munera mittit*[p]. (S 35, WG 3)

720—722 Venerando Dei famulo et plurimis spiritalium carismatum ornamentis praedito Bonifacio sive Wynfritho dignissimo Dei presbitero Bugga vilis vernacula perpetuae[q] caritatis salutem.

a. princi *V*, principi *Ma*, *corr. in* principio *C*; principio *Mb*. b. imperio *MabV*, *corr. in* imperia *C*. c. idulorum *V*. d. cultura *MabV*. e. dei dei *V*. f. vivificatur *V*. g. sorte *Mb*. h. quia *Mb*. i. ei *add. Ma*. k. me *om. MabV*, *superscriptum est in C*. l. obnoxius *V*. m. vi[illegible] *Mb*. n. suo *M*. o. consolationis *MbV*. p. *ex M* 105—106, *C* 85—85*v*, *V* 20*v*—21. *Lemma:* Item epistola Buggae *MV*, Item epistola Bugga *C*. q. perpetua *M*, perpetrare *V*.

1. Ps. 118, 75 secundum versionem Hieronymi ex Hebraeo. V. Sabatier Bibliorum lat. versiones T. II p. 239. 2. Ps. 59, 5. 3. Ps. 78, 8. 4. Ps. 93, 19.

Notum sit almitatis tuae auctoritati, quod gratias omnipotenti Deo referre non desino, eo quod tibi — in[a] scriptione beatitudinis tuae agnovi — multipliciter misericordiam suam tribuit, ut[b] te transeuntem per ignotos[c] pagos piissime conduxit. Primum pontificem gloriosae sedis[1] ad desiderium mentis tuae blandiendum inclinavit[2]. Postea inimicum catholicae ecclesiae Rathbodum[3] coram te consternuit[d]. Deinde per somnium temet ipso[e] revelavit: quod debuisti manifeste messem Dei metere et congregare sanctarum animarum manipulos in horream[f] regni caelestis[4]. Idcirco eo magis confiteor, quod nulla varietas temporalium vicissitudinum statum mentis meae[g] inclinare queat a proposita caritatis tuae custodia. Sed ardentius vis amoris in me calescit, dum pro certo cognosco, per orationum tuarum suffragia ad portum alicuius quietis pervenisse. Ideo iterum humiliter moneo, ut intercessionum tuarum studia pro mea parvitate Domino offerre digneris: quatenus sua gratia me faciat incolumen cum tuis[h] protectionibus. 720—722

Simulque sciat caritas tua, quod passiones martyrum, quas petisti tibi transmitti, adhuc minime potui impetrare. Sed, dum valeam, faciam. Et tu, mi carissimus, dirige meae[i] parvitati ad consolationem, quod per dulcissimas litteras tuas promisisti, id est congregationes aliquas sanctarum[k] scripturarum.

Similiter deposco, ut sanctarum missarum oblationes offerre digneris pro anima[l] mei propinqui, qui mihi prae ceteris carus erat, cui nomen erat[m] .N. Et per eundem portitorem tibi transmitto nunc quinquaginta solidos[n] et pallium altaris; quia maiora munuscula minime potui adipiscere[o]. Sed tamen haec

a. sicut *superscriptum est in C.* b. ut *MV, corr. in* et *C.* c. ignotas *M.* d. constrenuit *M;* consternuit *corr. in* consternavit *C;* consternavit *corr. in* consternuit *V.* e. *corr. in* tibimet ipsi *C.* f. *corr. in* horrea *C.* g. mei *MV, corr. in* meae *C.* h. cum tuis *MV;* cum totius vitae *C, ubi* vitae *superscriptum est.* i. mei *V.* k. missarum *M.* l. animam *V.* m. *om. C.* n. solidorum *V.* o. *corr. in* adipisci *C.*

1. Gregorium II. 2. V. ep. 12 supra p. 62. 3. regem Fresonum, qui obiit a. 719. 4. de hoc somnio Bugga ab ipso Bonifatio per eas, quas supra memorat, litteras certior facta esse videtur.

720—722 sunt cum maxima caritate directa, licet sint parva in specie[a]. Vale in hoc saeculo sancte[b] et in charitate non ficta.

---

17. *Bonifatii iuramentum*[c 1].

(S pag. 163, W pag. 19, G tom. II. p. 9)

722 (Nov. 30) In nomine domini Dei et salvatoris nostri Iesu Christi. Imperante domno[d] Leone[2] a Deo coronato magno imperatore anno 6, post consulatum[e] eius anno 6, sed et Constantino[3] magno imperatore eius filio anno 4, indictione 6[4].

Promitto ego Bonifatius, gratia Dei episcopus, vobis beato Petro apostolorum principi vicarioque tuo beato papae Gregorio successoribusque eius per Patrem et Filium et Spiritum sanctum, trinitatem inseparabilem, et hoc sacratissimum corpus tuum:

a. speciae *C.* b. sancto *V.* c. *ex M fol.* 1—1*v. Sine lemmate.* d. piissimo augusto *excidisse videtur. V. supra p.* 16. e. post consūl *M.*

1. Bonifatii iuramentum quatenus a communi sacramento episcoporum suburbicariorum illius aetatis discedat, ex Libro diurno (ed. Garnerius p. 69) intelligitur; ubi „Indiculum episcopi" hoc est: „In nomine Domini, imp. etc. Promitto ego ill. episcopus ecclesiae ill. vobis beato Petro apostolorum principi vicarioque tuo beatissimo papae domino ill. successoribusque eius per Patrem et Filium et Spiritum sanctum, trinitatem inseparabilem, et hoc sacratissimum corpus tuum: me omnem fidem et puritatem sanctae fidei catholicae exhibere et in unitate eiusdem fidei Deo operante persistere, in qua omnis christianorum salus esse comprobatur; et nullo modo contra unitatem communis et universalis ecclesiae suadenti cuipiam consentire, sed ut dixi fidem et puritatem meam, quae ecclesiae tuae, cui a domino Deo potestas ligandi solvendique data, et praedicto vicario tuo atque successoribus eius per omnia exhibere. Promitto pariter, quodsi quid contra rem publicam vel piissimum principem nostrum a quolibet agi cognovero, minime consentire; sed in quantum virtus suffragaverit, obviare et vicario tuo domino meo apostolico modis quibus potuero nuntiare, et id agere vel facere, quatenus fidem meam in omnibus sincerissimam exhibeam. Quodsi quod absit contra huius promissionis meae seriem aliquid facere quolibet modo seu ingenio vel occasione tentavero, reus inveniar in aeterno iudicio vel ultionem Ananiae et Saphyrae incurram, qui etiam tibi beato Petro de rebus propriis fraudem facere et falsum dicere praesumpserunt. Hoc autem indiculum sacramenti ego ill. episcopus manu propria subscripsi atque posui super sacratissimum corpus tuum ac sicut superius legitur Deo teste et iudice praestiti sacramentum. Quod et servare promitto". 2. III. 3. IV. 4. anno 722 die 30 Nov. V. supra p. 21.

me omnem fidem et puritatem sanctae fidei catholicae exhibere 722
et in unitate eiusdem fidei Deo operante persistere, in qua omnis (Nov. 30)
christianorum salus esse sine dubio conprobatur; nullo modo me contra unitatem communis et universalis aecclesiae, suadente quopiam, consentire, sed ut dixi fidem et puritatem meam atque concursum tibi et utilitatibus tuae aecclesiae, cui a domino Deo potestas ligandi solvendique data est[1], et praedicto vicario tuo atque successoribus eius per omnia exhibere; sed et, si cognovero antestites contra instituta antiqua sanctorum patrum conversari, cum eis nullam habere communionem aut coniunctionem. Sed magis, si valuero prohibere, prohibeam; si minus, ne[a][2] fideliter statim domno meo apostolico renuntiabo. Quodsi, quod absit, contra huius promissionis meae seriem aliquid facere quolibet modo seu ingenio vel occasione temptavero, reus inveniar in aeterno iudicio, ultionem Annaniae et Saffire incurram[3], qui vobis etiam de rebus propriis fraudem facere vel falsum dicere presumserunt.

Hoc autem indiculum sacramenti ego Bonifatius exiguus episcopus manu propria scripsi; atque positum supra sacratissimum corpus tuum, ut superius leguntur, Deo teste et iudice, prestiti[b] sacramentum. Quod et conservare promitto.

---

18. *Gregorius II papa universis christianis Bonifatium in Germaniam missum commendat. Cui qui obfuerint, eis anathema proponit*[c]. (S 123, WG 6)

Gregorius episcopus servus servorum Dei universis reve- 722
rentissimis et sanctissimis fratribus coepiscopis, relegiosis pres- Dec. 1
biteris seu diaconibus, gloriosis ducibus, magnificis castaldiis, comitibus etiam, vel cunctis christianis Deum timentibus.

Sollicitudinem nimiam gerentes pro speculatione credita — quia, in umbra mortis aliquas gentes in Germaniae partibus vel plaga orientali Reni fluminis, antiquo hoste suadente, er-

a. ne *in litura.* b. prostiti *M.* c. *ex M* 6*v*—7*v*, (*C* 2, *ubi non est nisi exitus epistolae:* quod non optamus — indictione sexta). *Sine lemmate.*

1. Matth. 16, 19. 2. nae. 3. Act. apost. 5, 1—6.

722 Dec. 1 rare: quasi sub relegione christiana idolorum culturae eos servire, cognovimus; aliquos vero, qui necdum cognitionem Dei habentes nec baptismatis sacri unda sunt loti, sed conparatione brutorum animalium pagani Factorem non recognoscunt — necessario pro utrorum inluminatione ad predicandum recte fidei verbum harum portitorem Bonifatium, reverentissimum fratrem nostrum episcopum, apud eisdem partibus dirigere studuimus: ut et illis predicando verbum salutis vitam provideat sempiternam et, si quos forte vel ubicumque a recte fidei tramite destitisse cognoverit aut astutia diabolica suasos erroneos repererit[a], corrigat atque sui edocatione ad portum reportet salutis eosque ex apostolicae[b] sedis huius doctrina informet et in eadem catholica fide permanere instituat.

Cui, hortamur, ob amorem domini Iesu Christi et apostolorum eius reverentiam ut in omnibus solaciare nisibus totis debeatis eumque in nomine Iesu Christi recipiatis, ut scriptum est de suis discipulis: *Qui vos recipit, me recipit*[1]; providentes insuper necessaria itineris eius, comites tribuentes, cibum etiam ac potum vel si quid eguerit largientes: ut uno labore et socia voluntate opus sibi creditum pietatis et negotium salutis annitente Deo proficiatur, atque premia laboris percipere mereamini deque conversione errantium merces vobis ascribatur in caelis. Si quis itaque huic Dei famulo, ad inluminationem gentium ad hac apostolica atque catholica Dei aecclesia destinato, adsensum vel concursum prebuerit, exorantibus apostolorum principibus, consortia mereatur sanctorum martyrum Iesu Christi. Si quis vero, quod non optamus, adversando eius praepedire conatus fuerit labori aut contrarius exstiterit ministerio sibi credito successorumque eius eundem laborem intrantium, ex sententia divina anathematis vinculo percellatur, perpetuae dampnationi[c] subiaceat. Bene valete. Data Kalendis Decembris, imperante[d] domno piissimo augusto Leone a Deo coronato magno

a. repereri *M.* b. apostolicis *M.* c. dampnationis *M.* d. imperante domno *in litura C.*

1. Matth. 10, 40.

imperatore anno septimo, post consulatum[a] eius anno septimo, 722 Dec. 1
sed et Constantino magno[b] imperatore[c] eius filio anno quarto, indictione sexta[1].

---

19. *Gregorius II papa clero ordini et plebi Bonifatium, episcopum iis praefectum, commendat*[d 2]. (S 124, WG 10)

Gregorius episcopus servus servorum Dei clero ordini et 722 Dec. 1
plebi consistenti[e], dilectissimis filiis in Domino, salutem.

Probabilibus desideriis nihil attulimus tarditatis, fratrem iam et coepiscopum nostrum Bonifatium[f] vobis ordinavimus sacerdotem. Cui dedimus in mandatis: Ne umquam ordinationes praesumat inlicitas. Ne bigamum, aut qui virginem non est sortitus uxorem, neque inlitteratum, vel in qualibet corporis parte vitiatum, aut ex penitente[g], vel curiae aut cuilibet condicioni obnoxium notatumque ad sacros ordines permittat accedere; sed, si quos huiusmodi forte reppererit, non audeat promovere. Afros, passim ad aecclesiasticos ordines praetendentes[h], nulla ratione suscipiat; quia aliqui eorum Manichei aliqui rebaptizati saepius sunt probati. Ministeria atque ornatum[i] aecclesiae, vel quicquid illud est in patrimonio eiusdem, non minuere studeat sed augere. De reditu vero ecclesiae vel oblatione fidelium quattuor faciat portiones; quarum unam sibi ipse retineat[k], alteram clericis pro officiorum suorum sedulitate distribuat, tertiam pauperibus et pereginis, quartam aecclesiasticis fabricis noverit reservandam[l], de quibus divino erit redditurus iudicio rationem. Ordinationes vero presbiterorum seu diaconorum non nisi[m] quarti septimi et decimi mensium[n] ieiuniis,

a. pater *M,* imperii *in litura C. Scripsi* post consulatum. *V. supra p.* 17. b. maī *M, corr. in* mag̅ *C.* c. imp̅ *MC.* d. *ex M* 7*v*—8, *C* 2—2*v. Sine lemmate M;* Item eiusdem Gregorii *C.* e. *non sequitur lacuna in codd.* f. Bonifatium *M,* Bonifacium *C.* g. aut expoenitentem *Lib. diurn.* l. l. h. procedentes *Lib. diurn.* l. l. i. ornamenta *Lib. diurn.* l. l. k. retenuat *M, corr. in* retineat *C.* l. reservandum *M, corr. in* reservandam *C.* m. nisi primi quarti septimi et decimi *Lib. diurn.* l. l. n. mensum *M.*

1. anno 722. V. supra p. 21. 2. Omnis haec epistola, praeter nomina et notas temporis, assumpta est ex Libro diurno Romanorum pontificum ed. Garnerius p. 72, ubi formula haec inscripta sic est: „Synodale quod accipit episcopus“.

722 Dec. 1 sed et in[a] ingressu[b] quadragesimali atque mediante[c] vespere sabbati noverit celebrandas. Sacrosancti[d] autem baptismi[e] sacramentum non nisi in paschali festivitate et pentecosten noverit esse praebendum, exceptis his qui[f] mortis urguentur[g] periculo[h]; ne in aeternum pereant, talibus oportet remediis subvenire. Huic ergo sedis nostrae praecepta servanti devotis animis obsequi vos oportet, ut inreprehensibile placidumque fiat corpus aecclesiae per Christum dominum nostrum, qui vivit et regnat cum deo Patre omnipotente et Spiritu sancto per omnia saecula saeculorum. Deus vos incolomes[i] custodiat, dilectissimi filii. Data Kalendis Decembris, imperante domno piissimo augusto Leone a Deo coronato magno imperatore anno septimo, post consulatum[k] eius anno septimo[l], sed et Constantino magno[m] imperatore[n] eius filio anno quarto, indictione sexta[1].

---

20. *Gregorius II papa Thuringis christianis Bonifatium commendat*[o]. (S 119, WG 8)

722 Dec. Viris magnificis, filiis Asulfo, Godolavo, Wilareo, Gundhareo, Alvoldo et omnibus Deo dilectis Thuringis, fidelibus christianis, Gregorius papa.

Insinuatam nobis magnificae in Christo fidei vestrae constantiam agnoscentes — quod paganis, conpellentibus vos ad idola colenda, fide plena responderitis: magis velle feliciter mori quam fidem, semel in Christo acceptam, aliquatenus violare — nimia exultatione repleti, grates debitas persolvimus Deo nostro et redemptori, bonorum omnium largitori. Cuius gratia comitante, vos ad meliora et potiora optamus proficere et ad confirmandum fidei vestrae propositum sanctae sedi[p] apostolicae religiosis mentibus adherere et, prout opus poposcerit sacrae religionis, a memorata sancta sede apostolica, spiritali omnium fidelium

a. in *om. M.* b. ingresso *M, corr. in* ingressu *C.* c. mediana *Lib. diurn.* l. l. d. Sancti *Lib. diurn.* l. l. e. babtismi *C.* f. qui *M, corr. in* quibus *C.* g. urguente *MC,* urguentur *Lib. diurn.* l. l. h. quibus *add. Lib. diurn.* l. l. i. incolomes *M,* incolumes *C.* k. pat̄ *M; imperii in litura C. Scripsi* post consulatum; *v. supra p.* 17. l. anno septimo *om. M, deletum est in C.* m. mal̄ *M, corr. in* mag̃ *C.* n. imp̄ *MC.* o. *ex M 2v. Sine lemmate.* p. sedis *M.*

1. anno 722. V. supra p. 21.

matre, solacium quaerere, sicut decet filios coheredes regni a regali parente, ministerio quoque praesentis fratris karissimi Bonifatii. Quem ad vos, episcopum consecratum, in sorte praedicationis distinavimus, apostolicis institutionibus informatum, ad instruendam fidem vestram. In omnibus volumus et hortamur, oboedientes ei consentire ad conplementum in Domino vestrae salvationis. 722 Dec.

---

21. *Gregorius II papa Karolo Martello duci commendat Bonifatium in Germaniam missum*[a]. (WG 5)

Domno glorioso filio Karolo duci Gregorius papa. 722 Dec.

Comperientes, te, in Christo dilectissime, religiosae mentis affectum gerere in multis oportunitatibus, debito salutis praemisso, notum facimus Deo dilectae tuae dignitati: praesentem fratrem Bonifacium — fide et moribus approbatum, a nobis episcopum consecratum atque institutionibus sanctae sedis apostolicae, cui Deo auctore praesidemus, aecclesiae generali sollicitudine, informatum — ad praedicandum plebibus Germaniae gentis ac diversis in orientali Reni fluminis parte consistentibus, gentilitatis errore detentis vel adhuc ignorantiae obscuritatibus praepeditis, necessario destinare. Pro quibus eum gloriosae benivolentiae tuae omnimodo commendamus, ut eum in omnibus necessitatibus adiuvetis et contra quoslibet adversarios, quibus in Domino praevaletis, instantissime defendatis; certissime retinentes: Deo vos exhibere, quaecunque huic promptissimo impenderitis favore. Qui, sanctis apostolis suis ad lucem gentium destinatis, suscipientibus eos se suscipiendum praedixit[1]. Quorum institutionibus per nos informatus, praemissus antistes in sorte praedicationis procedit.

---

22. *Gregorius II papa Altsaxones ab idololatria avocat. Bonifatium commendat*[b]. (S 121, WG 9)

Gregorius papa universo populo provinciae Altsaxonum. 722? Dec.?

Sapientibus et insipientibus debitor sum[2], fateor, karissimi;

a. *ex Othloni Vita Bonifatii, cod. capituli Trevirensis fol.* 89*v*. b. *ex M* 3*v* — 4*v*. *Sine lemmate.*

1. Matth. 11, 40: „Qui recipit vos, me recipit". 2. Rom. 1, 14.

722? Dec.? volens, vos scire, qualem sollicitudinem habeam pro vobis[1] — et pro his, qui verbum exhortationis fidei Iesu Christi domini nostri susceperunt et qui adhuc suscepturi sunt — ut consolentur corda vestra, instructa in caritate, et in omnes divitias plenitudinis intellectus, in agnitionem mysterii Dei patris Iesu Christi[2], ut ait egregius apostolus, in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi[3]. Hoc autem dico, quoniam prope est regnum Dei[4], ut nemo vos amplius decipiat in sublimitate sermonum[5]: ut in quocumque metallo salutem vestram quaeratis, adorantes idola manu facta, aurea, argentea, aerea, lapidea vel de quacumque materia facta. Qui falsidica numina a paganis antiquitus quasi[a] dii vocati sunt, in quibus demones habitare noscuntur; quoniam omnes dii gentium, ut ait scriptura, demonia sunt; Dominus autem deus noster caelos fecit[6]. Quicumque autem in vobis susceperunt Christum Iesum dominum nostrum, in ipso ambulent[7], radicati et superaedificati et confirmati fide, abundantes in gratiarum actionem[8]. Videte, ne quis vos amplius decipiat per philosophiam et inanem fallatiam[9]. Astutiores enim sunt filii tenebrarum quam filii lucis[10]. Discedite, filii, ab idolorum cultura[11]; et accedite et adorate dominum Deum nostrum, qui fecit caelum et terram, mare et omnia quae in eis sunt[12]; et vultus vestri non erubescent[13]. Unus enim Dominus hominum volucrum quadrupedum et piscium, qui est benedictus in secula seculorum. Expoliate ergo vos veterem hominem[14], et induite Christum novum[15], deponentes omnia: iram, indignationem, malitiam, blasphemiam; turpem sermonem nolite de ore vestro[16] producere. Ab idolorum cultu recedite; iam enim advesperascit dies[17]. Nolite esse otiosi; sed potius operamini opus bonum, ut Christus habitet in vobis. Et quodcumque

a. q̄si *M.*

1. Coloss. 2, 1. 2. Coloss. 2, 2: „ut consolentur — dei Patris et Christi Iesu". 3. Coloss. 2, 3: „in quo — absconditi". 4. Luc. 21, 31. 5. Coloss. 2, 4. 6. Ps. 95, 5. 7. Coloss. 2, 6. 8. Coloss. 2, 7. 9. Coloss. 2, 8. 10. Cf. Luc. 16, 8. 11. Cf. Corinth. 10, 14. 12. Ps. 145, 6. 13. Cf. Isai. 29, 22. 14. Coloss. 3, 9. 15. Coloss. 3, 10. 16. Coloss. 3, 8. 17. Cf. Luc. 24, 29.

facitis in verbo aut in opere, in nomine domini nostri Iesu Christi, gratias agentes Deo et Patri per ipsum[1], respuentes gentilitatis sectam; scientes, vos Dominum habere in caelis. Orationi instantes[2], ad ipsum cor erigite; quoniam magnus est dominus Deus noster et laudabilis nimis, et terribilis super omnes deos[3]; qui vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis pervenire[4]. Hoc autem commoneo, fratres: ut, quicumque voluerit ex vobis ad Christum converti, nullo modo eum prohibeatis neque vim ei faciatis sculptilia adorare; quia ipse Christus dominus vivit cum deo Patre omnipotente in unitate Spiritus sancti per omnia secula seculorum. Amen. 722? Dec?

Carissimi, fidelis minister et conservus in Domino, quem misi ad vos Bonifatium, fratrem ac coepiscopum meum, ad hoc ipsum: ut cognoscat, quae circa vos sunt, et consoletur corda vestra cum exortationis verbo in Christo Iesu domino nostro; ut, a diabolica fraude liberati, mereamini adoptionis filiis aggregari et ut, ab aeterna damnatione liberati, vitam habeatis aeternam.

---

23. *Leobgytha Bonifatium rogat, ut pro parentibus suis seque deum invocet. Munus mittit*[a]. (S. 36, WG 21)

Domino reverentissimo et summae dignitatis infula praedito Bonifacio atque in Christo carissimo et mihi adfinitatis propinquitate conexo Leobgytha[b 5], ultima leve iugum Christi portantium famula, perennem sospitatis salutem. post 722

Rogo tuam clementiam: ut memorare digneris prioris amicitiae, quam iam dudum cum patre meo copulasti, cuius vocabulum est Dynne[c], in occiduis regionibus — qui nunc ante octo annorum curriculum ab hac luce subtractus est — ut pro anima illius preces offerre Deo non rennues[d]. Nec non et matris meae[e] memoriam commendo tibi, quae cognominatur Aebbę[f 6]; quae

a. *ex M* 106 — 106 *v, C* 85 *v* — 86, *V* 21 — 21 *v. Lemma:* Item epistola Liobgide *M,* Item epistola Leobgithae *CV.* b. Leobgyda *M.* c. Tinne *M.* d. rennues *MV, corr. in* rennuas *C.* e. mea *V.* f. Aebbe *M,* Aebae *C.*

1. Coloss. 3, 17. 2. Rom. 12, 12. 3. Ps. 95, 4. 4. 1 Timoth. 2, 4. 5. s. Lioba, postea abbatissa Biscopesheimensis. 6. V. Vita S. Liobae ap. Mabillon Acta SS. ord. Ben. saec. III P. II p. 249.

post 722 tibi, ut melius nosti, consanguinitatis nexibus copulatur, et adhuc laboriose vivit et diu valide ab infirmitate obpressa est. Ergo unica filia sum ambobus parentibus meis; et utinam, licet sim indigna, ut[a] merear te in fratris locum accipere. Quia in nullo hominum generis mei tanta fiducia spei posita est mihi, quanta in te. Hoc parvum munusculum mittere curavi; non ut dignum esset tuae almitatis aspectui, sed ut memoriam parvitatis meae[b] retines[c], ne longa locorum intercapedine oblivione tradas, quin immo vere dilectionis ligatura reliquum nodetur in aevum. Hoc, frater amande, enixius efflagito, ut tuarum orationum pelta muniar contra hostis occulti venenata iacula. Illud etiam peto: ut rusticitatem huius epistolae digneris emendare; et mihi aliqua verba tuae affabilitatis exempli gratia transmittere non recuses, quae inhianter audire satago.

Istos autem[d] subter scriptos versiculos conponere nitebar secundum poeticae traditionis disciplinam[e]; non audacia confidens, sed gracilis ingenioli rudimenta exercitare cupiens et tuo auxilio indigens. Istam artem ab Eadburge magisterio didici[f], quae indesinenter legem divinam rimare[g] non cessat. Vale, vivens aevo longiore, vita feliciore, interpellans pro me.

Arbiter[h] omnipotens, solus qui cuncta creavit,
In regno Patris semper qui lumine fulget[i],
Qua iugiter flagrans sic regnat[k] gloria Christi,
Inlaesum servet semper te iure perenni.

---

24. *Carolus Martellus maior domus Bonifatii episcopi protectionem suscipit*[1]. (S 32, WG 11)

723 Dominis sanctis et apostolicis in Christo patribus episcopis ducibus comitibus vicariis domesticis vel[m] omnibus agentibus

a. ut *deletum est in C.* b. me *M.* c. retines *VM, corr. in* retineas *C.* d. ater *M.* e. 'disciplina nam *M.* f. dedici *V.* g. *corr. in* rimari *C.* h. Arbiter — creavit *om. MC.* i. fulgiet *V.* k. regnet *MV, corr. in* regnat *C.* l. *ex M* 68—68*v, Ca* 52—52*v, Cb* 107*v, V* 19—19*v. Cum his lemmatibus:* Epistola Carolis *M;* Epistola Karoli in regno suo missa: in omnibus sancto Bonifatio ad institiam oboedire *Ca;* Epistola Caroli ad comites et duces de potestate sancti Bonifatii *Cb;* Item Epistola Carl̄ *V.* m. seu *M.*

1. Cf. Cartas de mundeburde ap. Rozière Recueil général des formules I 9—17.

iunioribus nostris seu missis decurrentibus et amicis nostris inluster[a] vir Carlus[b] maior domus, bene cupiens vester. 723

Cognoscatis, qualiter apostolicus vir, in Christo pater, Bonifacius episcopus ad nos venit et nobis suggessit, quod sub nostro mundeburdio[c] vel defensione eum recipere deberemus. Quod ita nos gratante animo hoc[d] fecisse, cognoscite. Proinde nos taliter visi, fecimus ei manu nostra roboratam dare: ut ubicumque, ubi et ubi, ambulare videtur, cum nostro amore vel sub nostro mundeburdio[e] et defensione quietus vel conservatus esse debeat; in ea ratione, ut iustitiam reddat et similiter iustitiam accipiat[f]. Et si aliqua causatio vel necessitas ei advenerit, quae per legem definiri non potuerit, usque ante nos quietus vel conservatus esse debeat, quot[g] ipse, quam qui per ipsum sperare videntur; ut ei nullus ullam contrarietatem vel dampnationem adversus eum facere non[h] debeat; nisi ut omni tempore sub nostro mundeburdio[i] vel defensione quietus vel conservatus[k] residere debeat. Et ut certius credatur, manu propria subter firmavi et de anulo nostro subter sigillavimus.

---

25. *Gregorius II papa Bonifatio, quod coeptum opus prospere procedat, gratulatur. Significat de epistolis ad Carolum Martellum et ad Thuringos et ad Germaniae populum missis*[l].

(S 125, WG 15)

Reverentissimo et sanctissimo fratri Bonifatio coepiscopo Gregorius servus servorum Dei. 724 Dec. 4

Creditae speculationis sollicitudine permoti, euangelica quoque institutione, qua ait: *Obsecrate*[m] *dominum messis, ut eiciat operarios in messem suam*[1], tuam proinde reverendam fraternitatem ad imitationem apostolorum — ut Domino iubente praecepti sunt: *Euntes praedicate euangelium regni*[2]; *Gratis accepistis,*

a. inlustris *MCa*. b. Carolus *Cb*. c. mundeburgio *MCaV*. d. hoc *deletum est in Ca*. e. mundeburgio *Ca*. f. recipiat *M*. g. *corr. in* tam *CaCb*. h. non *deletum est in CaCb*. i. mundeburgio *Ca*. k. conservatur *MV*. l. *ex M* 8—9*v*, *C* 7—7*v*. *Sine lemmate M, ubi tamen in Gregorii II litteris posita haec epistola est;* Item Gregorii tertii *C*. m. obsecra *M*, obsecrare *C*.

1. Matth. 9, 38, Luc. 10, 2. 2. Cf. Marc. 16, 15.

724 Dec. 4 *gratis date*[1] — in partibus Esperiarum[a] ad inluminationem Germaniae gentis, in umbra mortis sedentis[b 2], dirigere praevidimus; lucrum inde ut adportare deberes, quasi servus ille de negocio talenti, sicut scriptum est[3], fidus in futuro auctori asseras Deo fecisse. Quod quia ex oboedientiae munere ministerium verbi cernimus adolere et praedicationis praeconio populum infidelem, ut innotuisti, audivimus converti, Domini potentiae gratias referentes, ut ipse, a quo bonum procedit et ad agnitionem vult omnes venire veritatis[4], tibi optamus ut cooperetur et a tenebris ad lucem populum illum suae potentiae inspiratione reducat. Hinc enim vobis merces copiosa, credimus, quod ab omnipotente Domino adscribatur[c] in caelis. *Bonum* enim *certamen*, si perseveraveris, possis cum apostolo dicere: *certavi, cursum consummavi, fidem servavi*[5]. Sed ut coronam percipias laboris, insiste; pollicetur enim Deus perseverantibus in fine salutem[6]. Nec minae terreant nec deiciant terrores, sed, fixam in Deo tenens fiduciam, veritatis verbum denuntia. Erit enim ex adiutorio divino perfectio, tantum sit bonum in voluntate opus. Igitur, quantos ab errore converteris, syllabarum tuarum recensito textu cognovimus, laeti, uberes Deo nostro gratias agentes, de lucro animarum exultamus.

Porro pro episcopo illo, qui nunc usque desidia quadam[d] in eadem gente praedicationis verbum disseminare neglexerat, et nunc sibi partem quasi in parrochiam defendit[e], Carolo excellentissimo filio nostro patricio, ut eum conpescat suadentes, paternis litteris scripsimus. Et credimus, quod hoc vitari praecipiat. Ipse vero oportune inportune praedicare[7], quae sunt salutis, non desinas.

Igitur Thuringis[f] et Germaniae populo ea, quae ad animae

a. esperiarum *M*, *corr. in* hesperiarum *C*. b. sedent *M*, sedenti *C*. c. adscribatur *M*, *corr. in* asscribatur *C*. d. desidio quodam *M*; *corr. in* desidia quadam *C*. e. defendat *corr. in* defendit *M*, defendat *C*. f. Thuringis *M*, Turingis *C*.

1. Matth. 10, 8. 2. Luc. 1, 79: „illuminare his, qui in tenebris et in umbra mortis sedent“. 3. Matth. 25, 20. 4. 1 Timoth. 2, 4. 5. 2 Timoth. 4, 7. 6. Matth. 10, 22. 7. 2 Timoth. 4, 2.

respiciunt utilitatem et salutem, scribere non omisimus; inter 724
alia, ut construant episcopia et aeclesias condant, iniungentes[1]. Dec. 4
Ipse enim, qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat[2], erit in omnibus daturus incrementum. Deus te incolumen custodiat. Data pridie Nonas Decembris, imperante domno piissimo augusto Leone a Deo coronato magno imperatore anno octavo, post consulatum eius[a] anno octavo[b], sed et Constantino magno[c] imperatore[d] eius filio anno quinto, indictione octava.

---

26. *Gregorius II papa universo Thuringorum populo commendat Bonifatium missum, ut eos legem christianam doceat*[e].
(S 120, WG 7)

Gregorius servus servorum Dei universo populo Thurin- 724
georum. Dec.

Dominus Iesus Christus, filius dei, deus verus de caelis descendit, homo factus est, pro nobis pati et crucifigi dignatus est, et sepultus tertia die resurrexit a mortuis, et ascendit in caelos. Discipulis etiam suis, sanctis apostolis, ait: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti*[3]; ipse enim credentibus in se vitam aeternam promisit[4]. Cupientes vos ergo in perpetuum nobiscum gaudere, ubi finis nulla est nec tribulatio nec aliqua amaritudo sed gloria sempiterna, ideo fratrem nostrum sanctissimum Bonifatium episcopum ad[f] vos direximus: ut vos debeat baptizare et fidem Christi docere et ab errore ad viam salutis deducere, ut salutem habeatis et vitam sempiternam. Sed vos ei in omnibus oboedite et sicut patrem vestrum illum honorate et ad eius doctrinam corda vestra inclinate. Quia illum non pro lucro aliquo temporali conquirendo direximus; sed pro lucro animarum vestrarum ad[f] vos eum misimus. Diligite ergo Deum, et

a. pat̄ *M,* imperii *in litura C. Scripsi* post consulatum; *v. supra p.* 17. b. anno octabo *C.* c. maī *M, corr. in* mag̅ *C.* d. imp̅ *MC.* e. *ex M* 2*v* — 3*v. Sine lemmate.* f. apud *correctum est in* ad *M.*

1. V. infra ep. 26. 2. Ezech. 33, 11. 3. Matth. 28, 19. 4. Matth. 19, 29.

724 Dec. in nomine eius baptismum suscipite; quia dominus Deus noster, quod oculus hominis numquam vidit nec in cor hominis ascendit, praeparavit diligentibus se[1]. Iam recedite a malis operibus et agite bene. Non adoretis idola nec immoletis carnes; quia Deus non recipit ista. Sed in omnibus, secundum quod vos frater noster Bonifatius docuerit, observate et agite; et salvi eritis, et vos et filii vestri, in sempiternum. Facite ergo et domum, ubi debeat ipse pater vester episcopus habitare, et aecclesias, ubi orare debeatis; ut Deus indulgeat peccata vestra et donet vobis vitam perpetuam.

---

27. *Gregorius II papa ad varias Bonifatii consultationes rescribit*[a]. (S 126, WG 24)

726 Nov. 22 Reverentissimo et sanctissimo fratri Bonifatio coepiscopo Gregorius servus servorum Dei.

Desiderabilem mihi a te[b] missus Denual relegiosus[c] presbiter attulit nuntium, cum te sospem[d] narravit et ministerio, pro quo missus es, favente Deo proficere nuntiavit. Detulit etiam a te missas litteras, ubi indicasti, quod ager dominicus, qui incultus iacebat et spinarum aculeis ex infidelitate riguerat, vomerem[e] tuae doctrinae, exarantem[f] semen verbi, suscepit et fertilem messem protulit fidelitatis.

In eisdem litteris quibusdam subnexisti[g] capitulis sciscitando, qualiter teneat vel doceat haec sancta apostolica Romana aecclesia. Bene satis. Quia beatus[h] apostolus Petrus et apostolatus et episcopatus principium exstitit. Et consulenti tibi de statu aeclesiae non ex nobis quasi ex nobis sed eius gratia, qui aperit os mutum et linguas infantium facit disertas[i2], qualiter tenere debeas, apostolici vigoris doctrina edicimus.

a. *ex M* 9*v*—11*v*, *C* 3*v*—5*v*. *Sine lemmate M, ubi tamen Gregorio II attributa haec epistola est his subiectis verbis:* Huc usque Gregorius a primo secundus; hinc Gregorius a secundo iunior. *In C praepositum epistolae est lemma hoc:* Item Gregorii tertii. b. ante *M.* c. *corr. in* religionis *C.* d. *corr. in* sospitem *C.* e. *corr. in* vomere *C.* f. *corr. in* exarante *C.* g. *corr. in* subnexuisti *C.* h. satis *M pro* beatus. i. dissertas *M, corr. in* disertas *C.*

1. 1 Corinth. 2, 9. 2. Sap. 10, 21.

Igitur in primis legebatur, ut quota progenies propinquo- 726 Nov. 22
rum matrimonio copuletur. Dicimus, quod oportuerat quidem, quamdiu se agnoscunt affinitate propinquos, ad huius copulae non accedere societatem; sed quia temperantia magis, et praesertim in tam barbaram gentem, placet plus quam districtione censure, concedendum est: ut post quartam generationem iungantur.

Nam quod posuisti[1], quodsi mulier infirmitate correpta non valuerit viri debitum reddere, quid eius faciat iugalis; bonum esset, si sic permaneret, ut abstinentiae vacaret. Sed quia hoc magnorum est, ille, qui se non poterit continere, nubat magis. Non tamen subsidii opem subtrahat ab illa, cui infirmitas praepedit et non detestabilis culpa excludit.

De presbitero[a][2] vero vel quilibet sacerdos[b] a populo accusatus, si certi[c] non fuerint testes qui crimini inlato approbent veritatem iureiurando[d], erit in medio. Et illum testem proferat de innocentiae suae puritate, cui nuda et aperta sunt omnia; sicque maneat in proprio gradu.

Nam de homine[3], qui a pontifice confirmatus fuerit, denuo illi talis reiteratio prohibenda est.

In missarum autem sollempniis[e] illud observandum est, quod dominus noster Iesus Christus sanctis suis tribuit discipulis. Accepit namque calicem et dat eis, dicens[4]: *Hic calix novi testamenti est in meo sanguine; hoc facite, quotiescumque sumitis*[5]. Unde congruum non est, duos[f] vel tres calices in altario ponere, cum missarum sollempnia celebrantur.

De immolaticiis autem escis consuluisti, si a fidelibus superductum fuerit vivificae crucis signum, edi liceret an non. Illud

a. Praesbiter *C, ubi* er *in litura.* b. quilibet sacerdos *corr. in* quolibet sacerdote *M.* c. certe *C.* d. iusiurandum *alia manus addidit in C.* e. *corr. in* solempniis *C.* f. duo *M, corr. in* duos *C.*

1. „Quod proposuisti — excludit" sunt Gregorio III tributa in Gratiani Decr. P. II c. 32 qu. 7 can. 18. 2. „Presbyter vel quilibet — aperta sunt omnia" Gregorio III attributa sunt in Gratiani Decr. P. II c. 2 qu. 5 can. 5. 3. „De homine — prohibenda est" Gregorio III ascripta sunt in Gratiani Decr. P. III De consecr. D. 5 can. 9. 4. Matth. 26, 27. 5. 1 Corinth. 11, 25.

726 Nov. 22 sufficit respondere, quod beatus apostolus Paulus dicit: *Si quis dixerit, quia hoc immolaticium est, nolite edere propter eum, qui indicavit, et propter conscientiam*[1].

Addidisti[2] adhuc, quodsi pater vel mater filium filiamque intra septa monasterii in infantiae annis sub regulari tradiderint disciplinae[a], utrum liceat eis, postquam pubertatis inoleverint annos[b], egredi et matrimonio copulare[c]. Hoc omnino devitamus. Quia nefas est, ut oblatis a parentibus Deo filiis voluptatis frena laxentur.

Enimvero quosdam baptizatos absque interrogatione simbuli[d] ab adulteris et indignis[e] presbiteris fassus es[f]. In his tua dilectio teneat antiquum morem aecclesiae: quia, quisquis in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti baptizatus est, rebaptizari liceat minime. Non enim in nomine baptizantis, sed in nomine Trinitatis huius gratiae donum percepit. Et teneatur, quod apostolus dicit: *Unus Deus, una fides, unum baptisma*[3]. Doctrinam vero spiritalem talibus studiosius ut inpertias, demandamus.

Pro parvulis[4] vero, qui a parentibus subtracti sunt et, an baptizati sint vel non, ignorant, hos ut baptizare debeas secundum patrum traditionem, si non fuerit qui testificet, ratio poscit.

Leprosis autem, si fideles christiani fuerint, dominici corporis et sanguinis participatio tribuatur; cum sanis autem convivia celebrare negentur.

Adiecisti etiam, quodsi pestifer morbus aut mortalitas in aecclesia vel monasteriis inrepserit, quos necdum tetigit, a loco fugiant, evitantes periculum. Valde fatuum hoc iudicatur. Non enim valet[g] quisquam Dei effugere manus[5].

In finem[h] epistola continebat, quod sunt quidam presbiteri seu episcopi in multis vitiis inretiti, quorum vita in se ipsis

a. *corr. in* disciplina *C.* b. *corr. in* anni *C.* c. *corr. in* copulari *C.* d. simboli *C.* e. et indignis *om. M.* f. ÷ *M.* g. valet *om. M.* h. fine *C.*

1. V. 1 Corinth. 10, 28. 2. „Addidistis — laxentur“ sunt in Gratiani Decr. P. II c. 20 qu. 1 can. 2. 3. Ephes. 4, 5. 4. „Parvulos, qui — poscit“ Gregorio III attributa sunt in Gratiani Decr. P. III De consecr. D. 4 can. 110. 5. Cf. Sap. 16, 15.

sacerdotium maculat, et si tibi liceret cum eis edere aut loqui 726
nisi qui[a] heretici fuerint. Dicimus: ut hos ex apostolica aucto- Nov. 22
ritate redarguendo ammoneas et ad munditiam aeclesiasticae disciplinae perducas; et si quidem oboedierint, salvabunt animas suas et ipse mercedem lucrasti. Verumtamen conlocutionem et mensam cummunem cum eis agere non recuses. Plerumque contigit, ut, quos correctio disciplinae tardos facit ad percipiendam veritatis normam, conviviorum sedula[b] et ammonitio blanda ad viam perducat iustitiae. Id ipsum autem et in illis proceribus, qui tibi adiutorium praestant, observare debebis.

Haec, frater karissime[c], ex apostolicae sedis vigore scripsisse sufficiant. De reliquo implorantes misericordiam Dei, ut, qui te illis in regionibus vice nostra ex apostolica auctoritate pergere fecit et in opacam silvam lumen[d] veritatis per os tuum micare praedistinavit, opitulationis suae misericordissimum tribuat incrementum; quatenus de fructu operis et ipse valeas premia percipere et nos veniam peccatorum invenire. Deus te incolomem custodiat, reverentissime frater. Data 10 Kalendas Decembris, imperante domno[e] piissimo augusto Leone a Deo coronato magno imperatore anno decimo, post consulatum eius anno decimo[f], sed et Constantino magno imperatore filio[g] eius anno 7, indictione decima.

---

28. *Gregorius III papa Bonifatio, quod iam permultos ad Christi fidem converterit, gratulatur, eumque et archiepiscopum facit et pallii iure ornat. Ad eius interrogationes respondet*[h] [1]. (S 122, WG 25)

Reverentissimo et sanctissimo fratri Bonifatio coepiscopo — c. 732
ad inluminationem gentis Germaniae vel circumquaque in umbra

a. quod *M*, quọ *C*; nisi coerciti *R*. b. sedulitas *R*. c. kmāē *M*. d. lumine *corr. in* lumen *C*. e. *om. M*. f. post consulatum — decimo *scripsi pro* imperii eius *MC*. *V. supra p.* 17. g. filio *scripsi pro* regni *MC*. h. *ex M* 4*v* — 6*v*, *ubi — sine lemmate quidem — inter Gregorii secundi litteras legitur haec epistola.*

1. Haec epistola licet in cod. (M) et in Gratiani decreto (v. infra p. 92 n. 2, p. 93 n. 1, 2) Gregorio II ascribatur, tamen, cum Willibaldus in Bonifatii vita pallium a Gregorio III missum Bonifatio esse narret, has litteras a tertio Gregorio esse liquet.

c. 732 mortis morantibus gentibus, in errore constitutis, ab hac apostolica Dei ecclesia directo — Gregorius servus servorum Dei.

Magna nos habuit gratulatio, lectis sanctissime fraternitatis tuae litteris; cum in eis, relecta serie, fuisset repertum, domini nostri Iesu Christi gratia plurimos te a gentilitate et errore ad vere fidei agnitionem convertisse. Quod quia divina institutione docemur in parabolis, cui quinque talenta credita fuerant, alia quinque fuisse lucratum[1], in talis[a] commercii lucro cum tota plaudemus aecclesia. Hinc iure tibi sacri pallei direximus munus, quod beati Petri apostoli auctoritate suscipiens induaris; atque inter archiepiscopos unus, Deo auctore praecipimus, ut censearis. Qualiter enim eum utaris, ex mandato apostolico informatus cognosces ita: ut, dum missarum sollempnia geris vel episcopum te contingerit consecrare, illo tantummodo tempore eum utaris.

Quia vero turbas, Domini gratia, in eisdem partibus ad rectam fidem asseruisses[b] conversas[c], nequire te occurrere omnibus: ea quae salutis sunt impendere aut intimare — cum iam longe lateque, gratia Christi, eius fides in illis partibus propagetur — precipimus[2]: ut iuxta sacrorum canonum statuta, ubi multitudo excrevit fidelium, ex vigore apostolicae sedis debeas ordinare episcopos; pia tamen contemplatione, ut non vilescat dignitas episcopatus[3].

Presbiterum namque quem preterito asseruisti anno ad nos advenisse nostroque iudicio fuisse a suis nefariis absolutum actionibus, credas, neque nobis confessiones aliquas fecit nec a nobis, ut suos expleat libitus, absolutus est. Sed, si eum errori deditum reppereris, hunc apostolicae sedis vigore ut iuxta sanctorum canonum censuram[d] corrigas precipimus et emendes;

a. talibus *M.* b. asseruisse *M.* c. conversos *M.* d. censura *M.*

1. Matth. 25, 16. 2. „Praecipimus — episcopatus“ sunt Gregorio iuniori (id est secundo) tributa in Gratiani Decr. P. II c. 16 qu. 1 can. 53. 3. Cf. Gratiani Decr. P. I D. 80 can. 3: „Episcopi non in castellis aut modicis civitatibus debent constitui — et episcopus non ab uno sed a pluribus debet episcopis ordinari, et, ut dictum est, non ad modicam civitatem, ne vilescat nomen episcopi“.

vel si quos forsan[a] tales inveneris. Ille enim veniens: *Presbiter sum* ait; commendaticias apud filium nostrum Carolum litteras expetiit. Nullam illi aliam concessimus licentiam. Quem vitari, si prave conversatur, cum reliquis volumus. c. 732

Eosdemque, quos[1] a paganis baptizatos esse asseruisti, si ita habetur, ut denuo baptizes in nomine Trinitatis, mandamus.

Inter ea agrestem caballum aliquantos adiunxisti comedere, plerosque et domesticum. Hoc nequaquam fieri deinceps sanctissime sinas frater, sed, quibus potueris Christo iuvante modis, per omnia conpesce; et dignam eis interdicito paenitentiam. Inmundum enim est atque exsecrabile.

Pro oboeuntibus[2] quippe, consuluisse dinosceris[b], si liceat oblationes offerre. Sancta sic tenet aecclesia, ut quisque pro suis mortuis vere christianis offerat oblationes atque presbiter eorum faciat memoriam. Et quamvis omnes peccatis subiaceamus, congruit, ut sacerdos pro mortuis catholicis memoriam faciat et intercedat. Non tamen pro impiis, quamvis christiani fuerint, tale quid agere licebit.

Nam et eos, qui se dubitant fuisse baptizatos an non, vel qui a presbitero Iovi mactanti et immolaticias carnes vescenti, ut baptizentur precipimus.

Progeniem vero suam quemque usque ad septimam observare decernimus[3] generationem.

Et si valueris, devita[c]: ne amplius, cui mulieres obierint, duabus debeat copulari.

De his vero dicimus, qui patrem matrem fratrem aut sororem occiderint, ut toto vitae suae tempore corpus non suscipiat dominicum, nisi sui temporis exitu pro viatico. Abstineat enim se et a carnis commestione et potu vini, donec advixerit; ieiunet secundam et quartam et sextam ferias; et sic possit deflens diluere commissum scelus.

a. forsam *M.* b. consoluisse dinosceres *M.* c. debita *M.*

1. „Quos a paganis — mandamus“ sunt Gregorio II tributa in Gratiani Decr. P. III de consecr. D. 4 can. 52. 2. „Pro obeuntibus — licebit“ sunt Gregorio II attributa in Gratiani Decr. P. II c. 13 qu. 2 can. 21. 3. Cf. Decr. Gratiani P. II c. 35 qu. 2 et 3 can. 16.

c. 732 Nam et hoc inter alia discrimen agi in partibus illis dixisti, quod quidam ex fidelibus ad immolandum paganis sua venundent mancipia. Hoc ut magnopere corrigere debeas, frater, commendemus, nec sinas fieri ultra; scelus enim est et impietas. Eis ergo, qui hoc perpetrati sunt, similem homicide indices paenitentiam.

Ut, quoties episcopum consecraveris, duo vel tres conveniant tecum episcopi, ut Deo sit gratum quod geritur, ut eis convenientibus ipsisque presentibus consecres.

Haec te, karissime frater, diligenter observare volumus. Et studio pietatis coeptum negotium salutis exsequere; ut de lucro adportato valeas a domino Deo nostro mercedem percipere in aeterna beatitudine. Privilegium vero iuxta quod petisti facientes, his iunctum dreximus; optantes, te domini Dei nostri presidio de conversione errantium Christo deo nostro plenissimum atque integrum adportare lucrum. Deus te incolumem custodiat, reverentissime frater.

---

29. *Bonifatius Pehthelmo episcopo Witernensi munera mittit. Quaerit, liceatne viro uxorem ducere eam, cuius filio baptizando sponsor interfuerit*[a]. (S 11, WG 39)

735 Venerando[b] fratri immo diligendo Pehthelmo coepiscopo[1] Bonifacius exiguus servus servorum Dei optabilem in Christo caritatis salutem.

Paternam sanctitatis vestrae clementiam intimis obnixe flagitamus precibus, quia nobis opus est periclitantibus: ut vestris Deo dignis orationibus adiuvemur; et, quia Germanicum mare periculosum est navigantibus, vestris precibus et Deo gubernante ad aeternae tranquillitatis litus sine macula vel damno animae perveniamus; et, dum caecis proprias tenebras ignorantibus et

a. *ex M* 84*v* — 85, *C* 66 — 67, *V* 7. *Lemma:* Item epistola Bonifacii archiepiscopi *MCV*. b. Dilectissimo ac reverentissimo *M*.

1. episcopo Candidae-casae s. Witernensi (prov. Glascuensis; in Scotia: „Hwiterne") qui, circ. a. 730 episcopus factus (v. Bedae hist. eccl. V 23, Opp. ed. Giles III p. 294), obiit a. 735 (v. Florentii Wigorn. chron. in Mon. hist. Britan. I 542.

aspicere nolentibus lumen euangelicae veritatis offere nitimur, 735 tenebris propriorum peccaminum non involvamur; et non in vacuum curramus aut cucurrissemus[1]; sed, vestris intercessionibus fulti, ad aeternitatis lumen inmaculati et inluminati tendamus. Preterea parva munuscula pro indicio caritatis vobis dereximus, id est corporale pallium, albis stigmatibus variatum, et villosam ad tergendos pedes servorum Dei. Quae petimus ut pro memoria accipere non dedignemini.

De una quoque re vestrum consilium et responsum audire desideramus. Adfirmant sacerdotes per totam Franciam et per Gallias nec non et pro his: maximi criminis reum esse hominem, qui in matrimonium acciperit[a] illam viduam, cuius antea filium in baptismo adoptivum suscipiebat. Quod peccati genus, si verum est, actenus ignorabam, et nec in antiquis canonibus nec in decretis pontificum patres nec in calculo peccatorum apostolos usquam enumerasse cognovi. Qua de re si aliquid uspiam in ecclesiasticis scriptis disputatum invenissetis, nobis indicare curate; et quid vobis videatur, nosse velimus[b]. Sospitatem vestram sanctis virtutibus proficere, et longo tempore valere te[c] cupio in Christo.

---

30. *Bonifatius Nothelmi archiepiscopi Cantuariensis amori se commendat. Petit, ut Augustini interrogationes et S. Gregorii responsiones sibi mittat. Sitne sancitum, ne quis uxorem ducat, cuius filio baptizando sponsor interfuerit. Quo incarnationis anno primi sacerdotes a S. Gregorio in Angliam missi sint*[d]. (S 15, WG 40)

Domino dilectissimo, summi pontificatus infula praedito[e], 735 Nothelmo archiepiscopo[2] Bonifacius exiguus servus servorum Dei optabilem in Christo aeternae caritatis salutem.

Almitatis vestrae clementiam intimis obsecro precibus: ut

a. *corr. in* acceperit *C.* b. vellimus *MV,* vellemus *C.* c. te *erasum est in C.* d. *ex M* 86*v* — 87*v*, *C* 68*v* — 69, *V* 8 — 8*v*. *Lemma:* Item epistola Bonifacii archiepiscopi *MCV.* e. inp̄dito *MV, deletum est in ante* predito *in C.*

1. Galat. 2, 2: „ne forte in vacuum currerem aut cucurrissem“. 2. Cantuariensi, 735—740.

735 mei in vestris[a] sacrosanctis orationibus memores esse dignemini; et navem mentis meae, variis Germanicarum gentium tempestatum fluctibus quassatam[b], precibus vestris in portu[c] firmae petrae stabilire studeatis; et ut communioni fraternae non aliter, quam ut mihi venerande memoriae[d] antecessor vester Berhtwaldus archiepiscopus[1] exeunti a[e] patria concessit, vobiscum adunatus sim[f] nexu spiritali et, glutino[g] caritatis coniunctus, simul cum fraternis comitibus peregrinationis meae catholicae fidei unitate et spiritalis amoris dulcedine semper sociatus vobis esse merear.

Similiter et diligenter obsecro: ut illius epistolae, qua continetur[h], ut dicunt, interrogationes Augustini pontificis ac praedicatoris primi Anglorum et responsiones sancti Gregorii papae[2], exemplar mihi dirigere curetis — in qua inter cetera capitula continetur: quod in tertia generatione propinquitatis fidelibus liceat matrimonia copulare[3]; — et ut scrupulosa cautela[i] diligenter investigare studeatis: si illa conscriptio supra dicti patris nostri sancti Gregorii esse conprobetur an non. Quia in scrinio Romanae ecclesiae, ut adfirmant scrinarii, cum ceteris exemplaribus supra dicti pontificis quaesita non inveniebatur.

Praeter ea de uno peccato commisso vestrum consilium audire desidero, quod cuidam homini in matrimonio concedendo nesciens commisi. Quod hoc modo contigit. Homo quidam, sicut multi solent, alterius filium de sacri baptismatis fonte elevans adoptavit[k] sibi in filium; cuius matrem postea, viduatam marito, duxit uxorem. Quod Romani peccatum esse adserunt, et capitale peccatum; ita ut in talibus divortia facere praecipiant[l]. Et adfirmant, regnantibus christianis imperatoribus illius

a. vestro *MV, corr. in* vestris *C.* b. quassatum *MVC.* c. inportunę *V.* d. memoria *V.* e. exeunti a *corr. in* ex reverentia *C.* f. sum *M.* g. gluttino *CV.* h. *corr. in* continentur *C.* i. cautella *MV, corr. in* cautela *C.* k. adoptabit *V.* l. praecipiunt *MV, corr. in* praecipiant *C.*

1. Cantuariensis 692—731. V. Bedae Hist. eccl. V 8 et 23 (Opp. ed. Giles T. III 186 et 292). 2. quae leguntur ap. Bedam, Hist. eccl. I 27 (Opp. ed. Giles T. II 106 sq.). Cf. Regesta pont. Rom. p. 144 n. 1414. 3. hoc pacto: „Unde necesse est, ut iam tertia vel quarta generatio fidelium licenter sibi iungi debeat".

matrimonii scelus capitali sententia multandum vel peregrina- 735
tione perpetua delendum. Ut, si hoc in catholicorum patrum decretis vel canonibus vel etiam in sacro eloquio pro tam magno peccato conputatum esse inveniretis, indicare mihi curetis; ut et ego intellegendo cognoscam, cuius auctoritas sit in illo iudicio. Quia nullatenus intellegere possum, quare in uno loco spiritalis propinquitas in coniunctione carnalis copulae[a] tam grande peccatum sit; quando omnes in sacro baptismate Christi et ecclesiae filii et filiae, fratres et sorores esse comprobemur.

Similiter rogo, ut mihi studeatis indicare: in quoto anno ab incarnatione Christi praedicatores primi, missi[b] a sancto Gregorio, ad gentem Anglorum venissent. Vale.

---

31. *Bonifatius Duddonem abbatem veteris amicitiae commonefacit. Petit, ut sibi libros de S. Paulo scriptos mittat; quaeratque, cur cautum sit, ne, qui baptizando filio interfuerit, eiusdem matrem in matrimonium ducat*[c].

(S 22, WG 41)

Dilecto filio Duddo[1] abbati Bonifacius qui et Wynfrethus 735
servus servorum Dei[d] optabilem in Christo caritatis salutem.

Memorem te esse, fili carissimę, desidero sapientis cuiusdam sententiae, qui dixit: *Serva antiquum amicum*[2]; ut antiquae amicitiae, quam in pueritia iam olim coepimus et servavimus, in senectute non obliviscaris; sed recorderis patris tui, iam nunc decrepiti et membris omnibus ad viam universae terrae vergentibus. Et licet parum doctus praeceptor fuissem, tamen tibi omnium devotissimus, ut ipse testis es, esse studivi[e]. Illius devotionis memor, miserere iam senis, Germanici maris tempestatibus undique quassantibus fatigati; hoc est, ut orationibus[f] ad Deum fusis me sublevare studeas et in sanctis scripturis

a. copula *MV.* b. misi *MV.* c. *ex M* 102—102*v*, *C* 82—82*v*, *V* 16*v*—17. *Lemma:* Item epistola Bonifacii archiepiscopi *MCV.* d. servorum Dei servus *M.* e. studivi *MV, corr. in* studui *C.* f. orationis *MV, corr in.* orationibus *C.*

1. „Dud abbas“ apparet in tabula Hillae anno 744 data, ap. Kemble Codex dipl. aevi Saxonici I 111. 2. Eccli. 9, 14: „Ne derelinquas amicum antiquum“.

735 adiuvare; maxime in sanctorum patrum spiritalibus tractatibus. Quia spiritalis tractatus magister legentium sacrum eloquium esse dinoscitur. Rogo, ut mihi in adiutorium divinae scientiae partem tractatus super apostolum Paulum, quae[a] mihi deest, mittere digneris. Habeo enim super duas epistolas tractatus, id est ad Romanos et ad Corintheos primam. Similiter, ut[b] quicquid in sacro scrinio[c] inveneris et mihi utile esse arbitreris et me latere vel scriptum non habere aestimes, insinuare, sicut fidelis filius licet rustico patri, et rescripta beatitudinis tuae dirigere dignare. Et, si tibi placuerit ut iusseris, ambo inter nos ita faciamus, ut quicquid[d] . . . . . tibi filius meus Eaba[e] presbiter, gerulus litterarum mearum[f], verbo indicaverit de matrimonio commatrum, quarum filios in baptismo suscepimus, in scripturis quaere: unde iudicetur capitale peccatum esse apud Romanos. Et si alicubi in scriptis ecclesiasticis de hoc peccato disputatum aliquid reperias, mihi manifestare non dubites. Valere dilectionem beatitudinis tuae[g] et prosperis successibus proficere in Christo optamus.

---

32. *Bonifatius Eadburgam abbatissam Thanetensem rogat, ut S. Petri epistolas sibi describat litteris aureis*[h].

(S 28, WG 19)

735 Reverentissimae ac dilectissimae sorori Eadburge[i] abbatissae[1] Bonifacius exiguus servus servorum Dei in Christo optabilem caritatis salutem.

Deum omnipotentem, retributorem et remuneratorem omnium bonorum operum, deprecor: ut tibi in caelestibus mansionibus et in aeternis tabernaculis omnium beneficiorum tuorum, quae mihi prestitisti, aeternalem mercedem, et in superna curia beatorum angelorum, restituat. Quia sepe, sive solamine librorum

a. quem *M.* b. ut *deletum est in C.* c. scrutinio *MV, corr. in scrinio C.* d. *hoc loco quaedam excidisse liquet; neque vero lacuna in codd. relicta est.* e. eaba *MV, corr. in* eabo *C.* f. meo *V.* g. beatitudinem tuam *V.* h. *ex M* 104—104*v*, *C* 84—84*v*, *V* 18*v*. *Lemma:* Item epistola Bonifacii archiepiscopi *MCV.* i. Eadbun *MC,* Eadburge *V.*

1. Thanetensi, v. supra p. 53 n. 2.

sive vestimentorum adiuvamine, pietas tua tristitiam meam consolata est. Sic et adhuc deprecor, ut augeas quod coepisti; id est: ut mihi cum auro conscribas epistolas domini mei sancti Petri apostoli, ad honorem et reverentiam sanctarum scripturaram ante oculos carnalium in praedicando, et quia dicta eius, qui me in hoc iter direxit, maxime semper in praesentia cupiam habere. Et ad scribendum hoc, quod rogo, per Eoban presbiterum destino. Fac ergo, soror carissima, de hac petitione nostra, sicut benignitas tua de cunctis precibus meis semper solebat; ut et hic opera tua ad gloriam caelestis patris aureis litteris fulgeant. Valere te[a] in Christo et sanctis virtutibus ad meliora conscendenda proficere opto. 735

---

33. *Daniel episcopus Vintoniensis Forthereo episcopo Sciréburnensi commendat Merwalhum, tandem factum diaconum*[b].

(S 66, W 148, G 138)

Patri Dei familiae et digno nobis consacerdoti Forthere[1] 709—738
Danihel[2] sanctae plebi famulus.

Recitatis supplicatoriis nobis allatis litteris de diaconatu electi fratris mei Merwalh, et quamvis posterius ordinaliter constituto tempore eis venisset, qui presbiterii et diaconii[c] ordinem fuerant adepti, non distulimus eum. Quamquam incognita et inportuna petitio visa, prevaluit tamen pia fratrum postulatio; eo quod nihil defuisse in eo meriti, una vobiscum conspeximus ad ordinem diaconii promoveri. Postposita nobis distentione et sua deposita pertinatia, etsi sero, tandem consentaneus effectus est; officiumque honoris susceptus[d] est. Ideo cum advertitis, vobis satis in eo factum, et voti conpotes adsequuti, honorifice iam eum in levitarum numero constitutum habitote eique[e] in magisterio perfecta devotione concurrite; ut fiduciam in Christo Iesu adquirere valeatis. Longe vos in fide catholica et felicis[f] successibus florere faciat omnipotentis Dei gloria.

a. te *om. MV, superscriptum est in C.* b. *ex V* 36*v. Lemma:* Item epistola Danielis. c. diaconi *V. Cf. infra.* d. *an* adeptus? e. eisque *V.* f. *sic.*

1. episcopo Sciréburnensi 709—738. 2. ep. Vintoniensis 705—744.

---

34. *Bonifatius suis in Germania relictis significat, se a Gregorio III papa bene susceptum esse, concilioque celebrato ad eos reversurum*[a]. (S 27, WG 42)

c. 737-738 Dilectissimis filiis Geppan[b] et Eoban, Tatwino et Wyigberto[c] et omnibus fratribus ac sororibus nostris Bonifacius servus servorum Dei in Christo purae caritatis salutem.

Notum sit caritati vestrae, et gratias agite Deo: quia, cum prosperitate venientes ad limina beati Petri principis apostolorum, gratanter nos cum gaudio apostolicus pontifex[1] suscepit; et de legatione nostra laeta responsa reddidit; et consilium et praeceptum dedit, ut iterum ad vos revertamus et in certo labore persistamus. Nunc autem hic exspectantes sacerdotum concilium[d] vel synodus consultum, adhuc ignoramus: quando hoc fieri faciat apostolicus[e] pontifex. Sed eo finito, Deo volente et vita comite, ad vestram praesentiam festinabimus[f]. Hoc autem scientes, nos cum fraterna caritate et fidei unitate exspectate, alter alterius honera portantes; et sic adimplebitis legem Christi[2] et gaudium vestrum renovabitis. Valete in Christo et orate pro nobis.

---

35. *Gregorius III papa omnibus episcopis presbyteris abbatibus Bonifatium Roma revertentem commendat, cui ad paganos in fide erudiendos concedant adiutores*[g]. (S 127, WG 43)

c. 737-739 Gregorius episcopus servus servorum Dei dilectissimis nobis omnibus episcopis, venerabilibus presbyteris, religiosis abbatibus omnium provinciarum.

Domino cooperante et sermonem confirmante[3] per[h] presentem sanctissimum virum Bonifatium, fratrem ac coepiscopum nostrum, verbum veritatis, sicut a decessore nostro sanctae recordationis Gregorio presule in illis partibus missus fuerat predicare verbum Dei, post multum temporis, Domino cooperante

a. *ex M* 103*v*—104, *C* 83*v*—84, *V* 18*v*. *Lemma:* Item epistola Bonifacii archiepiscopi *MCV*. b. Geppam *M*, Geppā *C*, Geppan *V*. c. Wyigberto *V,M* Wygberto *C*. d. consilium *M*. e. apostolicis *V*. f. festinavimus *MV*, *corr. in* festinabimus *C*. g. *ex M* 12—12*v*. *Sine lemmate.* h. per *addidi.*

1. Gregorius III. 2. Galat. 6, 2. 3. Marc. 16, 20.

anchelanti desiderio orationis causa liminibus sacris beatorum c. 737-739
principum apostolorum Petri ac Pauli presentandus advenit. Qui, perfecta oratione, ad acceptum laborem, angelo Domini previante, a nobis est absolutus. Cui vestra omnium dilectio seu reverentia et relegiositas propter Christi amorem iuvamina inpendere dignemini; dum et agnoscitis, quae dominus noster Iesus Christus inquit dicens: *Qui susciperit prophetam in nomine prophetae, mercedem prophetae accipiet; et qui susciperit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet*[1]. Et si forsitan ex vestris ministris sese ipso sanctissimo viro in ministerio exhortationis sanctae catholice fidęi adiungere voluerit, nullo modo prohibeatis, karissimi. Magis autem concursum prebetę, et ex vestro ovile adiutores ei tribuite, qui possint per Dei gratiam sufficienter gentibus ministrare verbum predicationis[a]: ut omnipotenti Deo nostro animas lucrifaciant; ut et vestra communitas boni operis portionem sortiatur, atque illi mereantur dominicam vocem audire: *Vos, qui dereliquistis omnia et secuti estis me, centuplum accipietis et vitam aeternam possidebitis*[2]. Bene valetę.

---

36. *Gregorius III papa optimates et populum provinciarum Germaniae monet, ut Bonifatio redeunti obsequantur, ritusque ethnicos devitent*[b]. (S 128, WG 44)

Gregorius papa universis optimatibus et populo provincia- c. 737-739
rum Germaniae, Thuringis et Hessis, Bortharis et Nistresis, Wedreciis et Lognais, Suduodis et Graffeltis vel omnibus in orientali plaga constitutis.

Quoniam decessor noster sanctae recordationis Gregorius presul, nutu divino motus, ad faciendam Deo plebem perfectam[3] presentium portitorem litterarum Bonifatium, reverentissimum fratrem nostrum ac coepiscopum, ordinans ad vos usque distinavit, eumque regulam et normam[c] apostolicae et catholicae fidei Romanae, cui Deo auctore deservimus, aecclesiae edocens,

a. perdicationis *M.* b. *ex M* 12*v*—13*v* (*in C* 3 *non est nisi exitus epistolae*). *Sine lemmate.* c. regulam et regulam *M.*

1. Matth. 10, 41. 2. Cf. Matth. 19, 29. 3. Luc. 1, 17.

c. 737-739 direxit; et post temporum spatia orationis causa ad limina beatorum principum apostolorum sese presentavit et, quae ad salutem animarum pertinent, a nobis exposcit imbueri; nos, Deo favente ut sacra docet scriptura eum edocantes, ad vos, karissimi, remeandum absolvimus; hortantes vos in Domino: ut digne suscipiatis ab eo verbum exhortationis, et episcopos presbiteros, quos ipse ordinaverit per apostolicam sibi datam auctoritatem, in aecclesiae ministerio recipiatis. Et quos forsitan deviantes invenerit a recte fidei tramite seu canonica doctrina eosque prohibuerit, a vobis nullo modo inpediatur; et quod eis inpositum fuerit, oboediendo propter Deum suscipiant. Nam qui temerator exstiterit ad oboediendum, sibi ipso dampnationem adquirit[1]. Vos autem, karissimi, qui in nomine Christi baptizati estis, Christum induistis[2], abstinete et prohibete vosmet ipsos ab omni cultu paganorum; non tantum vosmet ipsos corrigentes, karissimi, sed et subditos vestros. Divinos vel sortilegos, sacrificia mortuorum, seu lucorum vel fontium auguria vel filacteria et incantatores et veneficos, id est maleficos, et observationes sacrilegas, quae in vestris finibus fieri solebant, omnino respuentes atque abicientes, tota mentis intentione ad Deum convertimini. Ipsum timete adorate et honorificate, sanctorum memoriis communicantes[3], ut ait apostolus. Si enim fides vestra Domino dicente fuerit ut granum sinapis, dicetis monti huic: *Transi hinc*, et transfertur[4]. Ipse enim dominus Deus et salvator noster Iesus Christus in suo sacro eloquio inquit dicens: *Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota virtute tua*[5]; et iterum: *Qui me confessus fuerit coram hominibus, et ego confitebor eum coram Patre meo, qui in caelis est*[6]. Unde et in alio loco promisit dicens: *Quodcumque petieritis Patrem in nomine*[a] *meo, fiet vobis*[7]; et iterum: *Petite et accipietis, quaerite et invenietis, pulsate et aperietur vobis; omnis enim qui petit accipit, et qui querit in-*

a. nomne *M.*

1. Rom. 13, 2. 2. Galat. 3, 27. 3. Cf. Rom. 12, 13. 4. Matth. 17, 19. 5. Matth. 22, 37. 6. Matth. 10, 32, Luc. 12, 8. 7. Cf. Ioh. 14, 13.

venit, et pulsanti aperietur[1]. Et vos, karissimi, facite fructus dignos[2], ut in die adventus domini nostri Iesu Christi sidereas mereamini adipiscere[a] mansiones. Bene valete. c. 737-739

---

37. *Gregorius III papa episcopis Baioariae et Alamanniae mandat, ut, Bonifatii vicarii sui praeceptis usi, mores gentiles abiciant et bis in anno concilium celebrent*[b].

(S 129, WG 45)

Dilectissimis nobis episcopis in provincia Baioariorum et Alamannia constitutis, Wiggo[c 3] Liudoni[4] Rydolto[5] et Phyphylo[d 6] seu Addae[7], Gregorius papa. c. 737-739

Catholica et sanctorum patrum iubet auctoritas: ut bis in anno pro salute populi christiani seu exhortatione adoptionis filiorum[8] sinodalia debeant celebrari et causarum canonicarum examinatio provenire; ut, unius cuiusque[e] ut[f] necessitas poposcerit, pia edocatione[g] subveniantur[h]. Unde secundum apostoli doctrinam ammoneo et hortor vos, karissimi, per misericordiam Dei: ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis[9], ut ministerium vestrum perfectum sit coram Deo.

Oportunum namque est, vos nosse fratrem ac coepiscopum nostrum presentem Bonifatium, nostram agentem vicem, cum digno et debito honore pro Christi nomine suscipere. Et ministerium aecclesiasticum cum fide catholica secundum morem et normam sanctae catholicae et apostolicae Dei aecclesiae, qua misericordia Dei preveniente preesse videmur, sicut apostolica auctoritate a nobis distinatus est, ab eo suscipientes dignanter teneatis. Et gentilitatis ritum, et doctrinam vel venientium Brittonum vel falsorum sacerdotum hereticorum, sive adulteros[i],

a. *corr. in* adipisci *C.* b. *ex M* 13*v*—14*v*, *C* 3—3*v*. *Sine lemmate M;* Item Gregorii tertii *C.* c. Viggo *C,* Wiggo *corr. in* Wiggoni *M.* d. Phiphylo *C.* e. *corr. in* unicuique *C.* f. *corr. in* prout *C.* g. *corr. in* educatione *C.* h. *corr. in* subveniatur *C.* i. adultores *M.*

1. Luc. 11, 9. 10. 2. Matth. 3, 8. 3. Augustensi (sive Ratisbonensi). 4. Spirensi. 5. Constantiensi. 6. Pataviensi. 7. Argentinensi. 8. Rom. 8, 15: „accepistis spiritum adoptionis filiorum“. 9. Ephes. 4, 1.

c. 737-739 aut undecumque sint, rennuentes ac prohibentes abiciatis. Et ut populum, vobis a Deo commissum, piis ammonitionibus edoceatis et a sacrificiis mortuorum omnino devitetis. Et iuxta quod fueritis a predicto nostro consacerdote edocti, ita catholicam et apostolicam doctrinam tenentes, domino Deo et salvatori nostro placere festinetis. Et in quo vobis loco ad celebranda concilia convenire mandaverit, sive iuxta Danuvium[a] sive in civitate Augusta vel ubicumque indicaverit, pro nomine Christi[b] parati esse inveniamini; quatenus cognoscamus per eius mandatum de vestro conventu; ut in diem adventus Christi Iesu cum fructu boni operis ante eius tribunal adsistere mereamini, dicentes: *Ecce nos et pueri, quos dedisti nobis, Domine*[1]; *non perdidimus ex eis quemquam*[2], ut et vos dominicam vocem audire mereamini dicentem: *Venite, benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi*[3]. Bene valete[c].

---

38. *Gregorius III papa Bonifatio, qui ad centum milia Germanorum christianae fidei conciliaverit, gratulatur. Eum laudat, quod, quatuor Bavariae paroeciis institutis, tres episcopos creaverit. Addit de presbyteris consecrandis, de baptismate, de Vivilone, de concilio. In uno loco morandi licentiam ei denegat*[d]. (S 130, WG 46)

739 Oct. 29 Reverentissimo et sanctissimo fratri[e] Bonifatio coepiscopo Gregorius servus servorum Dei.

Doctoris omnium gentium, egregii apostoli beati Pauli, vox est dicentis: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*[4]. Agnoscentes itaque[f], in sillabis fraternitatis tuae innotuisti tam de Germaniae gentibus, quas sua pietate Deus noster de potestate[g] paganorum liberavit et ad centum milia animas in sinu sanctae matris aecclesiae tuo conamine et Carli[h] principis Fran-

a. *corr. in* Danubium *C.* b. *om. M.* c. Bene valete *om C.* d. *ex M* 14*v* —16, *C* 5*v* — 6*v*. *Sine lemmate M;* Item Gregorii tertii *C.* e. *om. M.* f. quod *excidisse videtur.* g. postate *M.* h. *corr. in* Caroli *C.*

1. Isai. 8, 18. 2. Ioh. 18, 9. 3. Cf. Matth. 25, 34. 4. Rom. 8, 28.

corum aggregare dignatus est, sed et in Baioariorum provincia 739 Oct. 29
quae a te acta sunt agnoscentes, datori omnium bonorum domino Deo nostro, extensis ad caelum palmis, gratias retulimus. Qui ianuam misericordiae et pietatis in illis partibus Speriis[a], ad cognoscendam viam salutis, ostium misericordiae[b] aperuit; et misit angelum suum, qui praeparavit viam tuam ante te[1]. Ipsi gloria in secula seculorum.

Igitur, quia indicasti: perrexisse te ad gentem Baioariorum et invenisse eos extra ordinem aecclesiasticum viventes, dum episcopos non habebant in provincia, nisi unum nomine Vivilo[2], quem nos ante tempus ordinavimus; et quia[c] cum assensu Otile[d], ducis eorumdem Baioariorum, seu optimatum provinciae illius tres alios ordinasses episcopos; et in quattuor partes provinciam illam divisistis, id est quattuor parrochiae[e], ut unus quisque episcopus suum habeat parrochium[f]; bene et satis prudenter peregisti, frater. Quoniam apostolicam preceptionem ex nostra vice implesti et, sicut tibi precepimus, ita peregisti. Itaque non desinas, frater reverentissime, docendo eos sanctam catholicam et apostolicam Romanae sedis traditionem; ut inluminentur rudes et viam salutis teneant, per quam possint ad aeterna praemia pervenire.

Presbiteros vero[3], quos ibidem repperisti — si incogniti fuerint viri illi, a quibus sunt ordinati, et dubium est, eos episcopos fuisse an non, qui eos ordinaverunt — si bone actionis et catholici viri sunt ipsi presbiteri et in ministerio Christi, omnemque legem sanctam edocati[g], apti[h] ab episcopo suo benedictionem presbiteratus suscipiant et consecrentur, et sic ministerio sacro fungantur.

Illi quippe, qui baptizati sunt per diversitatem et declinationem[i] linguarum gentilitatis, tamen quod[k] in nomine Trinitatis

a. *corr. in* Hesperiis *C.* b. ostium misericordiae *subducta linea deletum est in C.* c. qui *M,* quia *C.* d. Otilonis *C.* e. parrochiae *M,* parrochias *C.* f. *corr. in* suam — parrochiam *C.* g. *corr. in* omnique lege sancta educati *C.* h. abti *M;* apti *corr. in* aperte *C.* i. *corr. in* pro diversitate et declinatione *C.* k. quia *C.*

1. V. Matth. 11, 10. 2. ep. Pataviensem. 3. „Presbyteri, quos — fungantur“ sunt in Gratiani Decr. P. I D. 68 can. 2.

739 Oct. 29 baptizati sunt, oportet eos per manus inpositionis[a] et sacri crismatis[b] confirmari.

Nam Vivilo episcopus a nobis est ordinatus. Et si aliquid excedit extra canonicam regulam, doce et corrige eum iuxta Romanae aecclesiae traditionem, quam a nobis accepisti[c].

De concilio vero, ut iuxta ripam Danuvii[d] debeas celebrare nostra vice, praecipimus fraternitati tuae, apostolica auctoritate te ibidem praesentari. Et in quantum Dominus tibi vires dederit, praedicare verbum salutis non cesses, ut religio christiana in nomine Domini crescat et multiplicetur.

Nec enim habebis licentiam, frater, percepti[e] laboris[f] in uno morari loco. Sed confirma corda[g] fratrum et omnium fidelium, qui rures[h] sunt in illis Speriis[i] partibus; ubi tibi Dominus aperuerit viam salutis, praedicare non desistas. Et ubi locum inveneris necessarium, secundum canonicam regulam episcopos ordina ex nostra vice, et apostolicam atque canonicam traditionem eos tenere edocabis[k]. Ex hoc enim magnum mercedis praemium tibi praeparabis; quoniam omnipotenti Deo nostro facies plebem perfectam[1]. Non pigeas, dilectissime frater, itinera carpere aspera et diversa, ut christiana fides longe lateque tuo conamine extendatur. Scriptum namque est: *Arta et angusta via, quae ducit ad vitam*[2]. Operare itaque, frater, bonum opus quod cepisti, ut in die Christi dei nostri merearis dicere, inter cetum sanctorum probabilium patrum assistens: *Ecce ego et pueri, quos dedisti mihi*[3]*; non perdidi ex eis quemquam*[4]; et iterum: *Domine, quinque talenta mihi tradidisti; ecce alia quinque superlucratus sum*[5]; ut subsequenter merearis vocem Domini audire[l] dicentis: *Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam; intra in gaudium Domini tui*[6]. Deus te incolomem custodiat, reverentissime

a. *corr. in* inpositionem *C.* b. chrismatis *C.* c. accepistis *C.* d. *corr. in* Danubii *C.* e. procepti *corr. in* percepti *M;* pro cepti *C.* f. officio *addidit manus alia in C.* g. *corr. in* confirmato corde *C.* h. rures *M; corr. in* rudes *C; an* rure? i. *corr. in* Hesperiis *C.* k. *corr. in* educabis *C.* l. *om. M.*

1. Luc. 1, 17. 2. Matth. 7, 14. 3. Isai. 8, 18. 4. Ioh. 18, 9. 5. Matth. 25, 20. 6. Matth. 25, 21.

frater. Data 4 Kalendas Novembris, imperante domno piissimo augusto Leone (a Deo coronato magno imperatore anno vicesimo tertio, post consulatum[a]) eius anno vicesimo tertio, sed et Constantino magno imperatore eius filio anno 20, indictione octava[1]. 739 Oct. 29

---

39. *Bonifatius universos Anglos cohortatur, preces faciant, ut Saxones ad fidem Christi transeant*[b]. (S 6, WG 36)

Universis reverentissimis coepiscopis, venerabilibus presbiteratus candidatis gratia, diaconibus, canonicis, clericis, vero gregi Christi prelatis abbatibus seu abbatissis[c], humillimis et pro Deo subditis monachis, consecratis et Deo devotis virginibus et cunctis consecratis ancillis Christi, immo generaliter omnibus catholicis Deum timentibus, de stirpe et prosapia Anglorum procreatis, eiusdem generis vernaculus, universalis ecclesiae legatus Germanicus et servus sedis apostolice Bonifacius, qui et Wynfrethus, sine praerogativa meritorum nominatus archiepiscopus, humillimae communionis[d] et sincerissimae in Christo caritatis salutem. c. 732-741

Fraternitatis vestrae clementiam intimis obsecramus precibus, ut nostrae parvitatis in orationibus vestris memores esse dignemini, ut liberemur a laqueo venantis[2] satanae et ab inportunis et malis hominibus, et sermo Domini currat et clarificetur[3], et ut praecibus pietatis vestrae impetrare studeatis: ut deus et dominus noster Iesus Christus, qui vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem Dei venire[4], convertat ad catholicam fidem corda paganorum Saxonum; et resipiscant a diabuli laqueis, a quibus capti tenentur, et adgregentur filiis matris ecclesiae. Miseremini illorum, quia et ipsi solent dicere: *De uno sanguine et de uno osse sumus*[5]; recordantes: quia ad-

a. a Deo — consulatum *scripsi pro* imperii *MC. V. supra p.* 17. b. *ex V* 4*v*—5; *et C* 104 (*ubi fragmentum tantum huius epistolae legitur; v. infra p.* 108 *n. a*). *Lemma:* Item epistola Bonifacii archiepiscopi *V.* c. abbatisis *V.* d. commonionis *V.*

1. Omnes temporis notae hanc epistolam anno 739 attribuunt; v. supra p. 19. 2. V. Ps. 90, 3. 3. 2 Thess. 3, 1. 4. 1 Timoth. 2, 4. 5. sc. cum Saxonibus Britanniae.

c. 732-741 propinquat via universae terrae, et nemo in inferno confitebitur[a] Domino neque mors laudabit[b] eum[1]; et adpropinquat via universae terrae. Et scitote: quod in hac prece duorum pontificum Romanae ecclesiae[2] adstipulationem et consensum et benedictionem accepi. Agite nunc de hac obsecratione[c] nostra, ut mercedis vestrae praemia in superna curia angelorum clarescant et crescant. Unitatem et communionem dilectionis vestrae valentem ac proficientem in Christo creator omnipotens aeternaliter custodiat.

---

40. *Bonifatius Griponem, Caroli Martelli filium, obsecrat, si potestatem obtinuerit, ut presbyteros Thuringiae et monachos et monachas et omnino christianos a paganis defendat*[d].

(S 26, W 92, G 81)

741 exeunte anno Bonifacius servus servorum Dei Griponi[e] filio Carli[f3] optabilem in Christo salutem.

Obsecro et adiuro pietatem vestram per deum Patrem omnipotentem et per Iesum Christum filium eius et per Spiritum sanctum, per sanctam Trinitatem et unitatem Dei: ut si tibi Deus potestatem donaverit[4], ut[g] adiuvare studeas servos Dei, sacerdotes, presbiteros, qui sunt in Thyringia[h], et monachos et ancillas Christi defendere contra paganorum malitiam, et adiuvare christianum populum, ut eos pagani non perdant; ut ante tribunal Christi mercedem habeas perpetuam. Et cognoscite, quod memoria vestra nobiscum est coram Deo; sicut et pater vester vivus[5] et mater[6] iam olim mihi commendarunt. Depre-

a. confitebitur — custodiat *leguntur in C fol.* 104; *antecedens enim eiusdem codicis folium excisum est.* b. laudavit *V.* c. observatione *V.* d. *ex C* 107—107*v*, *V* 18. *Lemmata:* Epistola Bonifatii ad Griphonem filio Caroli *C;* Item epistola Bonifacii archiepiscopi *V.* e. Griponi *V*, Griphoni *C.* f. Carlo *V*, Caroli *C.* g. ut *deletum est in C.* g. Thuringia *C.*

1. Isai. 38, 18. 2. Gregorii II et III. 3. Martelli. 4 itaque hanc epistolam paullo post mortem Caroli Martelli (v. infra n. 5), exeunte anno 741 scriptam esse puto. Cf. Hahn Jahrbücher des fränk. Reichs p. 216. 5. Carolus Martellus obiit m. Octobri a. 741. 6. Swanahilde (Sonihilde); de qua v. Annales Einhardi 741 et Annal. Mettenses 719 et 741, Mon. Germ. SS. I 135, 325, 327.

camur Deum salvatorem mundi, ut dirigat viam vestram et vitam ad salutem animae vestrae; ut in gratia Dei semper hic et in futuro saeculo permaneatis. Interea mementote, filii carissimi, quia iuxta vocem psalmigrafi: Homo[a], sicut foenum dies eius, et sicut flos agri ita floriet[1]. Et apostolus ait: *Totus mundus in maligno positus est*[2]; et item in euangelio veritas dixit: *Quid enim proderit homini, si lucretur universum mundum, animae vero suae detrimentum patiatur?*[3] et iterum in euangelio de gloria iustorum: *Tunc fulgebunt iusti sicut sol in regno patris eorum*[4]. Et Paulus apostolus de beatitudine vitae aeternae: *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quod praeparavit Deus diligentibus se*[5]. Facite ergo, filii, ut mercedis vestrae praemia in alto[b] caelorum culmine clarescant et crescant[c]. Valere vos in longitudine dierum in Christo optamus. 741 exeunte anno

---

41. *Denehartus et Lullus et Burghardus Cuneburgam abbatissam rogant, ut pro se precetur. Duos libertos ad se mitti vult Lullus*[d]. (S 5, WG 35)

Dominae dilectissimae Christique relegiosissimae abbatissae Cuneburge[e] regalis prosapiae generositate praeditae Den(ehartus) et L(ul) et B(urghardus)[f 6], filii tui ac[g] vernaculi, sempiternae sospitatis salutem. c. 732-742

Agnoscere cupimus almitatis tuae clementiam, quia te prae ceteris cunctis feminini[h] sexus in cordis cubiculo cingimus amore: quod genitoris et genetricis et aliorum propinquorum nostrorum ob[i] obitum ad Germanicas gentes transivimus, usque in venerandi archiepiscopi Bonifatii[k] monasticae conversationis regula suscepti ipsiusque laboris adiutores sumus, in quantum

a. ó homo *V.* b. alta *V.* c. et crescant *om. C.* d. *ex C* 104*v* — 105*v*, *V* 4 — 4*v*. *Lemmata:* Epistola Deneharti et Lul ad Cuniburgam *C;* Item epistola *V.* e. Cuniburgae *C. Cf. supra p.* 12 *et* 13 *n.* 3. f. B. *codd. Scripsi* Burghardus, *ut scribendum esse videbatur Mabilioni in Act. SS. ord. Ben. saec. III,* 2 *p.* 393. g. an *C.* h. feminei *C.* i. ob *addidi.* k. boñ *CV.*

1. Cf. Ps. 102, 15. 2. 1 Ioh. 5, 19. 3. Marc. 8, 36. 4. Matth. 13, 43. 5. 1 Corinth. 2, 9. 6. post cp. Wirziburgensis.

c. 732-742 nostrae[a] pauperculae[b] vilitas praevalet. Nunc itaque ex intimis praecordiorum iliis[c] suppliciter flagitamus: ut digneris nos habere in tuae sacrae congregationis communione, et nostram lintrem, procellosis fluctibus huius mundi fatigatam, tuorum oraminum praesidio ad portum[d] salutis deducere et atra contra[e] piaculorum spicula parma tuae orationis protegere non recuses; sicut nos quoque, licet peccatores[f], pro tuae celsitudinis statu divino subfragio singulis momentis deprecantes sumus. Hoc vero, si corporibus praesentes[g] fuissemus, flexis genuum[h] poplitibus et salsis lacrimarum imbribus rogitantes diligenti petitione speramus posse impetrari; et nunc absentes hoc idem obnixis precibus postulamus. Illud etiam scire desideramus tuae sagacitatis industriam: quod, si cui nostrum contingit huius Brittanicae[i] telluris sceptra visitare, quod nullius hominis oboedientiam et institutionem antea quaerimus, quam tuae benivolentiae[k] subiectionem; qui[l] in te firmissimam spem mentis nostrae[m] positam habemus.

Similiter obsecramus: ut puerulos duos nomine[n] Beiloc[o] et Man — quos ego Lul et pater noster liberos dimisimus, Romam destinantes et avunculo[p] nostro commendavimus — pro mercede animae tuae[q], et si[r] liberi arbitrii sint[s] et[t] illorum voluntas sit et in tua potestate sint, nobis transmittere per harum litterarum gerulos studeas. Et si aliquis eis[u] prohibere vellet[v] iter pergendi sine iustitia, deprecamur, ut eos defendere digneris. Parva quoque munusculorum transmissio[w] scedulam istam comitatur; quae sunt tria, id est turis et piperis et cinnamomi permodica[x] xenia[y], sed omni mentis affectione destinata. Huius muneris magnitudinem ut non consideres, sed spiritalis caritatis amorem adtende, poscimus[z]. Illud etiam petimus, ut rusticitatem huius epistiunculae emendes[a], et nobis aliqua verba tuae dulcedinis non rennuas[b] dirigere, quae inhianter

a. noāē *C*, nōā *V*. b. *an* paupertatulae? c. illis *C*. d. portam *V*. e. *om. C*. f. peccatores *addidi*. g. presenti *V*. h. genarum *V*. i. Brettanicae *V*. k. bonevolentiae *V*. l. quia *C*. m. nōē *C*. n. .N̄. *C*, n̄ *V*. o. Begiloc *C*; *v. supra p.* 12 *et* 13 *n.* 4. p. abunculo *V*. q. meae *C*, tuae *V*. r. si *om. C*. s. sunt *C*. t. si *add. C*. u. *corr. in* eos *C*. v. velit *C*. w. transmisio *V*. x. permodia *V*. y. zenia *V*. z. poposcimus *V*. a. emendas *V*. b. rennues *V*.

audire gratulabundi satagimus. Vale, vivens Deo aevo longiore et vita feliciore, intercedens pro nobis. c. 732-742

---

42. *Bonifatius Zachariae creato papae gratulatur. Rogat, ut sedes episcopales, a sese Wirziburgi Buraburgi Erphesfurti constitutas, confirmet. Scribit de synodis habendis; de sacerdotibus improbis; de suo successore praestituendo; de re matrimoniali; de insaniis Kalendarum Ianuariarum Romae actitatis. Munera mittit*[a]. (S 132, W 51, G 49)

Domino karissimo, summi pontificatus infula predito, viro apostolico Zachariae Bonifatius servus servorum Dei. 742 Ian.—Mart.

Confitemur, domine pater, quia — postquam per nuntios referentes audivimus, quod venerande memoriae apostolatus vestri praecessor Gregorius[1], pontifex apostolicae sedis, ergastulo corporeo absolutus, ad Dominum migravit[2] — quod maiorem laetitiam et maius gaudium nobis non audivimus et, suspansis[b] ad aethera palmis, Deo gratias egimus, quam quod clementem paternitatem vestram altissimus Arbiter canonica iura regere et apostolicae sedis gubernacula gubernare concessit[3]. Ergo, non aliter quam ut ante vestigia vestra geniculantes, intimis subnixę flagitamus precibus: ut, sicut praecessorum vestrorum pro auctoritate sancti Petri servi devoti et subditi discipuli fuimus, sic et vestrae pietatis servi oboedientes, subditi sub iure canonico, fieri mereamur optantes, catholicam fidem et unitatem Romane ecclesiae servando. Et quantoscumque audientes vel discipulos in ista legatione mihi Deus donaverit, ad oboedientiam apostolicae sedis invitare et inclinare non cesso.

Necesse quoque habemus indicare paternitati vestrae: quia, per Dei gratiam Germaniae populis[c] aliquantulum percussis vel correctis, tres ordinavimus episcopos et provinciam in tres parrochias discrevimus. Et illa tria oppida sive urbes, in quibus constituti et ordinati sunt, scriptis auctoritatis vestrae confir-

a. *ex M* 17*v* — 21*v*, *C* 7*v* — 8. *Sine lemmate M;* Incipit epistola Bonifatii ad Zachariam *C.* b. *corr. in* suspensis *C.* c. populus *M.*

1. III. 2. 741 Nov. 29. 3. 741 Dec. 3.

742 Ian. —Mart. mari et stabiliri precantes desideramus. Unam esse sedem episcopatus decrevimus in castello, quod dicitur Wirzaburg[a]; et alteram in oppido, quod nominatur Buraburg[1]; tertiam in loco, qui dicitur Erphesfurt[b], qui fuit iam olim urbs paganorum rusticorum. Haec tria loca propria carta auctoritate apostolatus vestri roborare et confirmare diligenter postulamus: ut, si Dominus voluerit, per auctoritatem et praeceptum sancti Petri, iussionibus apostolicis, fundatae et stabilite sint tres in Germania episcopales sedes; et ut praesentes vel futurae generationes non praesumant, vel parrochias corrumpere vel violare praeceptum apostolicae sedis.

Notum similiter sit paternitati vestrae, quod Carlomannus dux Francorum me, arcessitum[c] ad se, rogavit: ut in parte regni Francorum, quae in sua est potestate, synodum cepere[d] congregare. Et promisit, se de aecclesiastica religione, quae iam longo tempore, id est non minus quam per sexaginta vel septuaginta annos, calcata et dissipata fuit, aliquid corrigere et emendare velle[e]. Quapropter, si hoc Deo inspirante veraciter implere voluerit, consilium et praeceptum vestrae auctoritatis, id est apostolicae sedis, habere et sapere debeo[f2]. Franci enim, ut seniores dicunt, plus quam per tempus octuginta annorum synodum non fecerunt nec archiepiscopum habuerunt nec aecclesiae canonica iura alicubi[g] fundabant vel renovabant. Modo autem maxima ex parte per civitates episcopales sedes traditae sunt laicis, cupidis ad possidendum, vel adulteratis clericis, scortatoribus et publicanis, seculariter ad perfruendum. Nam si per verbum vestrum hoc negotium, duce rogante supra dicto, movere et incipere debeo, praeceptum et iudicium apostolicae sedis cum canonibus[h] aecclesiasticis praesto habere cupio.

a. uuirzaburg *C.* b. erpesfurd *C.* c. accersitum *C.* d. cepere *M, corr. in* inciperem *C.* e. vellet *M.* f. debeo *om. M.* g. alicui *M.* h. *hic desinit fol.* 8 *cod. C, ubi quod sequebatur folium deest.*

1. quod in Hassia fuit prope Fritzlariam (inter occidentem et meridiem), in monte, qui etiam hodie Bürberg s. Büraberg vocitatur. De quo v. Falckenheiner Geschichte Hessischer Städte I 3 squ. 2. Itaque scripta est haec epistola ante diem 21 Aprilis a. 742. V. infra cap. 47.

Si invenero inter illos, diaconos quos nominant, qui, a pueritia sua semper in stupris semper in adulteriis et in omnibus semper spurcitiis vitam ducentes, sub tali testimonio venerunt ad diaconatum; et modo in diaconatu, concubinas quatuor vel quinque vel plures noctu in lecto habentes, euangelium tamen legere et diaconos se nominare nec erubescunt nec metuunt; et sic, in talibus incestis ad ordinem presbiteratus venientes, in hisdem peccatis perdurantes et peccata peccatis adicientes, presbiteratus officio fungentes, dicunt, se pro populo posse intercedere et sacras oblationes offerre; novissime, quod peius est, sub talibus testimoniis, per gradus singulos ascendentes, ordinantur et nominantur episcopi; ut habeam praeceptum et conscriptum auctoritatis vestrae, quid de talibus diffiniatis. Et per responsum apostolicum convincantur et arguantur peccatores. Et inveniuntur quidam inter eos episcopi, qui, licet dicant se fornicarios vel adulteros non esse, sed sunt ebriosi et incuriosi vel venatores, et qui pugnant in exercitu armati et effundebant propria manu[a] sanguinem hominum, sive paganorum sive christianorum. Et quia servus et legatus apostolicae sedis esse dinoscor, unum sit verbum et meum hic et vestrum ibi, si contingat, ad iudicium auctoritatis vestrae ut pariter missos[b] direximus.

742 Ian. — Mart.

Propter ea de una re et consilium quaerere et licentiam petere necesse habeo, eo quod venerande memoriae praecessor vester, sicut audistis, in praesentia vestra mihi praecepit, ut presbiterum post obitum meum, Deo volente, in aecclesiastico ministerio heredem et successorem constituere deberem. Et hoc mihi, si Dei voluntas est, placet. Sed modo dubito et nescio, si fieri possit. Quod postea[c] frater illius avunculum[1] ducis

a. manus *M.* b. misos *M.* c. pt̄ea *M.*

1. Qui „Theodoaldus interfectus esse“ anno 741 fertur in annal. Petavian., Lauresham., Alamannicis, Nazarianis (Mon. Germ. SS. I 11, 26, 27), hunc alii et Theodaldum illum maiorem domus, Grimoaldi II filium, et istum Karolomanni „avunculum“ esse putant (ut Eccard Francia or. I 388, 402), alii eundem quidem ac Grimoaldi filium fuisse concedunt, sed negant in hac epistola de Theodaldo scripsisse Bonifatium (ut Oelsner de Pippino

742 Ian.—Mart. Francorum occidit; et adhuc ignoramus, qualiter ista discordia pacificari et finiri valeat. Et obsecro, ut auctoritatis vestrae licentia sit, ut cum consilio servorum Dei de ista electione faciam, quod nobis in commune pro Deo et pro aecclesiae utilitate vel fructu spiritali et defensione religionis optimum esse videatur; ut consensum vestrum habeam: de hoc facere, quod optimum esse, mihi inspirare dignetur Deus. Quia hoc non videtur posse fieri, si contrarius princeps fuerit.

Inter ea quaerere et interrogare paternitatis vestrae consilium debeo de quadam confusione et scandalo praedicationis, quae, nuper ad nos veniens, mentem nostram conturbavit et sacerdotibus aecclesiarum verecundiam incutiebat. Quia laicus quidam magne personae ad nos veniens dicebat: sibi ab apostolicae sedis pontifice sanctae memoriae Gregorio datam fuisse licentiam, ut in matrimonium acciperet viduam avunculi sui. Quae et ipsa fuit uxor consobrini sui, et ipsa illo vivente discessit ab eo; et isti viro — qui, nunc eam accipere desiderans, adfirmat[a] sibi licentiam datam — in tertio ienuculo[b] propinqua illius esse dinoscitur; et votum vovit Deo castitatis et velata fuit; et iterum, abiecto velamine, maritata. Tale enim matrimonium supra dictus homo sibi ab apostolica sede adfirmat esse[c]. Quod non estimamus esse[d] verum. Quia synodus et aecclesia, in qua natus et nutritus fui, id est in transmarina Saxonia Lundunensis synodus — inprimis a discipulis sancti Gregorii, id est Augustino[1] Laurentio Iusto[2] Milleto[e][3] archiepiscopis, constituta et ordinata fuit[f] — talem copulam et matrimonium maximum scelus et incestum et horribile flagitium et damnabile piaculum fieri, ex auctoritate sanctae scripture iudicabant. Quapropter paternitas vestra huius rei veritatem nobis

a. *hinc* (..firmat) *incipit fol.* 9 *cod. C.* b. *corr. in* geniculo *C; in marg. M additum est* et ill.. c. concessum *superscripsit manus corrigens in C.* d. esse *om. C.* e. *corr. in* Mellito *C.* f. qui *addidit manus corrigens in C.*

rege p. 7 n. 6). Cf. etiam Hahn Jahrbücher des fränkischen Reichs 741—752 p. 19.

1. archiepiscopo Brittanniarum (Cantuariensi). 2. episcopo Roffensi. 3. s. Mellito episcopo Londinensi.

iudicare[a] non dedignetur, ut aecclesiae sacerdotibus vel populo christiano inde scandala et scismata vel novi errores non oriantur et concrescant. 742 Ian. — Mart.

Et qui carnales homines, idiotae, Alamanni vel Baioarii[b] vel Franci, si iuxta Romanam urbem aliquid facere viderint ex his peccatis, quae nos prohibemus, licitum et concessum a sacerdotibus esse putant, et nobis inproperium deputant, sibi scandalum vitae accipiunt. Sicut adfirmant[c]: se vidisse annis singulis in Romana urbe et iuxta aecclesiam sancti Petri in die vel nocte, quando Kalende Ianuarii intrant, paganorum consuetudine chorus[d] ducere per plateas, et adclamationes ritu gentilium et cantationes[e] sacrilegas celebrare, et mensas illa die vel nocte dapibus onerare, et nullum de domo sua vel ignem vel ferramentum vel aliquid commodi vicino suo praestare velle. Dicunt quoque: se vidisse ibi mulieres pagano ritu filacteria et ligaturas et in brachiis et cruris[f] ligatas habere et publice ad vendendum venales ad conparandum aliis offerre. Quae omnia, eo quod ibi a carnalibus et insipientibus videntur, nobis hic inproperium et inpedimentum praedicationis et doctrinae perficiunt. De talibus ait apostolus increpans: *Diem*[g] *observatis et tempora; timeo, ne sine causa laboraverim in vobis*[1]. Et sanctus Augustinus dixit: *Nam qui dictis*[h] *malis, id est carais et divinis et aruspicibus vel filacteriis et aliis quibuslibet auguriis crediderit, etsi ieiunet, etsi oret, etsi iugiter ad aecclesiam currat, etsi largas elymosinas*[i] *faciat, etsi corpusculum suum in omni adflictione cruciaverit, nihil ei proderit, quamdiu sacrilegia illa non relinquerit*[k 2]. Nam si istas paganias ibi paternitas vestra in Romana urbe prohibuerit, et sibi[l] mercedem et nobis maximum profectum in doctrina aecclesiastica proficerit[m].

a. *corr. in* indicare *C.* b. Baguarii *C.* c. *corr. in* affirment *C.* d. *corr. in* choros *C.* e. *corr. in* incantationes *C.* f. *corr. in* in cruribus *C.* g. dies *C.* h. praedictis *C.* i. elemosinas *C.* k. *corr. in* reliquerit *C.* l. si *M.* m. *corr. in* perfecerit *C.*

1. Galat. 4, 10. 11. 2. S. Augustini appendicis sermo 278 (quondam sermo 241 de tempore). Opp. ed. Benedictini, Venetiis 1731, T. V appendicis p. 463.

742 Ian. – Mart. Episcopi quoque et presbiteri generis Francorum, qui fuerunt adulteri vel fornicatores acerrimi, quos in gradu episcopatus vel presbiterii fornicationum filii nati arguunt, revenientes ab apostolica sede, dicunt: sibi Romanum pontificem licentiam dedisse, ministerium episcopale in aecclesia ministrare. Quos contra contendimus. Quia apostolicam sedem contra decreta canonum nequaquam audivimus iudicasse.

Haec omnia, domine karissime, propterea nota vobis facimus: ut vestrae auctoritatis responsum talibus dare possimus; ut per cautelam vestrae doctrine oves aecclesiae non seducantur, sed lupi rapaces convicti et superati pereant.

Interea munuscula parva vobis direximus, non quia digna sint paternitati vestrae, sed pro indicio caritatis et oboedientiae[a] devotionis, id est villosam[b][1] unam et argenti et auri tantillum. Dextera Domini protegente, incolomem valere et in Christo proficere beatitudinem vestram in longitudine dierum optamus.

Te Deus altithronus sancta conservet in aede,
Sedis apostolice rectorem, tempora longa,
Melliflua gratum populis doctrina per orbem,
Perficiatque Deo dignum pia gratia Christi.
Splendida percipiat florens sua gaudia mater,
Atque domus Domini laetetur prole fecunda[c].

---

43. *Zacharias papa Bonifatio respondet. Sedes episcopales, Wirziburgi Buraburgi Erphesfurti constitutas, comprobat. De concilio; de improbis sacerdotibus deiciendis. Ne, nisi moriens aliquando, sibi successorem designet. Addit de dirimendis nuptiis quibusdam; de perversa Kalendarum Ianuariarum celebritate a sese remota*[d]. (S 142 b, W 52, G 50)

743 Apr. 1 Reverentissimo et sanctissimo fratri Bonifatio episcopo[e] Zacharias servus servorum Dei[f].

Susceptis sanctissimae fraternitatis tuae litteris[2] per Dene-

a. *corr. in* oboedientia *C*. b. uuillosam *M, corr. in* villosam *C*. c. *sic*. d. *ex M* 54 – 57 *v*, *C* 11–15. *Sine lemmate M;* Epistola Zachariae ad Bonifatium *C*. e. coepiscopo *C*. f. Domini *M*.

1. mantele. 2. ep. 42 supra p. 111.

hardum religiosum presbiterum tuum, quia te sospem[a], ut semper cupimus, esse cognovimus, omnipotenti ac misericordissimo Deo nostro magnas retulimus grates, qui tibi in omnibus bonis prosperari dignatur. Magnam enim in cordibus nostris infundis laetitiam, quotiens nobis sanctitatis tuae scripta mittuntur, quando repperimus, quae ad salutem respiciant animarum; dum cottidie in gremio sanctae matris aecclesiae per tuam praedicationem novi populi adduntur. 743 Apr. 1

Ubi et tres episcopos per loca singula secundum seriem syllabarum tuarum te ordinasse cognovimus, qui eidem populo, quem sibi dominus Deus noster per tuam sanctitatem aggregare dignatus est, praeesse debeant. Et petisti, ut per auctoritatem nostrae sedis episcopales ibidem sedes firmentur. Sed tua sancta fraternitas pertractet mature et subtili consideratione discernat: si expedit; aut si loca vel populorum turbae talia esse probantur, ut episcopos habere mereantur. Meminis enim, carissime, quid in sacris canonibus praecipimur observare: ut minime in villulas vel in modicas civitates episcopos ordinemus, ne vilescat nomen episcopi[1]. Sed nos, tuis sincerissimis atque a nobis dilectis syllabis provocati, quae poposcisti, absque mora concedi patimur. Et statuimus per apostolicam auctoritatem: episcopales illic esse sedes, qui[b] per successionem episcopos mereantur, et populis praesint atque verbum praedicationis subiectis insinuent; id est[c] in castello quod dicitur Wirzaburg, et alteram[d] in oppido quod nominatur Buraburg, tertiam in loco qui dicitur Erpfesfurt[e]; ita ut nulli post haec liceat cuiquam, haec[f] — quae a nobis sancita sunt — aliquo[g] modo violare. Quae auctoritate beati Petri apostoli firma esse decrevimus.

De eo autem, quod nobis intimasti, quod te Carulomannus[h] filius noster apud se rogavit accedere: ut in parte regni[i] Francorum, in sua ditione sive potestate constituta, synodum cele-

a. *corr. in* sospitem *C.* b. *corr. in* quae *C.* c. unam *addidit manus corrigens in C.* d. alterum *M.* e. Erpesfurt *C.* f. cuiquam haec *corr. in* ea *C.* g. quo *M,* aliquo *C.* h. *corr. in* Carlomannus *C.* i. *om. M.*

1. V. supra p. 92 n. 3.

743 Apr. 1 brari[a], eo quod omnis aecclesiastica regula sive disciplina ab eadem provincia funditus abolita est, quod nimis merendum, quod per spatia temporum ibidem synodus sacerdotum minime celebraretur, unde neque quid sit sacerdotium, ab eis, qui se sacerdotes esse existimant, cognoscitur. Sed dum iuvante[b] Deo, quae a praefato filio nostro promissa sunt, ad effectum perducta fuerint, tua[c] fraternitas memorato concilio consederit cum eodem excellentissimo viro, si quos reppererit episcopos presbiteros aut diaconos contra canones vel statuta patrum excessisse — id est in adulterio, vel si plures uxores abuerunt, aut si sanguinem christianorum sive paganorum effuderunt, vel etiam aliis capitulis quibus canonibus obviasse reppererit[d] tua sanctitas — nulla ratione apostolica auctoritate permittat sacerdotium fungi. Quia tales a suo tantum proprio ore falsę nominantur sacerdotes et deteriores secularium esse noscuntur, qui[e] se neque a fornicationibus neque a nefariis matrimoniis abstineunt[f] neque ab hominum sanguinis effusione manus servant innoxias. Quales[g] se esse sacerdotes existimant aut quid inde[h] sentiunt, dicente Deo: *Sacerdotes mei semel nubant,* et apostolus: *Unius uxoris virum*[1] et cetera. Et hoc ante susceptum sacerdotium uti licitum est; nam a die suscepti sacerdotii etiam ab ipso proprio coniugio prohibendi sunt. Quomodo se sacerdotium fungi considerant, qui talibus sceleribus involuti esse monstrantur, ut neque seculares fideles his facinoribus obvolutos optemus? Quomodo non pertimescunt divina mysteria contingere? Aut quomodo ad orandum pro peccata[i] populi accedere praesumunt, dum sacri canones neque purum clericum, cui sacerdotium non est, secundis copulari nuptiis praecipiunt? Isti enim e contrario; non solum quia post susceptum sacerdotium se abstinere nolunt ab una uxore, immo, luxoriae obvoluti, peiora secularium scelera committunt, ut plures uxores habere praesumant, quorum[k] neque

a. *corr. in* celebrares *C.* b. iubante *M, corr. in* iuvante *C.* c. *corr. in* tuaque *C.* d. repperit *M.* e. qui (Q *superscr.*) *C.* f. *corr. in* abstinent *C.* g. *om. M.* h. se *add. manus corrigens in C.* i. *corr. in* peccatis *C.* k. *corr. in* quibus *C.*

1. 1 Timoth. 3, 2.

una[a] concessum est post susceptum ministerium adtractare. Sed et ista parvi pendentes atque Domini[b] iracundiam provocantes, maiora committunt facinora, dum propriis manibus christianos atque paganos homines necant; et fit ut, quorum[c] in remissionem peccatorum debuerunt lavacrum regenerationis[1] inpendere atque Christi sacramenta donare ne in aeternum perirent, eorundem sacrilegis manibus extinguantur. Quis enim, sapiens habens cor, eos aestimet sacerdotes, qui neque a fornicationibus abstineunt[d] neque ab effusione sanguinum manus servant innoxias? Quisve eorum sacrificiis Deum esse credit placatum, dicente propheta: *Virum sanguinum et dolosum abhominabitur Dominus*[2]. Isti namque, ut praemisi[e], ne sacerdotium fungi patiantur neque divina contingere misteria, commonemus. Quicquid vero aliud, ut dictum est, eos contra aecclesiasticam regulam excessisse reppereris, canones sive instituta patrum prae manibus habeto et, iuxta quod in eis edoctus fueris, discerne.

743 Apr. 1

Te autem[3] ut[f] tibi successorem constituere dixisti et[g] te vivente[h] in tuo loco eligatur episcopus, hoc nulla ratione concedi patimur; quia contra omnem aecclesiasticam regulam vel instituta patrum esse monstratur. Sed volumus: ut tibi ministret et sit in euangelium Christi adiutor; dicente apostolo: *Si quis bene ministraverit, gradum sibi bonum adquirit*[4]. Nimis enim reprehensibile ac detestabile esse manifestum est, ut te vivente[h] tibi alium substituamus. Sed hoc commonemus: ut, quamdiu te divina iusserit clementia superesse, sine intermissione orare ne cesses, ut tibi Deus illum successorem concedat, qui ei possit esse placabilis et populum, quem ad suam gratiam per tuae sanctitatis industriam vocare voluit, inreprehensibiliter regere valeat atque ad viam vitae elaboret perducere. Nam quomodo haec, quae poposcisti, si et voluerimus, concedere possu-

a. *corr. in* unam *C.* b. d$\overline{m}$ *M et C; addidit* ad *manus corrigens in C.* c. *corr. in* quibus *C.* d. *corr. in* abstineant *C.* e. praemissi *M.* f. Te — ut *corr. in* De hoc autem, quod *C.* g. *corr. in* ut *C.* h. iubente *M, corr. in* vivente *C.*

1. Cf. Tit. 3, 5. 2. Ps. 5, 7. 3. „De eo autem, quod tibi successorem — irreprehensibiliter regere valeat“ sunt in Gratiani decr. P. II C. VII q. 1 c. 17. 4. 1 Timoth. 3, 13.

743 Apr. 1 mus? dum nos fragiles homines existentes et sub conditione mortis constituti, ignorantes, quid superventura pariat dies, non valentes investigare, quis e nobis propior[a] de praesenti saeculo migret. Sin autem et eundem[1] divina voluerit clementia post tui diem[b] transitus superesse, si eum aptum[c] cognoveris et in tua voluntate fuerit definitum, ea hora, qua te de praesenti saeculo migraturum cognoveris, praesentibus cunctis, tibi successorem designa, ut huc veniat ordinandus. Quod nulli alio concedi patimur, quod tibi, caritate cogente, largiri censuimus.

De illo namque[d], qui viduam avunculi sui, quae et ipsa fuit uxor consobrini sui et sacrum velamen habere monstrata est, et a beatae memoriae praecessore[e] nostro sibi licentiam concessam esse divulgavit, ut eam[f] in pernitioso matrimonio adsumi[g] debuisset, absit hoc, ut decessor noster ista praeciperet[h]. Nec enim ab hac apostolica sede illa diriguntur, quae contraria esse patrum sive canonum[i] institutis probentur. Ammonere, adhortare[k], increpare eos, frater karissime, ne cesses, quatenus a talibus scelestis recedant matrimoniis[l], ut non in aeternum pereant. Reminiscantur enim, se Christi sanguine[m] esse redemptos. Et non sponte se contradant — nisi ab isto recesserint incesto matrimonio — diaboli potestati[n]; sed magis illi Deo et Christo filio eius, Spiritui quoque sancto, in cuius nomine ab illius antiqui hostis erepti sunt potestate. Elabora namque, sanctissime frater, in eis, quia scriptum cognoscis: *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viae suae, salvavit[o] animam eius a morte, et suorum operit multitudinem peccatorum*[2]. Nam et nos ei pro hoc commonitoria scripta direximus.

De Kalendis vero Ianuariis vel ceteris auguriis filacteriis et incantationibus vel aliis diversis observationibus, quae gen-

a. proprior *M, corr. in* prior *C.* b. die *M.* c. esse *add. C.* d. nāquē *M.* e. *corr. in* praedecessore *C.* f. eum *M, corr. in* eam *C.* g. *corr. in* assumere *C.* h. perciperet *M.* i. canon *M.* k. adortare *M, corr. in* adhortare *C.* l. a talibus scelestibus — matrimonio *M, corr. in* a tam scelesto matrimonio *C.* m. sanguinē *M.* n. potestate *M.* o. salvabit *C.*

1. „Si eumdem divina voluerit — largiri censuimus" sunt in Gratiani decr. P. II C. VII q. 1 c. 17. 2. Cf. Iacob. 5, 19. 20.

tili more observari dixisti apud beatum Petrum apostolum vel in urbe Roma, haec et nobis et omnibus christianis detestabile et perniciosum[a] esse iudicamus, dicente Deo: *Non augurabimini vel certe non observabitis*[1]. Et iterum scriptura dicit: *Non est auguria*[b] *in Israel, nec observatio in domo Iacob*[2]. Ita et a nobis cavendum esse censemus, ut nullis auguriis vel observationibus adtendamus; quia, omnia haec abscisa esse a patribus, sumus edocti. Et quia per instigationem[c] diaboli iterum pullulabant, a die, qua nos iussit divina clementia — quamquam inmeriti existamus — apostoli vicem gerere, ilico omnia haec amputavimus. Pari etenim modo volumus tuam sanctitatem populis sibi subiectis praedicare, atque[d] ad viam aeternae perducere vitae. Nam et sanctae recordationis praedecessoris atque nutritoris nostri domni Gregorii papae constitutione omnia haec pie[e] atque fideliter amputata sunt, et alia diversa quam plura, quae diabolo suggerente pullulabant in Christi ovile. Cuius instar pro illius populi salute dirigere maturavimus.

743 Apr. 1

Nam de sacerdotibus illis, qui falsa opinantur, qui etiam adulteri et fornicatores probantur, et sibi ab apostolica sede indultum esse, et e contrario sibi licentiam praedicationis[f] largitam esse; hoc nulla ratione credat sancta tua fraternitas. Sed similiter[g] in eis canonicam exerce vindictam, quemadmodum de his quibus[h] superius[i] a nobis edoctus[k] monstraris. Non enim aliud te agere volumus, praeterquam quod sacri praecipiunt canones vel etiam ab hac apostolica sede instructus[l] esse dinosceris.

Secundum tuae namque sanctitatis petitionem et tribus episcopis tuis singulas confirmationis epistolas misimus[m]. Quas per tuae sanctitatis manus[n] eis largiri volumus.

Et Carolomanno[o] filio nostro alia scripta direximus: ut, quae tibi poposcit, adimplere festinet, atque[p] adminicula praestet.

a. *corr. in* detestabilia et perniciosa *C.* b. auguria *corr. in* augur *M, in* augurium *C.* c. instigatione *M.* d. *om. M.* e. piae *M.* f. affirmant *addidit manus corrigens in C.* g. simili *M.* h. quibus *deletum est in C.* i. *om. M.* k. esse *addidit manus corrigens in C.* l. fructus *M.* m. missimus *M.* n. manibus *M.* o. *corr. in* Carlomanno *C.* p. *om. M.*

1. Cf. Levit. 19, 26. 2. Cf. Numer. 23, 23.

743 Apr. 1 Sed haec, frater karissime[a], de omnibus superius[b] comprehensis[c] capitulis, ut Dominus donavit, respondimus ad omnia amputanda diabolicae fraudis scandala. Tua vero sancta fraternitas, si quid de cetero evenerit, ut sacri docent canones, studeat emendare in[d] plebibus sibi a Deo commissis. Non enim aliud nobis convenit praedicare, praeter quod a sanctis patribus sumus edocti. Si vero et novi aliquid, inimici astutia agente, acciderit, quod tua sancta fraternitas minime per canonum instituta discernere[e] possit, huc nobis non pigeat insinuare; quatenus Deo iuvante[f], quaeque ad emendationem novae plebis esse possunt, tibi absque tarditate respondere maturemus. Cognoscat[g] enim, frater karissime, tua sancta fraternitas, ita dilectionem tuam habere in nostris praecordiis, ut te praesentialiter[h] cottidie videre desideremus, et ita te in nostro consortio habeamus ut certe ministrum Dei et dispensatorem aecclesiarum Christi.

De cetero namque confortare in Domino, frater karissime, et esto robustus[1], et elabora in opus, quod te divina voluit evocare clementia. Magna enim te spes remunerationis exspectat, quam promisit Deus diligentibus se. Et nos, licet peccatores exsistamus, tamen Dei nostri non cessamus absque intermissione[i] inmensam exorare clementiam, ut, qui coepit in vobis, perficiat opus bonum usque adhuc[2]. Et beatus apostolorum princeps Petrus cooperetur tibi in omnibus bonis, quae[k] ei parere desideras. Deus te incolumem custodiat, reverentissime et sanctissimę frater. Data Kalend. Apriles, imperante domno piissimo augusto Constantino a Deo coronato magno imperatore anno vicesimo quarto, post consulatum[l] eius anno secundo, indictione undecima[3].

a. sicut *addidit manus corrigens in C.* b. *om. C.* c. comprehendis *C.* d. im *M et C.* e. discerne *M.* f. iubante *M.* g. cognoscant *M.* h. praesentaliter *M.* i. intermisione *M.* k. *corr. in* quibus *C.* l. pater *M, corr. in* imperii *C. Scripsi* post consulatum; *v. supra p.* 17.

1. Iosue 1, 6. 2. Philipp. 1, 6. 3. omnes hac temporis notae et hanc et duas, quae sequuntur, epistolas ad annum 743 referunt exactissime; v. supra p. 19. Quare responsum ad Bonifatii epistolam 42 supra p. 111 tam diu dilatum sit, in medio relinquo.

44. *Zacharias papa Wittane, episcopo Buraburgensi per Bonifatium constituto, gratulatur eiusque sedem confirmat*[a].

(S 131, W 53, G 51)

Dilectissimo nobis Wittane[b] sanctae aecclesiae Barbarane[1] Zacharias papa. 743 Apr. 1

Domino cooperante et sermonem confirmante[c] [2] ad delatandam[d] christianitatis legem et orthodoxe fidei tramitem, ad docendum, iuxta quod praedicat sancta haec Romana, cui Deo auctore praesedemus[e] aecclesia. Innotuit nobis sanctissimus ac reverentissimus frater et coepiscopus noster Bonifatius: nuper decrevisse[f] et ordinasse in Germaniae partibus episcopales sedes, ubi praeest vestra dilectio; et provinciam in tres dividisset[g] parrochias. Quo cognito, cum magna exultatione extensis ad sidera palmis, inluminatori et datori omnium bonorum domino Deo et salvatori nostro Iesu Christo gratias egimus, qui facit utraque unum[3]. Flagitavit autem a nobis per suas syllabas[h] iam dictus sanctissimus[i] vir: per apostolicam auctoritatem vestras confirmari sedes. Pro quo et nos ardenti animo et divino iuvamine — auctoritate beati Petri principis apostolorum, cui data est a deo et salvatore nostro Iesu Christo ligandi solvendique potestas peccata hominum in caelo et in terra[4] — confirmamus atque, solidas permanere vestras episcopales sedes, sancimus; interdicentes ipsius principis apostolorum auctoritate a praesenti omnibus et in futuras generationes, ut nullus audeat contra eandem vestram venire ordinationem, quam[k] dignante Deo ex nostra praeceptione in vobis[l] facta est; et hoc interdicentes, ut nullus audeat — iuxta sanctorum canonum traditionem — ex alio episcopatu ibidem translatari aut ordinare episcopum post vestram de hoc seculo evocationem, nisi is, qui

a. *ex M* 16—17, *C* 10—11. *Sine lemmate M;* Item epistola Zachariae ad Bonifatium *C.* b. Wittane *M,* Wittę *C.* c. confirmantem *M.* d. *corr. in* dilatandum *C.* e. *corr. in* praesidemus *C.* f. discrevisse *C.* g. *corr. in* divisisset *C.* h. pro suis syllabis *corr. in* per suas syllabas *M,* pro suis syllabis *C.* i. *corr. in* sanctus *C.* k. *corr. in* quae *C.* l. nobis *M, corr. in* vobis *C.*

1. Buraburgensis. 2. Marc. 16, 20. 3. Eph. 2, 14. 4. Matth. 16, 19, Ioh. 20, 23.

743 Apr. 1 apostolicae nostrae sedis in illis partibus praesentaverit vicem. Sed nec unus alterius parrochias invadere aut aecclesias subtrahere praesumatis. Nam si, quod non credimus, si quis ille fuerit, qui contra hanc nostram praeceptionem temerario ausu venire temptaverit, sciat, se aeterno Dei iudicio anathematis vinculo esse innodatum. Si quis vero apostolica servaverit praecepta et normam recte et orthodoxe fidei fuerit assecutus, benedictionis gratiam consequatur. De cetero petimus divinam clementiam, ut confirmet et conroboret hoc, quod operatus est Dominus in vobis. Et claritas[a] Dei[1] gratia et pax vera sit cum spiritu vestro, sanctissimi et dilectissimi nobis. Toto conamine[b] elaborate pro fide Christi, et ministerium eius proficiendum[c] decertate, ut et[d] cum egregio apostolo mereamini dicere: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi; de reliquo reposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi Dominus in illum diem iustus iudex*[2]. Salutantes vos in Domino valere optamus. Bene valete. Data Kalendis Aprilis, imperante domno piissimo augusto[e] Constantino a[f] Deo coronato magno imperatore anno 24, post consulatum[g] eius anno 2, indictione 11.

---

45. *Zacharias papa Burchardo, episcopo Wirziburgensi per Bonifatium constituto, gratulatur et eius sedem confirmat*[h].

(S 133)

743 Apr. 1 Dilectissimo nobis Burchardo sanctae ecclesiae Wirziburgonensis Zacharias papa.

Domino cooperante et sermonem confirmante[i 3] ad delatandam christianitatis legem et orthodoxae fidei tramitem, ad docendum, iuxta quod praedicat sancta haec Romana, cui Deo auctore praesedemus aecclesia. Innotuit nobis sanctissime ac reverentissime frater et coepiscopus noster Bonifatius: tres decrevisse ac ordinasse in Germaniae partibus episcopales sedes, ubi

a. *corr. in* caritas *C.* b. canamine *C.* c. *corr. in* perficiendum *C.* d. *om. M.* e. piissimo augusto *addidi.* f. a Deo coronato *addidi.* g. post consulatum *scripsi pro* imperii *MC.* h. *ex M* 21*v* – 22*v*. *Sine lemmate.* i. confirmantem *M.*

1. V. Luc. 2, 9. 2. 2 Timoth. 4, 7. 8. 3. Marc. 16, 20.

praeest vestra dilectio; et provinciam in tres divisisse parrochias. Quo cognito, cum magna exultatione extensis ad sidera palmis, illuminatori et datori omnium bonorum domino Deo et salvatori nostro Iesu Christo gratias agimus, qui facit utraque unum. Flagitavit autem a nobis per suas syllabas iam dictus sanctissimus vir: per apostolica auctoritate vestras confirmari sedes. Pro quo et nos ardenti animo et divino iuvamine[a] — auctoritate beati Petri principis apostolorum, cui data est a Deo et salvatori nostro Iesu Christo ligandi solvendique potestas peccata hominum in caelo et in terra[1] — confirmamus atque, solidas permanere vestras episcopales sedes, sanccimus; interdicentes ipsius principis apostolorum auctoritate praesentis omnibus et in futuras generationes, ut nullus audeat contra eandem vestram venire ordinationem, quam dignante Deo ex nostra praeceptione in vobis facta est; et hoc interdicentes, ut nullus audeat — iuxta sanctorum canonum traditione — ex alio episcopatu ibidem translatari aut ordinare episcopum post vestram de hoc saeculo evocationem, nisi is, qui apostolice nostrae sedis in illis[b] partibus praesentaverit vicem. Sed nec unus alterius parrochias invadere aut aecclesias subtrahere presumatis. Nam si, quod non credimus, si quis ille fuerit, qui contra hanc nostram preceptionem temerario ausu venire temptaverit, sciat, se aeterno Dei iudicio anathematis vinculo esse innodatum[c]. Si quis vero apostolica servaverit precepta et normam rectae et orthodoxae fidei fuerit assecutus, benedictionis gratiam consequatur. De cetero petimus divinam clementiam, ut confirmet et corroboret hoc, quod operatus est Dominus in vobis. Et claritas Dei[2] gratia et pax vera sit cum spiritu vestro, sanctissimi et dilectissimi nobis. Toto conamine elaborate pro fide Christi, et ministerium eius proficiendum decertate, ut cum egregio apostolo mereamini dicere: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi; de reliquo reposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi Dominus*

743 Apr. 1

a. iubamine *M.* b. illius *M.* c. innotatum *M.*

1. Matth. 16, 19, Ioh. 20, 23. 2. V. Luc. 2, 9.

743 Apr. 1 *in illum diem iustus iudex*[1]. Salutantes vos in Domino valere optamus. Bene vale. Data Kalende Aprilis, imperante[a] domino piissimo augusto Constantino a Deo coronato magno[b] imperatore anno vicesimo quarto, post consulatum[c] eius anno secundo, indictione undecima.

---

46. *Aldhunus abbas et Cneuburga ac Coenburga abbatissae Coengilso et Ingeldo abbatibus et Wiehtberhto presbytero scribunt de mutua precatione*[d]. (S 52, W 160, G 148)

729—744 Fratribus in Christo carissimis Coengilso[2] et Ingeldo abbatibus et singulariter cognato nostro Wietberto presbytero omnis congregatio trium monasteriorum, id est Aldhuni[3] patris reverentissimi et Cneuburge Christi famulae nec non et Coenburge abbatissarum[e], perennem atque insolubilem[f] in Domino salutem.

Libenter nanque atque gratanter vestrae salutationis munuscula suscepimus Deoque adiuvante isdem digna reconpensare desideramus; et eam, quam circa nos scripsistis habere in orationibus communionem, bono animo et pura fide erga vos indesinenter habere horis, quibus intimastis, consentimus. Nomina quoque nostrarum defunctarum sororum ego Cneuburg memorialiter te habere, o Wiehtberhte presbiter fidelis, deprecor et omnibus circumquaque amicis transmittere. Quarum prima fuit Quoengyth soror mea germana; et Edlu, quae erat, cum adhuc viveret, mater Etan, Aldhuni quondam tui abbatis propinquae. Quarum utique ambarum fuit uno die depositio, id est Idibus Septembris[g]. Orantem pro nobis beatitudinem vestram Dominus omnipotens custodire dignetur incolomem, dilectissimi fratres[h] et domini. Per aevum Emmanuel. Saluta omnes circumquaque Christi servos nostris veracissimis verbis, dilectissimi fratres[h].

a. imperante *addidi.* b. magno *addidi.* c. post consulatum *scripsi pro* imperii *in litura posito M; v. supra p.* 17. d. *ex V* 32*v. Lemma:* Item epistola. e. abb̄ *V.* f. solubilem *V.* g. īd. sēp. *V.* h. fr̄ *V.*

1. 2 Timoth. 4, 7. 8. 2. abbati Glestingaburgensi, 729—c. 744. Coengilsi successor, Tunberht abbas apparet iam in tabula d. a. 744 ap. Kemble Cod. dipl. aevi Sax. I 110. 3. Hunc fuisse abbatem Winburnensem censet Mabilio (Annal. ord. Bened. II 10). Sed hoc confirmationis eget.

47. *Synodi anno 742 habitae acta confirmantur et augentur in synodo Liftinensi*[a]. (S post 78, W 56, 57, G tom. II p. 11)

In nomine domini nostri Iesu Christi. Ego Carlmannus[b], 742 Apr. 21
dux et princeps Francorum, anno ab incarnatione Christi septingentessimo quadragesimo secundo, 11 Kalendas Maias, cum consilio servorum Dei et optimatum meorum episcopos, qui in regno meo sunt, cum presbiteris et concilium et synodum pro timore Christi congregavi; id est Bonifatium archiepiscopum et Burgchardum[c1] et Regenfridum[d2] et Wintanum[3] et Wilbaldum[4] et Dadanum et Eddanum[5] cum presbiteris[e] eorum: ut mihi consilium dedissent, quomodo lex Dei et ecclesiastica relegio recuperetur, quae in diebus praeteritorum principum dissipata corruit; et qualiter populus christianus ad salutem animae pervenire possit et per falsos sacerdotes deceptus non pereat.

Et per consilium sacerdotum et optimatum meorum ordinavimus per civitates episcopos; et constituimus super eos archiepiscopum Bonifatium, qui est missus sancti Petri.

Statuimus per[f] annos singulos synodum congregare, ut, nobis praesentibus, canonum decreta et ecclesiae iura restaurentur et relegio christiana emendetur.

Et fraudatas pecunias ecclesiarum ecclesiis restituimus et reddidimus. Falsos presbiteros et adulteros vel fornicatores diaconos et clericos de pecuniis ecclesiarum abstulimus et degradavimus et ad poenitentiam coegimus[g].

Servis Dei per omnia omnibus, armaturam portare vel pugnare aut in exercitum et in hostem pergere, omnino prohibuimus; nisi illi tantummodo, qui propter divinum ministerium, missarum scilicet sollemnia adimplenda et sanctorum patrocinia portanda, ad hoc electi sunt. Id est: unum vel duos episcopos cum capellanis presbiteris[h] princeps secum habeat, et unus quis-

a. *ex M* 68—71, *C* 52*v*—54*v*, *V* 51—52*v*. *Sine lemmate MV;* Synodus quam sanctus Bonifatius, Karolomanno consentiente, cum episcopis et ceteris Dei servis habuit *C*. b. Karlmannus *M*. c. Burhardum *M*, Burghardum *C*. d. Reginfredum *M*. e. presbiteriis *V*. f. super *M*. g. cogimus *M*. h. prbrū *M*, prbīs *C*, presbiteriis *V*.

1. ep. Wirziburgensem. 2. ep. Coloniensem. 3. ep. Buraburgensem. 4. ep. Eistetensem. 5. ep. Argentinensem.

742 que praefectus[a] unum presbiterum; qui hominibus, peccata con-
Apr. 21 fitentibus, iudicare et indicare poenitentiam possint. Nec non et illas venationes et silvaticas vagationes cum canibus omnibus servis Dei interdiximus; similiter, ut acceptores[b] et walcones[c] non habeant.

Decrevimus quoque secundum[d] sanctorum canones[e]: ut unus quisque presbiter, in parrochia habitans, episcopo subiectus sit illi, in cuius parrochia habitet. Et semper in quadragesima[f] rationem et ordinem ministerii sui, sive de baptismo[g] sive de fide catholica sive de precibus et ordine missarum[h], episcopo reddat et ostendat. Et quandocumque iure[i] canonico episcopus circumeat parrochiam populos ad confirmandos, presbiter semper paratus sit ad suscipiendum episcopum cum collectione et adiutorio populi, qui ibi confirmari debet. Et in cena Domini semper novum crisma[k] ab episcopo quaerat, ut episcopum[l] testis adsistat castitatis et vitae et fidei et doctrinae illius.

Statuimus: ut secundum canonicam cautelam[m] omnes undecumque supervenientes ignotos episcopos vel presbiteros ante probationem synodalem in ecclesiasticum ministerium[n] non admitteremus.

Decrevimus: ut secundum canones unus quisque episcopus in sua parrochia sollicitudinem adhibeat, adiuvante gravione qui defensor ecclesiae est, ut populus Dei paganias non faciat, sed ut omnes spurcitias gentilitatis abiciat et respuat. Sive sacrificia mortuorum sive sortilegos vel divinos sive filacteria et auguria sive incantationes sive hostias immolaticias — quas stulti homines iuxta ecclesias ritu pagano faciunt sub nomine sanctorum martyrum vel confessorum, Deum et suos sanctos ad iracundiam provocantes — sive illos sacrilegos ignes, quos niedfeor[o] [1] vocant, sive omnes, quaecumque sunt, paganorum observationes diligenter[p] prohibeant.

a. perfectus *M.* b. *corr. in* accipitres *C.* c. falcones *C.* d. secundum *addidi. Cf. infra.* e. sequentes *alia manu superscriptum est in C.* f. quadragissima *V.* g. baptissimo *V.* h. misarum *V.* i. iurae *M.* k. krisma *M.* l. *corr. in* episcopus *MC.* m. cautellam *V.* n. minysterium *M.* o. niedfrs (e superscr.) *C,* nied frs *V.* p. diligentes *MV.*

1. Cf. Grimm Deutsche Mythologie (ed. tertia) I 570.

Statuimus similiter: ut post hanc synodum, quae fuit 11 Kalendas Maias, ut quisquis servorum Dei vel ancillarum Christi in crimen fornicationis lapsus fuerit, quod in carcere poenitentiam faciat in pane et aqua. Et si ordinatus presbiter fuisset, duos annos in carcere permaneat; et antea flagellatus et scorticatus[a][1] videatur, et post episcopus[b] adaugeat. Si autem clericus vel monachus in hoc peccatum ceciderit, post tertiam verberationem in carcerem missus[c], vertentem annum ibi penitentiam agat. Similiter et nonnae velatae[d] eadem poenitentia conteneantur[e] et radantur omnes capilli capitis eius. 742 Apr. 21

Decrevimus quoque: ut presbiteri vel diaconi non sagis, laicorum more, sed casulis utantur, ritu servorum Dei; et nullus in sua domu[f] mulierem habitare permittat. Et ut monachi et ancillae[g] Dei monasteriales iuxta regulam sancti Benedicti ordinare et vivere, vitam[h] propriam gubernare studeant.

Modo[i] autem in hoc synodali conventu, qui congregatus est ad Kalendas Martias in loco qui dicitur Liftinas[2], omnes venerabiles sacerdotes Dei et comites et praefecti prioris synodus decreta consentientes firmaverunt, se implere velle et observare promiserunt. 743—744 Mart. 1

Et omnis ecclesiastici ordinis clerus, episcopi et presbiteri et diaconi cum clericis, suscipientes antiquorum patrum canones, promiserunt: se velle ecclesiastica iura moribus et doctrinis et ministerio recuperare[k]. Abbates et monachi receperunt sancti patris Benedicti regulam[l] ad restaurandam normam regularis vitae.

Fornicatores et adulteros clericos, qui sancta loca vel mo-

a. *corr. in* excorticatus *C.* b. eps *M,* episc *C,* episc *V.* c. misus *V.* d. vaelatae *V.* e. *corr. in* contineantur *C.* f. *corr. in* domo *C.* g. ancellae *V.* h. *corr. in* vitamque *C.* i. *Verbo* Modo *praescriptum est lemma hoc:* De alio synodali conventu *MCV.* k. recupare *M.* l. regulam *add. manus corrigens in C.*

1. cruentatus. 2. „Liphtinas" vicinam esse monasterio Laubacensi (Lobbes ad Sambram fl., in pago Hainoensi), scripsit Folcuinus in gestis abbatum Laubiensium (Mon. Germ. SS. IV 56). Exeunte saec. XVI idem vicus „Lestines" vocabatur, teste Valesio in Notitia Galliarum (Parisiis 1675) p. 281. Sed hodie solum hoc nomen: „Estinnes" duobus locis finitimis est: „Estinnes au mont" et „Estinnes au val", a Laubaco inter occidentem et septemtriones, a Binche ad occidentem.

743—744 Mart. 1 nasteria ante tenentes coinquinaverunt, praecipimus inde tollere et ad paenitentiam redigere; et si post hanc diffinitionem[a] in crimen fornicationis vel adulterii ceciderint, prioris synodi[b] iudicium sustineant. Similiter et monachi et nonnae.

Statuimus quoque cum consilio servorum Dei et populi christiani propter inminentia bella et persecutiones ceterarum gentium, quae in circuitu nostro sunt: ut sub precario[c] et censu aliquam partem ecclesialis pecuniae in adiutorium exercitus nostri cum indulgentia Dei aliquanto tempore retineamus; ea conditione, ut annis singulis de unaquaque casata[d] solidus, id est duodecim denarii, ad ecclesiam vel monasterium reddatur; eo modo, ut, si moriatur ille, cui pecunia commodata[e] fuit, ecclesia cum propria pecunia revestita[f] sit. Et iterum, si necessitas cogat, ut princeps iubeat, precarium removetur[g] et rescribatur novum. Et omnino observetur, ut ecclesiae vel monasteria penuriam et paupertatem non patiantur, quorum pecunia in precario praestita sit; sed, si paupertas cogat, ecclesiae et domui Dei reddatur integra possessio.

Similiter praecipimus: ut iuxta decreta canonum adulteria et incesta[h] matrimonia, quae non sint[i] legitima, prohibeantur et emendentur episcoporum iudicio; et ut mancipia christiana paganis non tradantur.

Decrevimus quoque, quod et pater[1] meus[2] ante praecipiebat: ut, qui paganas observationes in aliqua re fecerit, multetur et damnetur quindecim solidis[3].

a. diffinitionem *MC*, difinitionem *V*. b. synodiș *M*, synodis *C*, synodus *V*. c. ut sup̄cario *M*, ut suprecario *C*. d. cassata *C*. e. commendata *M*. f. revertita *MCV*. g. *corr. in* renovetur *M*. h. incerta *MCV*. i. sunt *M*.

1. Carolus Martellus. 2. Ex verbis his: „Decrevimus quoque, quod et pater meus ante praecipiebat“ perspicuum fit, sicut anni 742 synodum superiorem ita hanc quoque Liftinensem synodum a Carlomanno habitam esse; istamque non fuisse eandem synodum, quam „mediantibus Pippino et Carlomanno“ peractam esse, scripsit Zacharias papa in duabus epistolis d. 31 Oct. a. 745 datis, v. infra. 3. In cod. bibl. Vaticanae Palat. 577, hanc confirmationem Liftinensem continente, eandem proxime sequitur synodus Attiniacensis anno 765 habita (Mon. Leg. I 29), post

48. *Zacharias papa Bonifatio gratulatur, quod a Pippino et Carlomanno adiuvetur. Grimonem Rotomagensem, Abelem Remensem, Hartbertum Senonensem episcopos metropolitanos ab eo factos confirmat; quibus pallia missa esse nuntiat. Laudat eum, quod Aldebertum et Clementem damnaverit in carceremque coniecerit*[a]. (S 144, W 59, G 54)

Reverentissimo et sanctissimo fratri Bonifatio Zacharias. 744 Iun. 22

Legimus in libro actuum apostolorum, sanctum Spiritum apostolis precepisse: *Separate mihi Barnaban et Paulum in opus, quod adsumpserim eos*[1], id est, ut per predicationem christianae religionis et eiusdem Spiritus sancti gratiam mundum[b] inluminarent universum. Quorum inluminatio[c] predicationis atque doctrine Christi presidio mansit, et manet catholica Dei aecclesia praefulgens, horum et beati apostolorum principis Petri inluminata doctrinis. Et eorum sequi pedem, ex[d] inspiratione divina tuam sanctissimam fraternitatem in partibus illis esse credimus destinatam; ut etiam instar eorum idem Spiritus sanctus in eodem te adsumpsit[e] opere ad inluminationem gentium illarum. Unde nimis exultamus in Deo et eius omnipotentiae inmensas referimus laudes. Dum vero et series sillabarum tuarum nobis panderetur per singula, multo amplius laetati sumus in Domino, qui tibi suam gratiam ita largiri dignatus est: ut sic durae gentis corda lenires[f], quatenus libenti animo inclinarentur ad oboediendum fidęi et divinis obtemperarent praeceptis.

Indicasti etenim nobis, quomodo et qualiter tetigisset Deus

a. *ex M* 59—61, *C* 44—45*v*. *Sine lemmate M;* Epistola Zachariae ad Bonifatium de Grimone Abel et Hartberto metropolitanis confirmatis *C*. b. illum *sequitur in M; deletum est in C*. c. *corr. in* inluminatione *C*. d. et *M*. e. *corr. in* assumpserit *C*. f. linires *M, corr. in* lenires *C*.

hanc demum posita est ea, quae in nullo epistolarum Bonifatianarum codice reperitur, „Formula abrenuntiationis diaboli“ et „Indiculus superstitionum et paganiarum“ (ibid. p. 19). Ex quo apparet, abrenuntiatio cum indiculo quam inconsiderate cum synodo Liftinensi contexi solita sit. Formulam illam aut anno 772 aut post paulo factam esse, senserunt Müllenhoff et Scherer Denkmäler deutscher Poesie und Prosa p. 436.

1. Act. ap. 13, 2.

744 Iun. 22 corda excellentissimorum filiorum nostrorum Pippini et Carlomanni, ut tibi in praedicatione socii et adiutores esse niterentur ex[a] inspiratione divina. Quorum merces copiosa manet in caelis; quoniam[b] benedictus homo, per quem benedicitur Deus.

De episcopis vero metropolitanis, id est Grimone[1], quem nos iam conpertum habemus, Abel[2] sive Hartbercto[3], quos per unamquamque metropolim per provincias constituisti, hos per tuum testimonium confirmamus; et pallia dirigimus[c] ad eorum firmissimam stabilitatem et aecclesiae Dei augmentum, ut in meliori proficiant statu. Qualiter enim mos pallii sit, vel quomodo fidem suam exponere debeant hi, qui pallium uti licentia conceduntur, eis dereximus; informantes eos: ut sciant, quid sit pallii usus, et subiectis viam praedicare salutis, et aecclesiastica disciplina eorum in aecclesiis inmutilate[d] servetur et maneat inconcussa, et sacerdotium, quod in eis fuerit, non pollutum, ut antea fuit, sed mundum et acceptum Deo esse possit, quantum humana condicio valet; ita ut nullus repperiri possit sacris deviare canonibus et sacrificium mundum eorum[e] ab eis immoletur; ita ut Deus in[f] eorum placetur muneribus et populus Dei, purificatis mentibus ex omni squalore, sincerum exhibere valeant christiane religionis officium.

Retulisti etiam nobis, karissimę frater, quod duos pseudoprophetas in eadem Francorum provintia repperisses, quos non pseudoprophetas sed magis pseudochristianos appellare[g] debemus. Ex quibus unum[4] quidem et novum Simonem iuxta tenorem tuarum syllabarum repperimus. Qui etiam sibi et sacerdotium vindicabat et a luxoria se minime continebat, seducens populum et inania praedicans; non solum suam animam iuri diabolico tradens, sed et populorum corda in interitum demergens et seducens populum per falsitates, ita ut eum ab aecclesia Dei subtraheret et a christiana lege discordaret. Et

a. et *M.* b. quorum *M.* c. *om. M.* d. salutis in aeclesiis et aeclesiastica disciplina eorum inmutilate *C.* e. *erasa voce* eorum *in litura* deo *positum est in C.* f. in *om. M.* g. appellari *M.*

1. Rotomagensi. 2. Remensi. 3. Senonensi. 4. Aldebertum.

cruces statuens in campis et oratoriola, illic populum seducebat; relinquens aecclesias publicas, concurrens ad illa signa, quae ab eo false fiebant. Et sanctitatis nomine se vocari censuit, et in suo nomine aecclesias consecraret; adfirmans, se etiam angelorum nomina scire, quorum[a] in tuis sillabis nobis conscripta direxisti; quae nomina nos non angelorum sed magis demoniorum adfirmamus. Alium[1] vero ita luxoriae deditum, ut concubinam haberet et duos[b] ex ea filios procrearet. Et tamen sacerdotium sibimet vindicabat; adfirmans: hoc iustum esse iuxta traditionem veteris[c] testamenti, ut[d] defuncti fratris superstes frater ducat uxorem; et quia Christus, resurgens ab inferis, nullum ibi reliquisset, sed omnes inde abstraxisset. Quae omnia haec[e] detestabilia et scelesta[f] iudicamus. Bene enim tua sancta fraternitas iuxta aecclesiasticam regulam eos dampnavit et in custodiam misit, et optime vocavit antichristi ministros et precursores. 744 Iun. 22

De cetero decerta, karissime, et viriliter age et pervigil permane in ministerio Christi, ut amplius quam[g] amplius Christi grex augeatur, et tibi praemium aeternae retributionis maneat copiosum, et cum sanctis et electis Dei, ut credimus, esse inveniaris particeps et apostolorum consors. Deus te incolumem custodiat, reverentissime frater. Data 10 Kalendas Iulias, imperante domno piissimo augusto Artavasdo a Deo coronato magno imperatore anno 3, post consulatum[h] eius anno 3, sed et Niciphoro[i] magno imperatore anno 3, indictione duodecima[k][2].

a. *corr. in* que *C.* b. duo *M.* c. vetris *M.* d. et *M, corr. in* ut *C.* e. haec *deletum est in C.* f. sceleste *M.* g. et *C.* h. p̄ *M et C. Scripsi* post consulatum; *v. supra p.* 17. i. Nicaphoro *C.* k. duodecima *scripsi pro* decima *MC.*

1. Clementem. 2. Non est obscurum, hanc et eam quae sequitur epistolam esse anni eiusdem. Epistolam 49 autem, d. d. 5 Nov., pertinere ad a. 744, apparet ex ind. XIII (a d. 1 Sept. 744 proficiscente). In hac igitur ep. 48, d. d. 22 Iunii, perperam praebent codices ind. X pro ind. XII (a d. 1 Sept. 743 ad 31 Aug. 744 progrediente). Ceterum Artavasdi et Nicephori, hominum iam mense Novembri 743 excaecatorum exsilioque affectorum, imperia qua voluntate, Constantino IV imperatori infesta, ad describendum tempus in curia Romana hoc anno 744 sint (non sine mendis, v. supra p. 19) adhibita, ignoramus.

49. *Zacharias papa Bonifatium, cum tribus archiepiscopis pallia postulasset antea, novissimis litteris unum Grimonem Rotomagensem ornari pallio velle miratur. Se simoniae ab eo accusari indignatur. De falso sacerdote in Bavaria reperto. Non solum Bavariae sed etiam Galliarum curam ei committit*[a]. (S 143, W 60, G 55)

744 Nov. 5 Reverentissimo et sanctissimo fratri Bonifatio coepiscopo Zacharias servus servorum Dei.

Suscipientes sanctissime fraternitatis tuae litteras per praesentium[b] gerulum, et relegentes, quae in eis continebantur, in exstasi quadam[c] incidimus et admiratione magna[d], eo quod nimis reperte sint dissonare ab eis syllabis, quae a tua directe sunt fraternitate per elapsum Augustum[1] mensem. Ubi nobis indicasti: quod et concilium, adiuvante Deo et Carlomanno[e] praebente consensum[f] et contestante[g], factum est; et qualiter falsos sacerdotes, qui divinum non erant digni attrectare ministerium, a sacro munere suspendisti; et quia tres archiepiscopos per singulas metropolim ordinasses, reseruisti, id est Grimonem in civitate quae dicitur Rodoma, secundum vero Abel in civitate quae dicitur Remorum[h], tertium denique Hartbertum in civitate quae dicitur Sennis. Qui et apud nos fuit et tua nobis pariter et Carlomanni[i] atque Pipini[k] detulit scripta, per quae[l] suggessistis, ut tria pallea[m] hisdem tribus praenominatis[n] metropolitanis dirigere deberemus; quod et largiti sumus pro adunatione et reformatione aecclesiarum Christi. Nunc autem, denuo tuas[o] suscipientes syllabas, valde sumus ut diximus mirati eo, quod antea nobis una[p] cum memoratis principibus Galliarum pro tribus palliis suggessisti[q] et postea pro solo Grimone. Sed volumus, ut nobis tua indicet fraternitas[r], cur[s]

a. *ex M* 58 — 59, *C* 43 — 44. *Sine lemmate M;* Epistola Zacharie papae ad Bonifatium archiepiscopum *C.* b. praesentem *C.* c. *corr. in* extasī quandam *C.* d. admiratione̅ magna̅ *C.* e. Caromanno *M.* f. consensu *M.* g. concertante *C.* h. remōram *C.* i. Carromanni *M.* k. Pippini *C.* l. qua *M.* m. *corr. in* pallia *C.* n. pernominatis *M.* o. duas *M.* p. *om. M.* q. suggessistis *C.* r. fraternitatis *M.* s. quur *M.*

1. an Aprilem?

nobis ita direxisti antea pro tribus et postmodum pro uno, ut, et nos certi redditi, ex hoc nulla in nobis sit ambiguitas. 744 Nov. 5

Repperimus etiam in memoratis tuis litteris, quae nimis nostros animos conturbavit: quod talia a te nobis referantur, quasi nos corruptores simus canonum et patrum rescindere traditiones quaeramus ac per hoc, quod absit, cum nostris clericis in simoniacam heresim incidamus, accipientes et conpellentes, quorum[a] pallia tribuimus, ut nobis praemia largiantur, expetentes ab illis pecunias. Sed, karissime frater, ortamur sanctitatem tuam: ut nobis deinceps tale[b] aliquid minime tua fraternitas scribat; quia fastidiosum a nobis et iniuriosum suscipitur, dum illud nobis ingeritur, quod nos omnimodo detestamur. Absit enim a nobis et a nostris clericis, ut donum, quem[c] per Spiritus sancti gratiam[d] suscepimus, precio venundemus. Dum et illa tria pallia, quae te suggerente ut praediximus sumus largiti[e], nullum ab eis quispiam commodum expetiit. Insuper et charte, quae secundum morem[f] a nostro scrinio pro sua confirmatione atque doctrina tribuuntur, de nostro concessimus, nihil ab eis auferentes. Absit, vel si quidem a tua fraternitate criminis nobis simoniaci obicitur[g] nomen; anathematizantes[h] namque omnes, quicumque ausi fuerint donum sancti Spiritus precio venundare.

Suggessisti etiam nobis per alia tua scripta: quod in Baioaria unum repperisses falsum sacerdotem, qui et adfirmabat, quod a nobis fuisset episcopus ordinatus. Et tua hoc fraternitas optime[i] egit, dum ei non credidit — quia falsus homo omnia false suggessit — et falsum repperiens sacerdotio suspendi. Sic etenim auctoritate beati Petri apostolorum principis tibi praecipimus: ut, quemcumque reppereris[k] sacris canonibus deviare, nulla ratione patiaris sacrum ministerium obtrectare.

Et quia, si deberes in Baioariae provinciam ius habere

a. *corr. in* quibus *C.* b. tali *M.* c. *corr. in* quod *C.* d. gratia *M.* e. flagiti *M*, *corr. in* largiti *C.* f. morum *M.* g. abicitur *M*, obiciat *C.* h. *corr. in* anathematizamus *C.* i. obtime *M.* k. repperis *M.*

744 Nov. 5 praedicationis sciscitasti an non, quam a decessore nostro habuisti concessam; nos denique auxiliante Deo de ea, quae tibi largitus est decessor et praedecessor[a] noster, non minuimus sed augemus. Et non solum Baioariam sed etiam omnem Galliarum provinciam, donec te divina iusserit superesse maiestas, nostra vice per praedicationem tibi iniunctam, quae reppereris contra christianam relegionem vel canonum instituta, spiritaliter stude ad[b] normam rectitudinis reformare[c]. Deus te incolumem custodiat, reverentissime et sanctissime frater. Data Nonas Novembris, imperante domno piissimo augusto Artavasdo a Deo coronato magno imperatore anno tertio, post consulatum[d] eius anno tertio, sed et[e] Nicaphoro[f] magno imperatore eius filio anno tertio, indictione tertia decima.

---

50. *Acta synodi Romanae, qua Aldebertus et Clemens damnantur*[g]. (S post 134, et 135; W 66 et 67, G tom. II p. 40)

745 Oct. 25 In nomine domini nostri Iesu Christi. Imperante domno piissimo augusto Constantino[h] imperatore anno 26, post consulatum eius anno 5, mense Octobri, die vicesima quinta, indictione 14. Presedente sanctissimo ac beatissimo domno Zacharia papa in patriarchio[i] Lateranense, in basilica quae appellatur[k] Theodori[1]; consedentibus autem[l] cum eo sanctissimis episcopis Epiphanio Silva Candida, Benedicto Nomento, Venantio Penestre, Gregorio Portuense, Niceta Gabiis, Theodoro Ostense[m], Gratioso Villitrias; seu venerabilibus presbiteris, id est Iohanne archipresbitero, Gregorio, Stephano, item Stephano, Dominico, Theodoro, Anastasio, Georgio, Sergio, Iordanne[n], Leone, item Leone, Gregorio, Stephano, Eustochio[o], Procopio atque Theophanio.

a. prodecessor *M.* b. studeat *M pro* stude ad. c. reformas *M.* d. pater *M;* imperii *in litura C. Scripsi* post consulatum; *v. supra p.* 17. e. et *om. M.* f. Nicapharo *M, corr. in* Nicaphoro *C.* g. *ex M* 23*v* — 32, *C* 15*v* — 22*v*. *Sine lemmate M;* Sinodus ipsius *C.* h. a Deo coronato magno *excidisse videtur. V. supra p.* 16. i. patriarchia *M*, patriarchio *C.* k. appellatur *M.* l. etiam *C.* m. Ortense *M et C* (*cf. infra*). n. *corr. in* Iordane *C.* o. Eustatio *C.*

1. postea oratorium S. Venantii. V. Ciampini De sacris aedificiis p. 17.

Prepositis[a] in medio sacrosanctis euangeliis, adstantibus quoque diaconibus vel cuncto clero, Gregorius notarius regionarius et numenculator dixit: *Deneardus religiosus presbiter, legatus Bonifatii sanctissimi archiepiscopi provinciae Germaniae, directus apud vestrum sanctum apostolatum, prae velo est et petit, se ingredi. Quid precipitis?* Dictum est: *Ingrediatur.* Cumque ingressus fuisset[b], Zacharias, sanctissimus ac beatissimus papa sanctae Dei catholicae atque apostolicae urbis Romae, dixit: *Ante hos dies syllabas reverentissimi atque sanctissimi fratris nostri Bonifatii archiepiscopi nobis retulisti, per quas nobis, quae oportuna ei visa sunt, indicavit. Quid ergo denuo nostris secretariis te ingredi postulasti?* Deneardus religiosus presbiter dixit: *Domine mi, dum iuxta sancti apostolatus preceptionem meus dominus Bonifatius episcopus, famulus pietatis vestrae, in provincia Francorum synodum aggregasset; et repperisset illic falsos sacerdotes, hereticos et scismaticos, id est Aldebertum et Clementem, sacerdotio privans, una cum principibus Francorum, retrudi fecit in custodiam. Illi autem non in paenitentia degunt, ut iudicatum est; sed e contrario adhuc populum seducent*[c]. *Pro quo et hanc epistolam praefati mei domini, quam manibus gero, vestro sancto apostolatui missus offero, ut eam coram sacrosancto concilio relegi faciatis.* Dictum est: *Suscipiatur epistola, et coram nostra praesentia relegatur.* Et accipiens Theophanius notarius regionarius et saccellarius relegit in his sermonibus: 745 Oct. 25

„Excellentissimo[d] patri atque apostolico pontifici et ex auctoritate sancti Petri principis apostolorum magisterio freto, Zachariae papae, Bonifatius exiguus servus servorum Dei optabilem in Christo karitatis salutem. 745 ante Oct

Postquam me ante annos prope 30 sub familiaritate et servitio apostolicae sedis, annuente et iubente venerandae memoriae antestite[e] apostolico Gregorio[1] anteriore, voto constrinxi,

a. *corr. in* propositis *C.* b. fuisset *om. M.* c. *corr. in* seducunt *C.* d. *haec ep. est ap. S* 135, *W* 67, *G* 57. e. *corr. in* antistite *C.*

1. II.

745 ante Oct. quicquid mihi laetitiae vel tristitiae acciderat, apostolico pontifici solebam indicare; ut in letis simul laudaremus Deum et in tristibus eius consilio roborarer. Ita et nunc mihi vobis liceat. Pietati vestrae supplico, sicut scriptum est: *Interroga patrem tuum, et adnuntiabit*[a] *tibi; seniores tuos, et dicent tibi*[1].

Notum enim sit paternitati vestrae, quia, postquam indigno mihi mandastis, in provincia Francorum, sicut et ipsi rogaverunt[b], sacerdotali concilio et sinodali conventui praeesse, multas iniurias et persecutiones passus sum, maxime semper a falsis sacerdotibus, ab adulteratis presbiteris seu diaconibus et fornicariis clericis.

Maximus tamen mihi labor fuit contra duos hereticos pessimos et publicos et blasphemos contra Deum et contra catholicam fidem. Unus qui dicitur Eldebert natione generis Gallus est, alter qui dicitur Clemens genere Scottus est; specie erroris diversi, sed pondere peccatorum conpares. Contra istos, obsecro apostolicam auctoritatem vestram, quod meam mediocritatem defendere et adiuvare, et per scripta vestra populum Francorum et Gallorum corrigere studeatis: ut hereticorum fabulas et vana prodigia et signa precursoris[c] antikristi non sectantur; sed ad canonica iura et ad viam verae doctrinae convertantur. Et ut per verbum vestrum isti heretici duo mittantur in carcerem, si vobis iustum esse videatur, cum vitam et doctrinam illorum vobis intimavero. Et nullus cum eis loquatur aut[d] communionem habeat, ne forte, fermento doctrine illorum fermentatus, aliquis pereat; sed segregati vivant — et, iuxta dictum apostoli, huiusmodi traditi satane in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini[2]; et iuxta euangelicum praeceptum, dum aecclesiam non audierunt, sint nobis sicut aethnici et publicani[3] — donec discant non blasphemare nec scindere tonicam Christi[4]. Propter istos enim persecu-

a. adnunavit *M.* b. rogarunt *C.* c. precussoris *M.* d. *om. M; superscriptum est in C.*

1. Deut. 32, 7. 2. 1 Corinth. 5, 5. 3. Matth. 18, 17. 4. Cf. Ioh. 19, 23. 24.

tiones et inimicitias et maledictiones multorum populorum patior et aecclesia Christi impedimentum fidei et doctrinae recte sustinet. 745 ante Oct.

Dicunt enim[a] de Aldebercto[b], quod eis sanctissimum apostolum abstulissem, patronum et oratorem, et virtutum factorem et signorum ostensorem abstraxissem. Sed pietas vestra, audiens vitam eius, iudicet ex fructu: utrum vestimentis ovium indutus, intus autem[c] lupus rapax fuisset[1] an non? In primeva enim aetate ypochrita fuit, dicens: quod sibi angelus Domini in specie hominis de extremis finibus mundi mire et tamen incerte sanctitatis reliquias attulisset; et exinde potuisset omnia, quaecumque poposceret[d], a Deo impetrare. Et tunc demum per illam simulationem, sicut apostolus Paulus praedixit, penetravit multorum domos et captivas duxit post se mulierculas oneratas peccatis, quae ducebantur variis desideriis[2], et multitudinem rusticorum dicentium, quod ipse esset vir apostolicae sanctitatis et signa et prodigia multa fecisset. Deinde conduxit episcopos indoctos, qui se contra praecepta canonum absolute ordinarunt[3]. Tum demum in tantam superbiam elatus est, ut se aequiperaret apostolis Christi. Et dedignabatur, in alicuius honore apostolorum vel martyrum aecclesiam consecrare. Et interrogavit, quid voluissent homines, visitando limina sanctorum apostolorum. Postea in proprio honore suo dedicavit oratoria vel, ut verius dicam, sordidavit. Fecit cruciculas et oratoriola in campis[e] et ad fontes vel ubicumque sibi visum fuit, et iussit ibi publicas orationes celebrare; donec multitudines populorum, spretis ceteris episcopis et dimissis antiquis aecclesiis, in talibus locis conventus celebrabant dicentes: *Merita sancti Aldeberti adiuvabunt nos.* Ungulas suas et capillos dedit ad honorificandum et portandum cum reliquiis sancti Petri principis apostolorum. Tum demum, quod maxi-

a. enim *om. C.* b. Aldeberto *C.* c. *om. C.* d. *corr. in* posceret *C.* e. imcampis *C.*

1. Matth. 7, 15. 2. 2 Timoth. 3, 6: „qui penetrant domos et captivas ducunt mulierculas, oneratas peccatis, quae ducuntur variis desideriis“. 3. episcopum.

745 ante Oct. mum scelus et blasphemia contra Deum esse videbatur, fecit. Venienti enim populo, et prostrato ante pedes eius et cupienti confiteri peccata sua, dixit: *Scio omnia peccata vestra, quia mihi cognita sunt occulta vestra. Non est opus confiteri; sed dimissa*[a] *sunt vobis*[b] *peccata vestra praeterita. Securi et absoluti revertimini ad domos vestras cum pace.* Et omnia, quaecumque sanctum euangelium ypochritas fecisse testatur, suo habitu et incessu et moribus imitatus est.

Alter autem hereticus, qui dicitur Clemens, contra catholicam contendit aecclesiam, canones ecclesiarum Christi abnegat et refutat, tractatus et intellectus sanctorum patrum Hieronimi Augustini Gregorii recusat[c]. Synodalia iura spernens, proprio sensu adfirmat: se — post duos filios sibi in adulterio natos sub nomine episcopi — esse posse legis christianae episcopum. Iudaismum[1] inducens, iustum esse iudicat christiano: ut, si voluerit, viduam fratris defuncti accipiat uxorem. Qui contra fidem sanctorum patrum contendit, dicens: quod Christus filius Dei, descendens ad inferos, omnes, quos inferni carcer detinuit, inde liberasset, credulos et incredulos, laudatores Dei simul et cultores idulorum[d]. Et multa alia horribilia de predistinatione Dei, contraria fidei catholicae, adfirmat. Quapropter de hoc quoque heretico precor: ut per litteras vestras mandare curetis duci Carlomanno, ut mittatur in custodiam; ut semina satanae latius non seminet, ne forsitan una ovis morbida totum gregem polluat. Valere sanctitatem vestram et prosperis profectibus gaudere in longitudinem dierum optamus".

745 Oct. 25 Cumque relecta esset, Zacharias sanctissimus ac beatissimus papa dixit: *Audistis, karissimi fratres, quid in ista epistola relectum sit ex sacrilegis illis, qui se ad suam condempnationem apostolos populis praedicaverunt*[e]. Sanctissimi episcopi et venerabiles presbiteri responderunt: *Audivimus certe per omnia non apostolos sed ministros satanae et praecursores antikristi.*

a. dimisa *M.* b. vobis *om. M.* c. recussat *M.* d. idolorum *C.* e. praedicarunt *C.*

1. V. Deuter. 25, 5.

Quis enim aliquando apostolorum aut quilibet sanctorum ex capillis suis aut ungulis pro sanctualia populis tribuerunt, ut iste sacrilegus et perniciosus agere conatus est Aldebertus[a]. *Sed hoc scelus a vestro sancto apostolatu est resecandum, tam de illo quamque etiam de transgressore Clemente, qui sacros canones spernit atque expositionem*[b] *sanctorum patrum Ambrosii Augustini, et ceterorum respuit dicta sanctorum. Sed isti iuxta factis et transgressionibus suis*[c] *dignam suscipiant sententiam.* Zacharias sanctissimus ac beatissimus papa dixit: *Quia hodie iam tardior hora est, venturo secretario, etiam conscriptam vitam et orationem, quam sibi exposuit, vel cetera quae utebatur, dum nobis relecta fuerint, communi consensu, mediante Deo, quid fieri debeat, pertractandum est.*

745 Oct. 25

In nomine domini Dei et salvatoris nostri Iesu Christi. Imperante domno piissimo augusto Constantino[d] magno imperatore anno 26, post consulatum eius anno 5, mense Octobri, die 25, indictione 14. Praesedente sanctissimo ac beatissimo domno Zacharia papa in patriarchio Lateranense, in basilica quae appellatur Theodori; consedentibus etiam cum eo sanctissimis episcopis Epiphanio Silva Candida, Benedicto Nomento, Venantio Penestre, Gregorio Portuense, Niceta Gabiis, Theodoro Ostense, Gratioso Villitrias; seu venerabilibus presbiteris, id est Iohanne archipresbitero, Gregorio, Stephano, item Stephano, Dominico, Theodoro, Anastasio, Georgio, Sergio, Iordanne, Leone, item Leone, Gregorio, Stephano, Eustathio, Procopio atque Theophanio.

Praepositis in medio sacrosanctis euangeliis, adstantibus quoque diaconibus vel cuncto clero, Gregorius notarius regionarius et numenculator dixit: *Iuxta vestri sancti apostolatus praeceptionem, quam in praeterito secretario iussistis, Deneardus relegiosus presbiter adest prae velo. Quid praecipitis?* Dictum est: *Ingrediatur.* Cumque ingressus esset, Zacharias sanctis-

a. Aldeberctus *C.* b. expositiones *C.* c. *corr. in* iuxta facta et transgressiones suas *C.* d. a Deo coronato *excidisse videtur.*

745 Oct. 25 simus ac beatissimus papa dixit: *Actus illius nefandissimi Aldebercti sive cetera illius conscripta, quae praeterito secretario prae manibus gerebas, coram praesente concilio porrige legenda.* Et accipiens Theophanius notarius regionarius et sacellarius relegit vitam illius, cuius initium tale est:

In nomine domini nostri[a] *Iesu Christi. Incipit vitam sanctum et beatum Dei famulum, praeclarum atque totum speciosum, ex electione Dei natum, sanctum Aldeberctum episcopum. De simplicibus parentibus fuit procreatus, et de gratia Dei est coronatus. Quia dum in utero matris suae erat, ibidem gratia Dei caepit et, antequam pervenisset beatissima nativitas eius, sic vidit genetrix eius, quasi per visionem, egredientem vitulum de dextero latere suo. Quia qui vitulus illi designabat illam gratiam*[b], *quam acceperat ab angelo, antequam exiret de vulva* . . . .

Cumque hic libellus usque ad finem relectus fuisset, Zacharias sanctissimus ac beatissimus papa dixit: *Quid ad haec blasphemia*[c] *responditis*[d], *sanctissimi fratres?* Epiphanius, sanctissimus episcopus sanctae aecclesiae Silvae Candide, dixit: *Certe, apostolice*[e] *domine, ex divina inspiratione motum est cor sancti vestri apostolatus, ut praedictum Bonifatium, sanctissimum fratrem nostrum, episcopum quamque Francorum principes commoneretis: quatenus in partibus illis post longa tempora concilium aggregaretur sacerdotum, ut haec scismata quamque blasphemiae usque quaque sancto vestro apostolatui minime celarentur.* Zacharias, sanctissimus ac beatissimus papa, dixit: *Si quid adhuc habet Deneardus relegiosus presbiter nobis porrigere relegendum, porrigat.* Deneardus relegiosus presbiter respondit: *Ecce domine epistolam, quam utebatur, et divulgabat esse Iesu et de caelo cecidisse.* Et accipiens Theophanius notarius regionarius et sacellarius relegit. Cuius initium tale est:

In Dei nomine. Incipit epistola domini nostri Iesu Christi filii Dei; qui in Hierosolima cecidit, et per Michael archange-

a. nostri *om. C.* b. illa gratia *C.* c. *corr. in* blasphema *C.* d. respondetis *C.* e. apostolicae *M.*

lum ipsa epistola inventa est ad portam Effrem. Et per manus sacerdotis nomine Icore epistola ista fuit[a] *relecta ipsa exemplata; et transmisit ipsam epistolam ad Geremiam*[b] *civitatem ad alio sacerdoti*[c] *Talasio. Et ipse Talasius transmisit ipsam epistolam ad Arabiam civitatem alio sacerdoti*[d] *Leoban. Et ipse Leobanus*[e] *transmisit epistolam istam ad Vetfaniam civitatem; et recepit epistolam istam Macrius sacerdos Dei, et transmisit ipsam epistolam in monte sancto archangelo Michael. Et ipsa epistola per manus angeli Domini pervenit ad Romanam*[f] *civitatem, ad locum sepulcri sancti Petri, ubi claves regni caelorum constitutae sunt. Et 12 papati, qui sunt in Romana civitate, triduanas fecerunt vigilias in ieiuniis, in orationibus, per diebus et noctibus* .... et cetera usque ad[g] finem perlecta.

745 Oct. 25

Zacharias, sanctissimus ac beatissimus papa, dixit: *Pro certo, karissimi fratres, et praedictus in insaniam conversus Aldebertus; et omnis, qui hanc utitur scelere commentatam epistolam, parvulorum more absque memoria mentium esse possunt et quibusdam mulieris insaniunt sensibus. Sed ut ne leviores adhuc amplius decipiant, indiscussam et absque sententia causam hanc in eum relinquere minime possumus.* Sanctissimi episcopi et venerabiles presbiteri responderunt: *Ex divina inlustratione cognoscimus cor sancti vestri apostolatus inluminatum; et quae a vobis dicta sunt, ex administratione sancti Spiritus emanarunt. Et idcirco, ut a vobis praevisum fuerit, in utrisque sententia promulgetur.* Zacharias, sanctissimus ac beatissimus papa, dixit: *Non ut a nobis solis praevisum fuerit, sed pariter cum sanctitate vestra est pertractandum. Sed, si Domino placuerit, in futuro secretario, quod rectum praevisum fuerit et Dominus suis famulis administraverit*[h], *ex omnibus actis promulgabitur sententia.*

In nomine domini Dei salvatoris nostri Iesu Christi. Imperante domno piissimo augusto Constantino[i] magno imperatore

a. fuit *om. M.* b. Hieremiam *C.* c. alium sacerdotem *C.* d. ad alio sacerdote *C.* e. Leobanius *C.* f. Romam *C.* g. in *C.* h. adminystraverit *M.* i. a Deo coronato *excidisse videtur.*

745 Oct. 25 anno 26, post consulatum eius anno 5, mense Octobrio, die 25, indictione 14. Praesedente sanctissimo ac beatissimo domno Zacharia papa in patriarchio Lateranense, in basilica quae appellatur Theodori; consedentibus etiam cum eo sanctissimis episcopis Epiphanio Silva Candida, Benedicto Nomento, Venantio Penestrae, Gregorio Portuense, Niceta Gabiis, Theodoro Ostense, Gratioso Villitrias; seu venerabilibus presbiteris, id est Iohanne archipresbitero, Gregorio, Stephano, item Stephano, Dominico, Theodoro, Anastasio, Georgio, Sergio, Iordanne, Leone, item Leone, Gregorio, Stephano, Eustathio, Procopio atque Theophanio.

Praepositis in medio sacrosanctis euangeliis, adstantibus quoque diaconibus vel cuncto clero, Gregorius notarius regionarius et numenculator dixit: *Secundum quod a vestro sancto apostolatu praeceptum est in praeterito secretario, ut Deneardus relegiosus presbiter hodie se vestris obtutibus praesentaret, praesto est prae foribus. Quid praecipitis?* Dictum est: *Ingrediatur.* Cumque ingressus fuisset, Zacharias sanctissimus ac beatissimus papa dixit: *Habes adhuc ex sacrilegorum illorum conscripto, ut coram concilio porrigere debeas relegendum?* Deneardus relegiosus presbiter respondit: *Etiam, domine mi, habeo orationem, quam sibi Aldebertus conponere nisus est; et ecce prae manibus eam gero. Iubete eam suscipi.* Et accipiens relegit in his sermonibus orationem, cuius initium tale est:

Domine Deus omnipotens, Christi filii Dei pater, domini nostri Iesu Christi, et Α *et* ω, *qui sedis super septimo throno et super Cherubin et Seraphin; pietas magna et dulcitudinis satis est apud tibi. Pater sanctorum angelorum, qui fecisti caelum et terram, mare et omnia quae in eis sunt, te invoco et clamo, et invito te super me miserino, quia tu dignus fuisti dicere: „Quodcumque petieritis a Patre in nomine meo, dedi[a] vobis“[1]. A te peto, a te clamo, a domino Christo confido animam meam.* Cumque per ordinem legeretur, pervenit ad

a. dedo *C.*

1. 1 Ioh. 16, 23.

locum, ubi ait: *Praecor vos et coniuro vos et supplico me ad vos, angelus Uriel, angelus Raguel, angelus Tubuel, angelus Michael, angelus Adinus*[a], *angelus Tubuas, angelus Sabaoc, angelus Simiel.* 745 Oct. 25

Dum vero haec oratio sacrilega usque in finem perlecta fuisset, Zacharias sanctissimus ac beatissimus papa dixit: *Quid ad haec, sanctissimi fratres, responditis?* Sanctissimi episcopi et venerabiles presbiteri responderunt: *Quid aliud agendum est, nisi ut omnia, quae nobis relecta sunt, igni concrementur, auctores vero eorum anathematis vinculo pervellantur? Quia octo nomina angelorum, quae in sua oratione Aldebertus invocavit, non angelorum, praeterquam Michaelis; sed magis demones in sua oratione sibi ad prestandum auxilium invocavit. Nos autem, ut a vestro sancto apostolatu edocemur et divina tradit auctoritas, non plus quam trium angelorum nomina cognoscimus, id est Michael, Gabriel, Raphael. Vel siquidem iste*[b], *sub obtentu angelorum, demonum nomina introduxit.* Zacharias sanctissimus ac beatissimus papa dixit: *Optime provisum est a vestra sanctitate, ut conscripta illius omnia igne cremarentur; sed oportunum est, ut ad reprobationem eius in sancto nostro scrinio reserventur ad perpetuam eius confusionem. Nunc vero, quia omnia peracta sunt, de utrorumque sententia, quorum superius mentio facta est, pertractandum est.*

Universum concilium dixit: *Aldebertus, cuius nobis actus et nefaria commenta relecta sunt, et quia se apostolum censuit nominare et capillos et ungulas suas populis pro sanctualia tribuebat, seducens populum diversis erroribus, qui etiam sub obtentu angelorum in suo auxilio demones invocat, sit ab omni officio sacerdotali alienus, agens poenitentiam pro commissis, et amplius iam populum minime seducat. Sin autem in his erroribus perseveraverit et populum amplius seduxerit, sit ei anathema et aeterno Dei iudicio condempnetur*[c], *vel omnis, qui ei consenserit aut eius secutus fuerit doctrinam aut adiunctus fuerit illi.* *Similiter autem et Clemens, qui per suam stultitiam*

a. Adiniis *C.* b. vel si qui de misterio *M*, vel siquidem iste *C.* c. contempnetur *M.*

745 Oct. 25 *sanctorum patrum statuta respuit vel omnia sinodalia acta; inferens etiam christianis Iudaismum, dum praedicet, fratris defuncti accipere uxorem; insuper et dominum Iesum Christum, descendentem ad inferos, omnes pios et inpios exinde praedicat abstraxisse; ab omni sit sacerdotali officio nudatus et anathematis vinculo obligatus pariterque Dei iudicio condempnatus, vel omnis, qui eius sacrilegis consenserit predicationibus.*

+ Zacharias, episcopus sanctae Dei catholicae[a] atque apostolicae urbis Romae, his gestis atque sententiae a nobis promulgatis subscripsit.

+ Epiphanius, episcopus sanctae aecclesiae Silvae Candidae, his gestis atque sententiae a nobis promulgatis subscripsit.

+ Benedictus, episcopus sanctae aecclesiae Nomentane, his gestis atque sententiae a nobis promulgatis subscripsit.

+ Venantius, episcopus sanctae aecclesiae Penestrinae, his gestis atque sententiae a nobis promulgatis subscripsit.

+ Gregorius, episcopus sanctae aecclesiae Portuensi, his gestis atque sententiae a nobis promulgatis subscripsit.

+ Nicetas, episcopus sanctae aecclesiae Gabinatis, his gestis atque sententiae a nobis promulgatis subscripsit.

+ Theodorus, episcopus sanctae aecclesiae Ostense[b], his gestis atque sententiae a nobis promulgatis subscripsit.

+ Gratiosus[c], episcopus sanctae aecclesiae Velliternense[d], his gestis atque sententiae a nobis promulgatis subscripsit.

+ Iohannes, archipresbiter tituli sanctae Susannae, his gestis atque sententiae a nobis promulgatis subscripsit.

+ Gregorius, humilis presbiter sanctae Romanae aecclesiae tituli sancti Clementis, his gestis atque sententiae a nobis promulgatis subscripsit.

+ Stephanus, gratia Dei presbiter sanctae Romanae ecclesiae tituli sancti Marci, his gestis atque sententiae a nobis promulgatis subscripsit.

+ Stephanus, indignus presbiter sanctae Romanae aecclesiae

a. ecclesiae *M*, catholicae *C*. b. Hostense *C*. c. Gratoosus *C*. d. Villiternense *C*.

tituli sancti Eusebii, his gestis atque sententiae a nobis promulgatis subscripsit. 745 Oct. 25

✝ Dominicus, humilis presbiter sanctae Romanae aecclesiae tituli sanctae Priscae, his gestis atque sententiae a nobis promulgatis subscripsit.

✝ Theodorus, humilis presbiter sanctae Romanae ecclesiae tituli sancti Laurentii, his gestis atque sententiae a nobis promulgatis subscripsit.

✝ Anastasius, indignus presbiter sanctae Romanae aecclesiae tituli sanctae Mariae, his gestis atque sententiae a nobis promulgatis subscripsit.

✝ Georgius, humilis presbiter sanctae Romanae aecclesiae tituli sanctorum Iohannis et Pauli, his gestis atque sententiae a nobis[a] promulgatis subscripsit.

✝ Sergius, humilis presbiter sanctae Romanae aecclesiae tituli sanctae Potentiane, his gestis atque sententiae a nobis promulgatis subscripsit.

✝ Iordannes, indignus presbiter sanctae Romanae aecclesiae tituli sanctae Sabinae, his gestis atque sententiae a nobis promulgatis subscripsit.

✝ Theophanius, humilis presbiter sanctae Romanae aecclesiae tituli sanctorum quattuor coronatorum, his gestis atque sententiae a nobis promulgatis subscripsit.

✝ Leo, indignus presbiter sanctae Romanae aecclesiae tituli sanctae Anastasiae, his gestis atque sententiae a nobis promulgatis subscripsit.

✝ Leo, humilis presbiter sanctae Romanae aecclesiae tituli Damasi, his gestis atque sententiae a nobis promulgatis subscripsit.

✝ Gregorius, indignus presbiter sanctae Romanae aecclesiae tituli sanctae Balbinae, his gestis atque sententiae a nobis promulgatis subscripsit.

✝ Stephanus, presbiter sanctae Romanae aecclesiae tituli sancti Chrissogoni, his gestis atque sententiae a nobis promulgatis subscripsit.

a. a nobis *om. M.*

745 Oct. 25 + Eustathius, humilis presbiter sanctae Romanae aecclesiae, his gestis atque sententiae a nobis promulgatis subscripsit.

+ Procopius, indignus presbiter sanctae Romanae aecclesiae tituli sancti Cyriaci, his gestis atque sententiae a nobis promulgatis subscripsit.

---

51. *Zacharias papa Bonifatium confirmat et consolatur. Acta synodi in Francorum provincia habitae probat. Sedem metropolitanam ei Coloniae constitutam confirmat. De consecratione et baptismate per falsos sacerdotes factis; de sacerdotibus deiectis; de suis ad Francorum principes litteris; de Francorum censu; de synodo Romana; de Geoleobo episcopo; de concilio in Francorum provincia quot annis agendo*[a]. (S 138, W 70, G 60)

745 Oct. 31 Reverentissimo et sanctissimo fratri Bonifatio coepiscopo Zacharias servus servorum Dei.

Cum nobis sanctissime fraternitatis tuae syllabae delate fuissent atque per singula relegi fecissemus et repperissemus in earundem litterarum tuarum serie, quod, peccatis nostris facientibus, dum dominici tritici semina quaereres elaborare ad augendam segetem spiritalem, subito inimici superseminant zizania[1], ut sanctitatem tuam in bono opere impediant; sed tua sancta fraternitas incessanter orationi instet pariter cum fratribus, qui secum laborant, et spiritales sarculos construens et zizania eradicens[b] deportet ad conburendum, ut beatus Gregorius papa: *Bonum* inquit *opus vobis sit in voluntate; nam ex divino erit adiutorio in perfectione.* His ita se habentibus, carissime frater, confortare in Domino, et ipse erit adiutor tuus.

De incursione autem gentium, quae in tuis plebibus facta est, merendum nobis est. Sed haec adversitas nullatenus tuam fraternitatem conturbet. Quia et Romana civitas ex accidentibus facinoribus sepius est depopulata, et tamen omnipotentia[c] sua

a. *ex M* 35*v*—39*v*, *C* 25—28. *Sine lemmate M;* Alia de Gawileobo et ceteris abiciendis et Agrippina metropoli, id est Colonia *C.* b. *corr. in* eradicans *C.* c. potentia *C.*

1. Cf. Matth. 13, 25.

Dominus ex supernis eam dignatus est consolare[a]. Sic etenim credimus, quia et vos consolabitur. Sed populis tibi commissis, reverentissime frater, praedica ieiunium, supplicationes apud Deum laetaniarum; et supereminens clementia eius adiuvabit vos. Te autem, ut praediximus, nullatenus adversa conturbent; sed in bono opere, quod caepisti, nullo modo deficias. Nos vero, licet inmeriti et peccatores exsistamus, nostris precibus vel consacerdotum nostrorum, in quantum possumus, adiuvamus. 745 Oct. 31

De synodo autem congregata[b] apud Francorum provinciam, mediantibus Pippino et Carlomanno excellentissimis filiis nostris, iuxta nostrarum syllabarum commonitionem, peragente nostra vice[c] tua sanctitate, qualiter egisses, cognovimus. Et omnipotenti Deo nostro gratias egimus, qui eorum corda confirmavit, ut in hoc pio opere adiutores existerent. Et omnia optime et canonice peregisti, tam de falsis episcopis et fornicariis et scismaticis quamque etiam et in reliquis, nomine sacerdotibus, contra canonum instituta agentibus vel contra catholicam et apostolicam Dei aecclesiam. De quibus secundum tuam relationem per singula respondemus.

De eo namque quod suggessisti, quod elegerunt unam civitatem omnes Francorum principes, coniungentem usque ad paganorum fines et in partes Germanicarum gentium, ubi antea praedicasti: quatenus ibi sedem metropolitanam perpetuo tempore habere debeas et inde ceteros episcopos ad viam instrueres rectitudinis et post tui successores perpetuo iure possideant; hoc, quod decreverunt, nos laeto suscepimus animo, eo quod ex Dei nutu factum est. Vel siquidem falsi sacerdotes et scismatici hoc impedire conati sunt; quorum vanum agonem Dominus dissipabit[d], et illa faciet stabilita, quae sanctorum patrum statutis conveniunt concordare. Et quia tibi ipsi principes Francorum etiam in hoc adiutores exstiterunt, retribuat illis omnipotens Deus vicissitudinis premium et innumera largiatur bona.

a. *corr. in* consolari *C.* b. congregato *M, corr. in* congregata *C.* c. *corr. in* nostram vicem *C.* d. dissipavit *M et C.*

745 Oct. 31 Nam de illo similiter falso episcopo, quem dixisti — adulterati clerici et homicidae filius in adulterio natus et absque disciplina nutritus, et cetera mala et horribilia, quae per singula enarrasti, ac per hoc et sui similes sacerdotes consecravit — de hoc, meminit tua reverenda fraternitas, quia[a] tibi iam vicibus scripsimus: ut nullus homicida, nullus adulter, nullus fornicator sacrum ministerium debeat obtrectare, sed neque expenitentes aut talis, qualem sacri canones prohibent esse sacerdotem[1]. De baptizatis vero ab illis seu aecclesiis consecratis requirat tua fraternitas: si aut aecclesias in nomine Trinitatis consecravit aut parvulos similiter baptizavit, dum sacerdotio fungebatur. Et sic consecratio aecclesiarum et parvulorum baptisma sit confirmatum.

Et hoc pariter suggessisti: quod illi, qui a te[b] proiecti sunt sacerdotes, a nobis absolutos se apud Francorum provinciam devulgentur[c]. Quod tua sancta fraternitas nullo modo credat; quia — quod inpossibile est — si hoc fecissemus, tuae caritati per nostras indicassemus litteras. Sed hoc, quod inpossibile est, nullo modo credas. Quia non aliud praedicamus et aliud agimus aut dirigimus, ut illi garriunt; sed auxiliante Deo illud, quod praedicamus, fine tenus observandum censemus. Hoc autem sanctitatem tuam, firmissime ut teneas, hortamur — ut sanctorum patrum institutis et consultis sacrorum canonum omnimodo assequi debeas —: quia nos nullatenus aliud praedicamus aut aliud agimus.

Nam de eo quod obsecrasti, ut Francorum principibus scriberemus vel ceteris Francis, ut petisti, eis per singula scripsimus: ut tibi et amici sint et adiutores in dominico opere existant.

De censu vero expetendo, eo quod impetrare a Francis ad reddendum aecclesiis vel monasteriis non potuisti, quam ut in vertente anno ab unoquoque coniugio servorum 12 denarii reddantur; et hoc gratias Deo, quia hoc potuisti impetrare — et

a. quod *corr. in* quot *C.* b. ante *M,* a te *C.* c. *corr. in* divulgent *C.*

1. V. ep. 43 supra p. 121.

dum Dominus donaverit quietem, augentur et luminaria sanctorum — pro eo, quod nunc tribulatio accidit Saracinorum[a] Saxonum vel Fresonum[b], sicut tu ipse nobis innotuisti. 745 Oct. 31

De eo namque, quod interrogasti: quod illi, qui depositi sunt pro capitalibus peccatis de gradu sacerdotali — dum eos repperisses adulteros, homicidas, ut nec sacerdotes nec clerici esse possint, nec sub penitentia monachi esse volunt — sed pergentes apud palatium regis Francorum rogant, ut eis loca tribuat aecclesiarum vel monasteriorum, ut laicam vitam[c] vivant, dispergentes sanctorum loca; sed et de hoc pariter, qualiter fieri debeat, Francorum principibus commonentes direximus.

In alia quippe tua epistola[1] repperimus contineri omnia, quae contra te egerunt falsi et scismatici episcopi, id est Aldebertus et Clemens; per quae omnia acta ipsorum et impiissimum errorem singillatim indicasti. Nos vero, congregatis fratribus et consacerdotibus nostris, eorundem pravorum sceleratissima acta in eorum praesentia relegi fecimus. Et dum nobis coram concilio relecta fuissent, pio studio omnes, eadem[d] scismatica dogmata ipsorum seu sceleratissimam vitam, quam sibi Aldebertus conscribere fecit, una voce exclamaverunt: ut igni cremarentur. Sed nos hoc non fieri rectum iudicavimus, pro eo quod — ad reservandum sive in aeternum eos condemnandum — in scrinio sanctae aecclesiae reservanda mandavimus; suscipientes ipsi dignam sententiam. Cuius instar[2] actionis ad tuam direximus fraternam sanctitatem; ut, relecta in provincia Francorum, omnis scismaticus, audiens taliter a sancta Dei catholica et apostolica aecclesia iudicatum, a sensus sui pravitate resipiscat.

In tertia namque tua epistola intimasti nobis de alio seductore nomine Geoleobo, qui antea false episcopi[3] honore fungebatur, et quia sine cuiuscumque consultu apud nos properat. Et[e] dum advenerit, ut Domino placuerit, fiet.

a. *corr. in* Sarracenorum *C.* b. Frisonum *C.* c. *corr. in* laica vita *C.* d. eodem *M.* e. Et *deletum est in C.*

1. supra p. 138. 2. exemplum. 3. Moguntini.

745 Oct. 31 Tua autem reverentia, ut auxiliante Domino coepit, vice nostra volumus ut omni anno apto tempore in Francorum provincia concilium debeat celebrare: ut, frequentia sacerdotum sive institutis[a] sacrorum canonum mediantibus, illuc[b] quid adversum nullo modo valeat pullulare; sed magis, aecclesiae Dei unitas et disciplina catholica atque apostolica ubique in illis partibus dilatata, cunctae populorum turbae etiam in occiduis partibus veri catholici esse possint et non amplius, per falsos sacerdotes erroribus involuti, demergantur in interitum. Dum vero concilium aggregaveris, sic tua fraternitas conflictum habeat cum metropolitanis, quos confirmavimus, de eo quod dixisti, ut nullus sine commendaticiis suscipiatur epistolis. Tamen — et pro hoc ipso et pro omnibus — Francorum principibus commonitionis direximus litteras, ut iam superius fati sumus.

De civitate namque illa, quae nuper Agrippina vocabatur nunc vero Colonia, iuxta petitionem Francorum per nostrae auctoritatis praeceptum nomini tuo metropolim confirmavimus; et tuae sanctitati direximus pro futuris temporibus eiusdem metropolitanae aecclesiae stabilitatem. Deus te incolomem custodiat, reverentissime et sanctissime frater. Data pridie[c] Kalendas Novembris, imperante domno piissimo augusto Constantino a Deo coronato magno imperatore anno 27[1], post consulatum[d] eius anno 5, indictione 14.

---

52. *Zacharias papa sacerdotes, abbates, laicos per Gallias et Francorum provincias constitutos laudat, quod in synodo, a Pippino et Carlomanno convocata, ad Bonifatii praecepta sacerdotes perversos expulerint. Victoriam promittit. De synodo quot annis habenda*[e 2]. (S 137, W 50, G 48)

745 (Oct. 31) Zacharias papa universis episcopis presbiteris diaconibus abbatibus, cunctis etiam ducibus comitibus omnibusque Deum timentibus, per Gallias et Francorum provincias constitutis.

a. instituta *M, corr. in* institutis *C.* b. *corr. in* illic *C.* c. pridiae *M.* d. imp̄ *M;* p *C, ubi manus posterior superscripsit* imperii *et* p *delevit. Scripsi* post consulatum; *v. supra p.* 17. e. *ex M* 34 — 35*v, C* 24 — 25. *Sine lemmate M;* Epistola Zachariae de synodo, quam habuit sanctus Bonifatius cum episcopis ac servis Dei, consentiente Pipino et Carlomanno *C.*

1. immo 26. 2. hanc epistolam anno 745 circ. d. 31 Oct., non

Referente nobis reverentissimo atque sanctissimo fratre nostro Bonifatio episcopo, quod — dum sinodus aggregata esset in provincia vestra iuxta nostram commonitionem, mediantibus filiis[a] nostris Pippino et Carlomanno principibus vestris, peragente etiam vice nostra[b] praedicto Bonifatio — Dominus autem inclinassset corda vestra cum principibus vestris in praedicatione eius: ut omnibus commonitionibus eius oboediretis et falsos et scismaticos et homicidas et fornicarios a vobis expelleretis sacerdotes, omnipotenti Deo nostro gratias egimus. Et pro vobis incessanter sumus orantes, ut, qui coepit in vobis opus bonum, perficiat usque in finem. 745 (Oct. 31)

Obsecro enim omnes vos coram Deo: ut eius commonitionibus firmiter oboediatis. Ipsum enim vice nostra in partibus illis ad praedicandum constitutum habemus, ut vos Deo propitio ad viam perducat rectitudinis, et a cunctis facinoribus salvi esse possitis. Habuistis enim peccatis facientibus nunc usque falsos et erroneos sacerdotes. Unde et cunctae paganae gentes vobis pugnantibus praevalebant; quia non erat differentia inter laicos et sacerdotes, quibus pugnare licitum non est. Qualis enim victoria datur, ubi sacerdotes una hora dominica pertractant mysteria et Christi[c] dominicum porrigent[d] corpus pro suarum animarum redemptione, et post christianos, quibus hoc ministrare[e] debuerant, aut paganos, quibus Christum praedicare, propriis sacrilegisque manibus necant? Et fit secundum Domini verbum: *Vos estis sal terrae; quod si sal evanuerit, in quo condietur? Ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, et conculcetur ab hominibus*[1]. Et dum haec ita sint et tales in vobis fuerint sacerdotes, quomodo victores contra vestros inimicos esse poteritis? Nam si mundos et castos ab omni fornicatione et homicidio liberos habueritis sacerdotes, ut sacri praecipiunt canones et nostra vice praedicat prefatus Bonifatius

a. *om. M.* b. *corr. in* vicem nostram *C.* c. christianis *C.* d. *corr. in* porrigunt *C.* e. minystrare *M.*

anno 742, scriptam esse, docuit Hahn Jahrbücher des Fränkischen Reichs 741—752 p. 192 et 193.

1. Matth. 5, 13.

745 (Oct. 31) frater noster et ei in omnibus oboedientes exstiteritis, nulla gens ante vestrum conspectum stabit, sed corruent ante faciem vestram omnes paganae gentes; et eritis victores; insuper et bene agentes vitam aeternam possidebitis.

Vos autem, karissimi fratres, qui estis veri sacerdotes vel sub regulari disciplina constituti, sic vosmet ipsos exhibete ut certe Dei ministros[1] et dispensatores mysteriorum[a] Dei; ut non vituperetur ministerium[b] vestrum[c 2], ne fiat in vobis, quod[d] scriptum est: *Erit sicut populus sic sacerdos*[3]. Et si hoc fuerit, qualis vobis erit ab hominibus laus, aut qualis a Deo exspectatur retributio? Sed sic vos corrigite ut veri sacerdotes et tales ad sacerdotium producite, ut et vobis et illis testimonium maneat bonum ab his, qui foris sunt[4]; quatenus ab hominibus vobis adquiratis laudem, et a Deo mercedis praemium in aeterna beatitudine percipere mereamini, eo quod per vos ad Christi perducti sunt rectam fidem, innoxios habentes sacerdotes. Ad synodum namque omni anno convenite ad pertractandum de unitate aecclesiae; et si quid adversi acciderit, radicitus amputetur, et Dei aecclesia maneat inconcussa. Bene valete.

---

53. *Gemmulus diaconus Romanus Bonifatio de synodo Romae peracta significat. Se monacharum commendatarum curam habiturum esse. Munera mittit*[e]. (S 148, W 68, G 58)

745 Oct. Domino sanctissimo apostolorumque meritis decorato Bonifatio archiepiscopo Gemmulus indignus diaconus sanctae sedis apostolicae.

Summis et Deo amabilibus apicibus acceptis, cum magno et omni, quo condecet, honore et veneratione relegi. Et quia post tot tempora merui ex vestris syllabis visitari, omnipotenti Deo nostro gratias egi, qui me, indignum famulum suum, etiam de vestra letificavit incolomitate. Igitur omnia, quae nobis per

a. ministeriorum *M*. b. minysterium *M*. c. nostrum *M*. d. sicut *C*. e. *ex M* 63*v* — 64*v*, *C* 48 — 49. *Sine lemmate M;* Epistola Gemmuli diaconi ad Bonifatium archiepiscopum *C*.

1. V. 2 Corinth. 6, 4. 2. V. 2 Corinth. 6, 3. 3. Isai. 24, 2. 4. 1 Timoth. 3, 7.

nunc directas litteras praecepistis, ut Dominus vires donare dignatus est, adimplevimus[a], sed et ea, quae domno apostolico[1] suggessistis, per nos sunt suscepta et adnuntiata atque[b] relecta. Et nos ea pertractantes, omnia scripta, quae vobis ab eo directa sunt, a nobis esse dictata juxta vestram voluntatem, cognoscite. 745 Oct.

Sed et, quod vos non sperabatis, fieri suggessimus. Et facta est synodus sacerdotum, praesedente domno apostolico. Et relecta est sacrilega illius Aldebercti nefandissimi vita et omnia opuscula illius[c] coram synodo, pariter et epistola sanctissimae paternitatis vestrae, ubi de illo et de Clementis dementia suggessistis. Et sic gesta peracta, sententia anathematis in eis promulgata est vel in omnibus, qui eorum nefandam secuti fuerint sectam; cuius instar[2] vobis a domno apostolico directa est. Et haec coram presentia praesentis fratris nostri Deneardi, venerabilis presbiteri, acta sunt; et ipse vobis ore proprio poterit enarrare, quod omnia ista per nos acta sunt.

Nam pro certo cognoscite, sanctissimę pater, quia in omnibus me paratum offero vestris obtemperandum praeceptis. Tantummodo peto, ut pro nobis orare iubeatis. Scio enim, quia, vestris orationibus adiuvatus, erutus sum a temptationibus inimici et misertus Dominus suo famulo medelam[d] tribuit. Et diversis infirmitatibus circumdatus, quamquam indignus, illud apostoli sequor consolationis dictum, quo ait: *Dum infirmor, tunc potens sum*[3]; et: *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me* per vestras sanctas praeces *virtus Christi*[4].

Venerandas namque sorores nostras et Dei ancillas, quae apud limina sanctorum principum apostolorum properaverunt, quas etiam nobis vestra sancta paternitas commendare iussit, in quantum Dominus vires donare dignatus fuerit, curam earum habemus propter vestram sanctam praeceptionem.

Benedictionem etenim, quam nobis direxistis, suscepimus, id est poculum argenteum et syndonem unam. Quam in duplici suscepimus benedictione, eo quod a tanto patre meruimus visi-

a. adimplemus *M.* b. adque *M.* c. eius *C.* d. medellam *M.*

1. Zachariae. 2. exemplum. 3. 2 Cor. 12, 10. 4. 2 Cor. 12, 9.

745 Oct. tari. Et licet retribuere non valeamus, tamen ad vicem caritatis cum magna reverentia direximus cinnamomum uncias 4, costum uncias 4, piper libras 2, cozumbrem libram 1. Quae[a] peto ut absque iniuria suscipere iubeatis; et ut pro nobis orare dignemini, omnimodo deposco. Incolumem sanctissimam paternitatem vestram divina conservet maiestas, orantem pro nobis, domine et meritis apostolorum decorate pater.

---

54. *Gemmulus diaconus Romanus Bonifatio de litteris gratias agit. Sperat fore, ut postulatas S. Gregorii epistolas postero tempore ei mittat. Suffimentum adiungit*[b].

(S 149, W 69, G 59)

745 Oct. Domino sanctissimo et nimium desiderantissimo atque cum omni affectu caritatis recolendo patri Bonifatio, archiepiscopo provinciae Germanie, Gemmulus indignus diaconus sanctae sedis apostolicae.

Venerabilibus sanctissimae paternitatis vestrae syllabis susceptis, per praesentem gerulum Deneardum venerabilem virum missis, cum omni ut decuit veneratione atque caritatis affectu suscepisse insinuo simul et benedictionem, quam mihi misistis. Quae apud parvitatem meam super aurum et argentum accepta est, eo quod mei memorem esse in sanctis suis orationibus almitatis vestrae coronam cognovi. Quem concedere mihi divina patiatur magestas incolumem, quam diu me superna voluerit clementia superesse; ut, vestris sacris interventionibus iuvatus, exercitior inveniar Deo propitio adversus antiqui hostis insidias repugnare.

Inter ea insinuastis mihi, quod vobis de illis epistolis sancti Gregorii mitteremus. Sed nunc minime potuimus sanctis paternitatis vestrae praeceptis parere, eo quod nimis attritum atque in podagrico humore et dolore fatigatum memoratus vester presbiter per tempus cognovit, ita ut in eo me dolore afflictum

a. qua *MC*. b. *ex M* 64*v*—65*v*, *C* 49—50. *Sine lemmate M;* Item epistola Gemmuli diaconi ad sanctum Bonifatium *C*.

relinqueret[1]; quod et ore vobis proprio intimabit. Sed, si vita comes fuerit et vestra mihi oratio non defuerit, quae iussistis, dum saluti fuero plenius restitutus, sanctissimae paternitatis vestrae obtemperabo iussionibus; ut, dum alia vice hic vestrum missum direxeritis, quae praecepistis, impleta esse reperiantur, ut absque tarditate quae desideratis expleantur. 745 Oct.

Transmisimus enim per predictum vestrum presbiterum aliquantum cotzumbri[a]; quod incensum Domino offeratis temporibus matutinis et vespertinis, sive dum missarum celebratis sollemnia; miri odoris atque fraglantiae[b]. Sed peto, ut absque iniuria suscipiatis, quod pura caritate dirigitur. Salutans vestram sanctissimam paternitatem in Domino, et ut pro nobis orare iubeatis deposco. Sed et omnem ecclesiam, quae vobiscum est, per vos saluto, et ut ipsi pro me exorent. Multum enim valet depraecatio iusti adsidua[2]. Nam et ego, licet peccator existam, tamen vestri memoriam ante sacras confessiones apostolorum faciens orationi incumbo. His premissis, optamus sanctitatem paternitatis vestrae in Domino bene valere. Atque in opere, quo adsumptus es, multo amplius fructum boni operis pullulare concedat et ad incrementum perducere patiatur divina maiestas. Trinitas indivisa sanctitatem vestram conservet, orantem pro nobis.

---

55. *Bonifatius Danielem episcopum Vintoniensem de perversorum sacerdotum communione consulit. Petit, ut prophetarum librum a Winberto abbate exaratum sibi impertiatur. Munera mittit. Oculis captum consolatur*[c]. (S 3, WG 12)

Domino dilectissimo Danieli[d] episcopo[3] Bonifatius servus servorum Dei optabilem in Christo caritatis salutem. c. 732-746

Consuetudo apud homines esse dinoscitur, cum aliis[e] triste

a. cozumbri *C*. b. flagrantia *M*, fraglantiae *C*. c. *ex M* 73*v*—76, *C* 57—59, *V* 2*v*—4. *Lemmata:* Item epistola Bonifacii archiepiscopi ad Danielem *MC*; Item epistola Bonifacii archiepiscopi. Epistola beati Bonifati episcopi *V*; *v. supra p.* 12 *et* 13 *n.* 1. d. Danielo *V*, *corr. in* Danieli *M*. e. aliis *M*, alii *VC*; *an* illis?

1. Cf. ep. 53 p. 155, ubi Gemmulus itidem queritur, se „diversis infirmitatibus circumdatum“ esse. 2. Iac. 5, 16. 3. Vintoniensi, 705—746. V. supra p. 61 n. 2.

c. 732-746 et honerosum quid acciderit, ancxiatae mentis solacium vel consilium ab illis quaerere, de quorum maxime[a] amicitia vel sapientia et foedere confidunt. Eodem modo et ego, de paternitatis vestrae probabili sapientia et amicitia confidens, vobis fessae mentis angustias expono et vestrae pietatis consilium et solacium quaero. Sunt enim nobis iuxta dictum apostoli non solum foris pugne et intus timores[1], sed etiam intus pugnae simul cum timore; maxime semper per falsos sacerdotes et hypochritas. Qui et Deo adversantur et sibi perduntur et populum per plurima scandala et varios errores seducunt, dicentes populis iuxta dictum prophetae: *Pax, pax!* et non est pax[2]. Et semen verbi, quod, de sinu catholicae et apostolicae ecclesiae sumptum et nobis commendatum, seminare aliquantulum studemus, illi cum lolio superseminare et suffocare nituntur vel in herbam pestiferi generis convertere. Et quod plantamus, non inrigant ut crescat, sed evellere student ut marcescat; offerentes populis et docentes novas sectas et diversi generis errores. Quidam abstinentes a cibis, quos Deus ad percipiendum creavit[3]; quidam, melle et lacte proprie[b] pascentes se, panem et ceteros abiciunt cibos; quidam autem adfirmant, quod plurimum populo nocet: homicidas vel adulteros, in ipsis sceleribus perseverantes, fieri tamen posse Dei sacerdotes. Populi autem iuxta dictum apostoli: *sanam doctrinam non sustinebunt*[c], *sed coacervabunt*[d] *sibi magistros secundum sua desideria*[4] et reliqua.

Nos quidem, patrocinatus auxilium in palatio Francorum quaerentes, a talium corporali communione abstinere et segregare nos iuxta praeceptum canonum non possumus; nisi hoc tantum, quod per sacra missarum sollemnia in sacris mysteriis corporis et sanguinis Domini cum eis non communicamus[e]. Sed et consilium et consensum illorum devitamus. Nam talibus et cum paganis et cum permixta et plebeia multitudine nostri la-

a. maxima *C.* b. propriae *M.* c. sustinent *C.* d. coacerbant *V*, coacervant *C.* e. communicavimus *M.*

1. 2 Corinth. 7, 5. 2. Ierem. 6, 14. 3. 1 Timoth. 4, 3: „abstinere a cibis, quos Deus creavit ad percipiendum". 4. 2 Timoth. 4, 3.

bores et pugnae forasticae[1] videntur esse. Immo[a] vero, quando quis de gremio matris ecclesiae presbiter vel diaconus, clericus vel monachus discedit[b] a fide et veritate, tum deinde prorumpunt[c] cum paganis in contumelias filiorum ecclesiae. Et erit obstaculum horrendum euangelio gloriae Christi. c. 732-746

De his namque omnibus, ut sine detrimento animae cursum ministerii[d] nostri implere possimus, in primis paternitatis vestrae apud Deum intercessionem quaerimus. Et intimis per Deum obsecramus precibus, uti pro nobis intercedere dignemini: ut pius laborantium consolator Deus inter tales turbines diversarum causarum animas nostras inlesas et sanas a peccatis custodire dignetur.

De supradicta autem dictorum sacerdotum communione salubre[e] consilium vestrum audire et exaudire inhianter desidero. Sine[f] patrocinio principis Francorum nec populum ecclesiae regere nec presbiteros vel clericos, monachos vel ancillas Dei defendere[g] possum; nec ipsos paganorum ritus et sacrilegia idolorum in Germania sine illius mandato et timore prohibere valeo. Cum autem ad illum, de istis[h] causis auxilium quaerens, pervenero, a talium communione abstinere canonice nullatenus corporaliter possum, nisi tantum a consensu illorum. Nam ego de illa communione culpam timeo. Quia recolo, me ordinationis meae tempore iuxta praeceptum Gregorii[2] papae iurasse in corpore sancti Petri: talium communionem me declinaturum, si eos ad viam canonicam convertere nequiverim[3]. Set item[i] timeo magis[k] damnum de praedicatione, quam populis inpendere debeo, si ad principem Francorum non venero. De istis quid paternitas vestra tristi et dubitanti filio decernere et iudicare et mandare ad consilium voluerit, indicare dignemini. Mihi enim maxima ex parte ab illis segregatus esse videor, si ab illis vo-

a. Immo *scripsi pro* Intimi *codd. MC, quae vox* (Intimi) *manu posteriore in* Intime *correctum est in V.* b. et *add. V.* c. prorumpunt *scripsi pro* prorumpit *codd. MCV.* d. minysterii *M.* e. salubrae *V.* f. Nam *addidit ante* sine *alia manus in M.* g. *om. M.* h. ipsis *M.* i. Sed item *add. alia manus in M, om. V,* item *om. C.* k. *corr. in* maius *M.*

1. alienae. 2. II. 3. V. supra Bonifatii iuramentum p. 77.

c. 732-746 luntatis consilio et consensu et ecclesiastico ministerio, ubi canonici non sunt, abstinuero.

Praeterea paternitatis vestrae clementiam de uno solacio peregrinationis meae intimis precibus diligenter rogare velim[a], si praesumam; id est, ut librum prophetarum, quem venerandae[b] memoriae Winbertus[c], abbas[1] et magister quondam meus, de hac vita ad Dominum migrans[d] dereliquit, ubi sex prophetae in uno corpore claris et absolutis[e] litteris scripti repperientur[f], mihi transmittatis. Et si hoc Deus cordi vestro facere inspiraverit, maius solacium vitae meae senectuti[g], et maius vobis premium mercedis, transmittere non potestis. Quia librum prophetarum talem in hac terra, qualem desidero, adquirere non possum; et, caligantibus oculis, minutas litteras ac connexas clare discere non possum. Et propterea de illo libro supra dicto rogo, quia tam clare discretis et absolutis litteris scriptus est.

Inter ea per Forthereum presbiterum litteras et parva munuscula propter indicium purae caritatis transmitto vobis; id est casulam, non holosiricam sed caprina lanugine mixtam, et villosam[h] ad tergendos pedes dilectionis vestrae.

Nuper quoque, revelante presbitero qui a vestra praesentia ad Germaniam venit, corporalis orbitatis[i] vobis contigisse cognovi. Sed — ut vos domine melius scitis, qui vel per quem dixit —: *Quem diligit Deus, corripit*[2] et cetera. Et Paulus apostolus: *Quando infirmor, tunc potens sum*[3]; et: *Virtus in infirmitate perficitur*[4]. Et psalmigraphus: *Multe tribulationes iustorum*[5] et reliqua. Habes, pater mi — sicut Antonius[6] de Didimo[7] fertur dixisse — oculos[k], quibus potest Deus videri[8] et angeli

a. vellim *corr. in* volo *V.* b. verande *M.* c. Wynbertus *V.* d. cum de hac vita — migravit *C.* e. absalutis *M.* f. repperientur *M, corr. in* repperiuntur *CV.* g. *corr. in* senectutis *C.* h. uuillosam *M.* i. *corr. in* corporalem orbitatem *V.* k. *sequitur* sicut *in V;* sicut *in C.*

1. Nutscellensis. 2. Prov. 3, 12. 3. 2 Corinth. 12, 10. 4. 2 Corinth. 12, 9. 5. Ps. 33, 20. 6. S. Antonius. 7. Alexandrino, S. Hieronymi praeceptore. 8. Narrat Rufinus in Hist. eccl. II c. 7 (Opp. ed. Vallarsius T. I 278) Antonium Didymo dixisse haec: „habes oculos, quos angeli habent, et quibus Deus videtur“. Cf. Hieronymi ep. 68 ad Castratium (Opp. ed. Vallarsius T. I 408).

eius, et supernae[a] Hierusalem gloriosa gaudia speculari. Et propter hoc, de sapientia tua et patientia confidens, credo: quia[b] hoc Deus ad profectum virtutum et ad augmentum meritorum tibi dedisset, et ut eo magis spiritalibus oculis ea conspicias et desideres, quae praecipit et diligit Deus, et eo minus respicias vel concupiscas, quae non amat sed interdixit Deus. Quid enim sunt isto periculoso tempore corporales oculi nisi, ut ita dicam, maxima[c] ex parte veraciter fenestrae peccatorum, per quas aut ad[d] peccata et ad peccantes aspicimus aut, quod peius est, ad nos ipsos flagitia considerantes et concupientes contrahimus. Valere sanctitatem vestram et pro me orare in Christo diligenter opto. c. 732-746

---

56. *Daniel episcopus Vintoniensis Bonifatio respondet. Ad perseverantiam hortatur. De sacerdotio homicidarum et adulterorum; de communione falsorum fratrum non devitanda. Gratias de consolatione agit*[e]. (S pag. 299, WG 13)

Domino reverentissimo et merito ab omnibus orthodoxis amplectando[f], multiplici scientia variarumque virtutum gratia insigniter decorato, Bonifatio archiepiscopo Daniel, Dei plebis famulus, sincerissimam in Domino, cuncta caelorum culmina supereminenti[g], salutem. c. 732-746

Lectis litteris a tua fraternitate transmissis, multum merore commoti sumus; quod[h] hoc amantibus intollerabile visum fuerit, si his, a quibus amantur, aliquid incommodi contigerit. Quandam tamen consolationem[i], sepius revolventes, invenimus in eo: quod hostis callidi inextricabilis astutia nequaquam ritus relegionis vestrae tanta violentia et tam variis bellorum seu errorum oppositionibus per sublimes sacerdotum vel ceterorum quorumcumque reproborum personas expugnare temptaverit, nisi etiam in illa[1] maioris meriti excellentiam agnosceret. Unde vos

a. super rite *MV*. b. quod *M*. c. maximę *M*. d. ad *om. M*. e. *ex M* 76—79*v*, *C* 59—62. *Sine lemmate*. f. *corr. in* amplectendo *C*. g. praeeminenti *C*. h. quia *C*. i. consulationem *M*.

1. religione vestra.

c. 732-746 operam dare primitus oportet: ut incoeptio gloriosa — quae est, ut arbitror, apostolicis coequanda certaminibus — nullatenus propter illorum deseratur insidias, qui, dolis instructi, salutiferae solent resistere doctrinae. Sed tanto libentius inlatae difficultates ferendae sunt, quanto certius conperimus: sanctorum esse ac martyrum in mundo pressuras, in caelo autem copiosissimam, Domino promittente, mercedem[a]; quem et hic auxiliatorem, si tantum in tribulationibus tollerantiae non tedet, et illic, cum iustis gavisuri, remuneratorem mereamur habere. Quapropter, cum caritas excellentiae tuae consilium sibi a nostra parvitate petere dignata sit, hoc existimamus profuturum: quatenus invicta patientia perferre studeat, quod non[b] absque Dei[c] providentia provenire[d] non nesciat.

Quamvis ergo forasticae[1] pugnae pernicies seva sit, ipsaque atrocius intestina formidanda ferocitas noceat — quod utique non miror: cum Christus Iesus olim fratrem a fratre in mortem esse tradendum testatus est, et filium a patre et parentes a nepotibus propter nomen suum necandos[2] —; licet inpugnantes per escarum superstitiosissimam observationem Dei opus destrui quaerunt, quae[3] propemodum in ipso usu hominis pari detrimento peribunt — aut si, turpe lucrum sectantes, adolationis[e] gratia vel etiam ipsorum laudis, vestrae vero vituperationis, falso securitatem populis pronuntient[f] ac, ficta blanditie, pacis appellationem ingeminent et secundum Esaie vaticinantis praesagium *dicentes malum bonum, et bonum malum*[4] et reliqua; vel si segetem, vestrae venerabilitati commissam, sterile lolium interserendo suffocare conentur; quia[g] utique ante messis maturitatem in quodam commate conpescitur evelli[5], de quo uberius infra dicemus —; licet, inquam, actenus inaudita proferant dogmata ad decipienda minus intellegentium corda, quae vos, in divinis voluminibus optime eruditos, neque ad horam

a. *sequitur* habere *superscriptum in M.* b. non *addidi.* c. *om. M.* d. pervenire *M, corr. in* provenire *C.* e. *corr. in* adulationis *C.* f. pronuntiant *corr. in* pronuntient *M,* pronuntiant *C.* g. *corr. in* quod *C.*

1. externae. 2. Matth. 10, 21. 3. escae. 4. Isai. 5, 20. 5. V. Matth. 13, 30.

introducta latent neque etiam ea, quae eis oportune possint op- c. 732-746
poni; — sed, ne te diutius morer ducendo per singula, dicam breviter —: quanquam universa nefandae factionis argumenta ad expugnandos et adfligendos vos exerceant, tamen secundum praecedentium sanctorum exemplar, quod corrigendo curari nequit, saltem sustinendo portate.

De sacerdotio autem homicidarum et adulterorum, qui absque ulla resipiscentia in peccatis suis perdurare presumunt, satis tibi sacratissimi canones ac decreta pontificum persuadent. Si igitur homicidis, iugiter agentibus poenitentiam, circa exitum vitae perfectio, id est communionis Christi gratia, conceditur, incorrectis qua ratione cura regimonii[a 1] christiane conversationis iniungitur? Adulter vero, quem nec sero suae inpudiciciae penituit, qua consequentia sibi sacerdotale officium usurpabit? quando — secundum statuta Innocentii papae[2] ceterorumque — qui viduam aut secundam duxerit uxorem, non modo a ministerio aecclesiastice dignitatis verum etiam a clericatu coercetur. Cum et haec propter carnis fragilitatem indulgenter concessa sunt, adulteria vero ab omnibus peritissimis prohibentur.

A communione autem falsorum fratrum sive sacerdotum, quale consilium est tam idoneum, ut te in rebus corporalibus separatim disiungat, nisi forte de hoc mundo exire[3] incipias? quando isti ubique et semper subintroire nituntur. A quibus se periculis implicatum Paulus apostolus adserebat[4]. Et ceteri christiane religionis conditores, id ipsum aut se passos aut posteris patiendum fore, fatentur.

Dicis enim, te ab illis in sacris oblationum libaminibus remotissimum esse, ne sanctum canibus dare[5] videreris — de hoc quid sentiret sanctus Augustinus, inter cetera subtus insinuabimus — insuper non sponte, non[b] consensu neque ex vo-

a. regiminii *M*, regimonii *C*. b. nec *C*.

1. regiminis. 2. V. Reg. pont. Rom. p. 23 n. 85. 3. 1 Corinth. 5, 10: „alioquin debueratis de hoc mundo exiisse“. 4. 2 Corinth. 11, 26: „in itineribus saepe — periculis in falsis fratribus“. 5. Matth. 7, 6: „Nolite dare sanctum canibus“.

c. 732-746 luntate, sed sola necessitate cogente nonnumquam te inter ipsos habitantem. Nempe Hieronimus ait: *In euangelio voluntas quaeritur, quae, si etiam effectum non habuerit, tamen praemium non amittit*[1]. Quodsi his coniungeris verbi gratia: „in perceptione ciborum vel in cohabitatione loci“, nonne ille, qui „non venit vocare iustos“[2] et reliqua, ibat ad convivia peccatorum[3], ut occasionem haberet docendi? Aut[4]: „in eo, quod mixtim adire regem interdum debetis et pro pace aecclesiastica pariter deprecari, quia ipsi ut veri pastores plerumque pro ovibus intervenire se fingunt“, primum quidem[a] implendum esse, quod scriptum est, sciamus: *Subditi estote omni humane ordinationi*[5] et reliqua, et: *Omnibus potestatibus sublimioribus*[6] et reliqua. Deinde considerandum est: quia proposita est similitudo tritici et zizaniorum[7] de permixtione malorum atque bonorum. *Et munda et inmunda animalia,* ut ait Augustinus, *introisse in arcam leguntur*[8]. *Neque enim, quacumque libuit, intraverunt inmunda animalia, arcae conpage confracta, sed ea integra per unum atque idem ostium, quod artifex fecerat. Non enim* inquit *per has similitudines et pronuntiationes consilium desidiae*[b] *bonis datum est, qua neglegant quod prohibere debent, sed patientiae, qua perferant, salva doctrina veritatis, quod emendare non valent.* Item dicit: Cum ergo inveniamus in aecclesia malos, quos aecclesiastica disciplina corrigere aut coercere non possumus, tunc ne ascendat in cor nostrum impia et perniciosa praesumptio, qua existimemus nos ab his esse separandos, ut peccatis eorum non coinquinemur[c], atque ita post nos trahere conemur veluti mundos sanctosque discipulos, ab unitatis conpage quasi a malorum consortio segregatos. Veniant in mentem illae de scripturis similitudines, quibus demonstratum est:

a. ergo *C.* b. dissidiae *M, corr. in* desidiae *C.* c. inquinemur *C.*

1. Hieronymi commentarii in Matthaeum L. I, cap. 11 vers. 30, Opp. ed. Vallarsius T. VII 75. 2. Matth. 9, 13: „Non enim veni vocare iustos, sed peccatores“. 3. V. Matth. 9, 11. 4. sc. „si his coniungeris“. 5. V. 1 Petr. 2, 13. 6. V. Rom. 13, 1. 7. Matth. 13, 25. 8. Augustinus de Fide et operibus (Opp. ed. Benedictini Antwerpiae 1701 T. VI 141).

malos in aecclesia permixtos bonis usque ad finem seculi temporusque iudicii futuros; et nihil bonis unitate ac participatione sacramentorum, quia[a] eorum factis non consenserint, obfuturos. c. 732-746

Cum vero eis, per quos aecclesia regitur, adest pace salva potestas disciplinae adversus reprobos aut nefarios exercende, tunc rursus, ne socordia segnitiaque dormiamus, aliis aculeis praeceptorum, quae ad severitatem coercitionis[b] pertinent, excitandi sumus. Ita est etiam ratio dissimulandi et tollerandi malos in aecclesia; et est rursus ratio castigandi et corripiendi, non amittendi vel a communione removendi; ut nec patientiae nomine torpescamus nec obtentu diligentiae seviamus.

Dicam quoque, quod ex operibus antiquorum excerpsi doctorum; et utiliter in tam perniciosa barbarie[c] ad memoriam debet reduci. Si forte in prefata condescensione a quolibet calumniaris[d] de aliquo simulandi sive etiam fingendi genere, legimus[e], quod utilis simulatio adsumenda sit in tempore. Unde et Cephas „subtrahebat et segregabat se, timens eos“[1] et reliqua; et vas electionis[2] totondit capud[3] et Timotheum circumcidit[4]. Ipse quoque Dei filius finxit, se longius ire[5] et nescire quae sciebat, ut est in euangelio: *Quis me tetigit?*[6] et: *Ubi posuistis eum?*[7] Sed et psalmista inmutavit vultum suum coram Habimelech[f8]; et Ioseph ludens fratribus locutus est[9]. Nec non et Israel hedinis pellibus membra contexit[10]. Hoc fecit, ut putaretur esse, qui non erat; et si diligenter et fideliter adtenditur, non est mendacium, sed misterium. Per hedinas quippe pelles peccata, per eum vero, qui eis se operuit, ille significatur, qui aliena peccata portat.

Haec tuae caritati, non quasi priscae auctoritatis ignare vel nostrae rusticitatis admonitione indigenti, ne quid[g] tuis rogatibus derogassemus[h], trepidantes scripsimus pro eo, quod te

a. q̄ *M,* quia *C.* b. coercionis *C.* c. barbariae *M.* d. calumniarus *M,* calumniaris *C.* e. legimus *corr. in* legerimus *M,* legimus *C.* f. Abimelehc *C.* g. quit *M.* h. derogassem *C.*

1. Galat. 2, 12. 2. Paulus. 3. Act. apost. 18, 18. 4. Act. apost. 16, 3. 5. Luc. 24, 28. 6. Luc. 8, 45. 7. Ioh. 11, 34. 8. Ps. 33, 1. 9. V. Gen. 42, 7. 10. Gen. 27, 16.

c. 732-746 cum maioribus contraxisse negocium conperimus. Amore tamen atque oboeditione amplius incitati quam arte vel audacia freti — tantum revelando[a], non etiam imperando — prolata[b] diximus; ne forte in aliquo his, qui ultra modum excellentiores sunt, adversari videremur.

Exhortatoria profecto tuae suggessionis monita de instanti corporis molestia perferenda satis libenter suscipimus. Et in quantum vires sufficiunt, ipso Domino auxiliante qui pro sua misericordia monuit nos, tuis salutaribus obtemperabimus dictis.

Hoc quoque cognoscat vestra benivola dilectio: quia, licet terrarum spatioso sequestremur intervallo ac maris inmensitate nimia et caeli inaequali clymmate[c] dirimamur[d], pari tamen tribulationum deprimimur fasce. Eadem est enim operatio satanae hic et ibi. Propter quod diligentissime deprecor vos, ut nos orationum[e] mutua vicissitudine iugiter muniamus; reminiscentes sermonis, quem dixit Dominus[f]: *Si consenserint ex vobis duo aut tres*[1] et reliqua. Vale, vale, centupliciter[g] carissime mihi et alia manu[h].

---

57. *Sigebaldus (abbas ut videtur Certesiensis) Bonifatio scribit, se per Eobo presbyterum ab eo petiisse, ut una cum Daniele episcopo Vintoniensi suus episcopus esset. Memoriae eius se commendat*[i]. (S 49, WG 26)

c. 732-746 Reverentissimo praesuli et piae paternitatis praerogativa devulgando[k] archiepiscopo Bonifacio Sigebaldus[2], licet indignus et ultimus famulorum Dei famulus, optabilem in Domino salutem.

Primitus subnixis precibus ac si progeniculans flexis poplitibus[l] ut indulgeas obsecro petitionem meam, quam rogavi te per tuum presbiterum nomine Eobo; id est ut tibi indicaret

a. *super* revelando *posuit alia manus* vel relevando *in C.* b. prělata *M,* praelata *C.* c. climmate *C.* d. dirimemur *M, corr. in* dirimamur *C.* e. operationum *M.* f. *om. M; superscriptum est in C.* g. centipliciter *C.* h. manu *M, corr. in* manus *C.* i. *ex M* 113—113*v*, *C* 91, *V* 31*v*. *Lemma:* Item epistola Sigebaldi *MV,* I. e. Sigibaldi *C.* k. divulgando *C.* l. *corr. in* poblitibus *C.*

1. Cf. Matth. 18, 19. 2. abbas, ut videtur, Certesiensis (monasterii Chertsey, a Londino inter occidentem et meridiem). V. p. 167 n. 2.

meam petitionem et desiderium, id est: ut tu meus esses episcopus cum meo episcopo Danielo[1]. Pro[a] tua clementia hoc mihi concedebas[b], si ita fecisset, sicut eum rogavi. Putabam a te, domine mi, aliquem consolationis sermonem venire ad me. Notum sit tibi, quia ex eo tempore nomen tuum adscriptum habuissem, cum missarum sollemnia celebrarem, simul cum nominibus episcoporum nostrorum; et modo non cesso quam diu subsistam; et si supervixero tibi, cum nomine patris nostri Ercnwaldi episcopi[2] tuum adscribo nomen. Et hoc tibi intimare curabo, quod hoc scribens non quia de merito mei peccatoris confidens sim, sed de misericordia Dei et spe[c] tua quam habes in Deum. Ideo[d] deprecor te[e], ut tecum memoria mea secundum parvitatem meam et in presente[f] et in futuro persistat. Vale in Christo. c. 732-746

---

58. *Zacharias papa Bonifatium redarguit, quod in Bavaria rebaptizari baptizatos quosdam iusserit, quoniam sacerdos, sacris eos initians, Latine nesciens corrupta formula usus esset*[g]. (S 134, W 62, G 56)

Reverentissimo et sanctissimo fratri Bonifatio coepiscopo 746
Zacharias servus servorum Dei. Iul. 1

Virgilius[3] et Sedonius[h][4], religiosi viri apud Baioariorum[i] provinciam degentes, suis nos litteris usi sunt, per quas intimaverunt, quod tua reverenda fraternitas eis iniungeret: christianos denuo baptizare. Quod audientes, nimis sumus conturbati et in admirationem quandam incidimus; si habetur, ut dictum est. Retulerunt[5] quippe, quod fuerit in eadem provincia sacerdos, qui

a. et pro *C*, *ubi* et *superscriptum est.* b. cendebas *M*, *corr. in* concedebas *C.* c. spes *M*, spēs *V.* d. ideoque *C.* e. te *om. C.* f. *corr. in* praesenti *C.* g. *ex M* 22*v* — 23*v*, *C* 15 — 15*v*. *Sine lemmate M;* Epistola Zachariae ad Bonifatium *C.* h. *corr. in* Sidonius *C.* i. Baiuariorum *C.*

1. Vintoniensi. 2. Londinensis († 693), qui ante susceptum episcopatum condidit monasterium Certesiense. V. Bedae hist. eccl. IV c. 6, Opp. ed. Giles III p. 36; Monasticum Anglican., Lond. 1846, T. I 422; Vita S. Erconwaldi, Acta SS. Apr. III 781. 3. postea ep. Salzburgensis. 4. postea ep. Pataviensis. 5. „Retulerunt nuntii tui, quod — ut denuo baptizentur“ sunt in Gratiani Decr. P. III De consecr. D. 4 can. 86.

746 Iul. 1 Latinam linguam penitus ignorabat et, dum baptizaret, nesciens Latini eloquii, infringens[a] linguam diceret: *Baptizo te in nomine patria et filia et Spiritus sancti.* Ac per hoc tua reverenda fraternitas consideravit rebaptizare. Sed sanctissime frater, si ille qui baptizavit, non errorem introducens aut heresim, sed, pro sola ignorantia Romane locutionis infringendo linguam, ut supra fati sumus, baptizans dixisset, non possumus consentire, ut denuo baptizentur. Quia, quod tua bene conpertum habet sancta fraternitas, quicumque baptizatus fuerit ab hereticis in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, nullo modo rebaptizari debeatur[b], sed per sola manus inpositione[c] purgari debeatur[b]. Nam, sanctissime frater, si ita est ut nobis relatum est, non amplius a te illis predicetur huiusmodi; sed, ut sancti patres docent et predicant, tua sanctitas studeat conservare. Deus te incolomem custodiat, reverentissime frater. Data Kalendis Iulii, imperante domno piissimo augusto Constantino a Deo coronato magno imperatore anno 26[1], post consulatum[d] eius anno 4[2], indictione 14.

---

59. *Bonifatius una cum aliis episcopis Aethilbaldum regem Mercionum ad virtutem revocat*[e]. (S 19, W 72, G 62)

744—747 Domino carissimo et in Christi amore ceteris regibus preferendo[f], inclita[g] Anglorum imperii sceptra gubernanti Aethilbaldo[h] regi Bonifacius archiepiscopus, legatus Germanicus Romanae ecclesiae, et Wera[3] et Burghardus[i 4] et Werberhtus[k 5] et Abel[6] et Wilbalth[l 7] coepiscopi perennem in Christo caritatis salutem.

a. infringens *inductum est in C.* b. *corr. in* debeat *C.* c. sola — inpositione *C.* d. post consulatum *scripsi pro* imperii *MC; v. supra p.* 17. e. *ex M* 89*v*—94*v*, *C* 71—76, *V* 9*v*—12*v*. *Lemma:* Item epistola Bonifacii archiepiscopi *MCV.* — *Haec epistola interpolata legitur in Baronii annal. eccl. ad a.* 745 *XVIII; et earundem litterarum adulteratarum excerpta habentur ap. Willelmum Malmesburiensem, Gesta regum Anglorum ed. Hardy T. I* 112—115. f. proferendo *V.* g. inclina *M.* h. Aethiltibaldo *M.* i. Burghart *MC.* k. Werbeht *M.* l. Wilbald *MC.*

1. immo 27, v. supra p. 19. 2. immo 6. 3. hunc esse eundem ac Wittam ep. Buraburgensem, non concesserim Rettbergio, Kirchengeschichte Deutschlands I 365. 4. ep. Wirzeburgensis c. 741 factus. 5. neque hunc putem esse Arthbertum ep. Senonensem. 6. ep. Remensis, 744—c. 751. 7. ep. Eistetensis.

Confitemur coram Deo et sanctis angelis: quia, quandocumque prosperitatem vestram et fidem in Deo et opera bona coram Deo et hominibus per nuntios fideles audivimus[a], quod, inde gaudentes et pro vobis orantes, laeti gratias agimus Deo; postulantes et obsecrantes salvatorem mundi, ut vos, sospites et in fide stabiles et in operibus coram Deo rectos, in principatu christiani populi longo tempore custodiat. Quando autem aliqua dilectionis vestrae iniuria, de statu regni vestri[b] vel eventu bellorum facta, aut, quod maius est, de salute animae periculosum damnum perpetratum per auditum ad nos usque pervenerit, merore et tristitia nos cruciat[1]; quia gaudio vestro[c] in Dei voluntate congaudemus et adversitati[d] contristamur. 744—747

Audivimus enim, quod elimosinarum plurima facias. Et in hoc congratulamur; quia, qui elimosinas minimis fratribus indigentibus tribuunt, iuxta veritatem euangelicam in die iudicii clementem sententiam a Domino audituri sunt, dicente: *Quam diu fecistis uni ex minimis fratribus meis, mihi fecistis*[2]; *venite, benedicti*[e] *patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi*[3]. Audivimus quoque: quod furta et iniquitates, periuria et rapinas fortiter prohibeas, et defensor viduarum et pauperum esse dinosceris, et pacem stabilitam in regno tuo habeas. Et in hoc quoque, laudantes Deum, gavisi sumus; quia ipsa veritas et pax nostra, quae est[f] Christus, dicebat: *Beati pacifici*[g], *quoniam filii Dei vocabuntur*[4].

Sed inter haec[h] una malae aestimationis fama de vita pietatis vestrae ad auditum nostrum pervenit, qua audita, contristati sumus. Et illam optamus non fuisse veram. Multis enim narrantibus, conpertum est nobis: quod numquam legitimam in matrimonium uxorem duxisses. Quod[5] a domino Deo ab ipso mundi primordio constitutum est, ut per apostolum Dei Paulum prae-

a. audimus *C.* b. vim *M,* vi *C,* v̄i *V.* c. nostro *M.* d. adversitate *MV.* e. *sequitur* usque mundi *in MV.* f. *om. C.* g. pacifici usque vocabuntur *MV.* h. *om. MV.*

1. sc. iniuria vel damnum. 2. Matth. 25, 40. 3. Cf. Matth. 25, 34. 4. Matth. 5, 9. 5. matrimonium.

744—747 ceptum et iteratum, illo docente[a]: *Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquaeque virum suum*[1]. Nam, si hoc causa castitatis et abstinentiae facere voluisti, ut ab uxoris coniunctione pro timore et amore Dei abstinuisses, et hoc verum et impletum pro Deo conprobaveris, et in hoc gaudemus; quia non est reprehensibile, sed magis laudabile. Si autem — quod absit — ut multi dicunt, nec legitimam accepisti[b] uxorem nec castitatis abstinentiam pro Deo servasti[c], sed libidine dominante in scelere luxoriae et adulterii famam gloriae tuae coram Deo et hominibus confuderis[d], in hoc valde contristamur; quia et in conspectu Dei flagitium et coram hominibus famae vestrae confusio esse dinoscitur.

Et adhuc, quod peius est, qui nobis narrant, adiciunt: quod hoc scelus ignominiae maximae cum sanctis monialibus et sacratis Deo virginibus per monasteria commissum sit. Nam, hoc peccatum duplex esse, non dubium est. Ut verbi gratia dicamus, cuius vindictae reus sit puer apud dominum suum, qui uxorem domini sui adulterio violaverit. Quanto magis illę, qui sponsam Christi, creatoris caeli et terrae, putredine suae libidinis commaculaverit; dicente beato Paulo apostolo[e]: *An nescitis, quia corpora vestra templa sunt Spiritus sancti?*[2] et alibi: *Nescitis, quia templum Dei estis, et spiritus Dei habitat in vobis?*[3] *Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus; templum enim*[f] *Dei sanctum est, quod estis vos*[4]. Et iterum idolatriae servituti adulteros et fornicatores in sermone et numero peccatorum iungit dicens: *An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare. Neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt*[5]. Apud Grecos enim et Romanos — quasi blasphemiam[g] Deo inrogasset, qui

a. quod etiam per apostolum Dei Paulum praeceptum et iteratum est, docentem atque dicentem *C pro* ut per apostolum — docente. b. accipisti *V.* c. reservasti *C.* d. confunderis *V.* e. *om. C.* f. *om. M.* g. plasphemium *MV.*

1. 1 Corinth. 7, 2. 2. 1 Corinth. 6, 19. 3. 1 Corinth. 3, 16. 4. 1 Corinth. 3, 17. 5. 1 Corinth. 6, 9. 10.

hoc reus sit — ut proprie[a] de hoc peccato ante ordinationem interrogatus, si reus inventus fuerit ut cum velata et consecrata Deo nonna concubuisset, ab omni gradu Dei sacerdotii prohibetur[b]. Propter hoc, fili[c] carissimę, sollicite considerandum est: quanti ponderis hoc peccatum esse iudicetur ante oculos aeterni iudicis; quod facientem inter idolatriae servos constituat[d] et[e] divino ministerio altaris abiciat[f], licet ante peracta paenitentia reconciliatus sit Deo. Corpora enim per votum propriae sponsionis et per verba sacerdotis Deo consecrata templa Dei esse per sanctam scripturam dicuntur. Et ideo violatores illorum iuxta apostolum filii perditionis[1] esse dinoscuntur. Princeps autem apostolorum Petrus, luxoriosos[g] libidine prohibens, dixit: *Sufficit enim preteritum tempus*[2] et reliqua. Tum est[h]: *Pretium scorti*[i] *vix unius est panis; mulier autem viri pretiosam animam capit*[3]. Et alibi: *Non grandis est culpae, cum quis furatus*[k] *fuerit; furatur enim, ut esurientem impleat animam*[4]; *deprehensus quoque reddet septuplum*[5]. *Qui autem adulter est, propter cordis inopiam perdet animam suam*[6]. Longum est enim[l] enumerare, quanti spiritales medici huius peccati venenum et horrendum vituperabant et terribiliter prohibebant. Quia pene omnibus peccatis gravior et deterior est fornicatio; et veraciter dici potest laqueus mortis et puteus inferni et vorago perditionis. 744—747

Propter ea obsecramus et contestamur, fili carissime, clementiam tuam per Christum filium Dei et per adventum eius et regnum ipsius: ut, si hoc verum sit, quod in isto scelere versaris[m], et[n] vitam tuam penitendo corrigas et purificando emendes. Et memor eris[o], quia indecens esse conprobatur, ut imaginem[p] Dei, quae in te creata est, per luxoriam ad imaginem et similitudinem maligni diaboli converteris[q] et tu — quem non propria merita sed larga pietas Dei regem ac principem mul-

a. propriae *MV*. b. prohibeatur *C*. c. filii *MV*. d. constituet *MV*, constituat *C*. e. a *add. C*. f. abiecit *MV*. g. a *add. C*. h. tum ē *MV*, dum *C*. i. scorte *M*, scortę *V*. k. *om. V*. l. *om. C*. m. verseris *C*. n. ut *MC*. o. sis *C*. p. inmaginem *V*. q. convertas *C*.

1. 2 Thess. 2, 3. 2. 1 Petr. 4, 3. 3. Prov. 6, 26. 4. Prov. 6, 30. 5. Prov. 6, 31. 6. Prov. 6, 32.

744—747 torum[a] constituit — te ipsum per luxoriam servum maligno[b] spiritui constituas; quia iuxta dictum apostoli, quodcumque peccatum fecerit homo, huius servus est[1].

Non[c] solum a christianis sed etiam ab ipsis paganis[d] in obprobrium et verecundiam deputatur. Quia ipsi pagani, verum Deum ignorantes, naturaliter, quae legis sunt et quod ab initio Deus constituit, custodiunt in hac re; quia, propriis uxoribus matrimonii foedera servantes, fornicatores et adulteros puniunt. Nam in antiqua Saxonia, si virgo paternam domum cum adulterio maculaverit vel si mulier maritata, perdito foedere matrimonii, adulterium perpetraverit, aliquando cogunt eam, propria manu per laqueum suspensam, vitam finire[e]; et super bustum illius, incense et concrematae, corruptorem eius suspendunt. Aliquando, congregato exercitu femineo, flagellatam eam mulieres per pagos circumquaque ducunt, virgis cedentes et vestimenta eius abscidentes iuxta cingulum; et cultellis suis totum corpus eius secantes et pungentes, minutis vulneribus cruentatam et laceratam de villa ad villam mittunt; et occurrunt semper novae flagellatrices, zelo pudicitiae adductae[f], usque ad[g] eam aut mortuam aut vix vivam derelinquunt[h]; ut cetere timorem adulterandi et luxoriandi habeant[2]. Et Winedi, quod est foedissimum et deterrimum genus hominum[i], tam magno zelo matrimonii[k] amorem mutuum observant, ut mulier, viro proprio mortuo, vivere recusat[l]. Et laudabilis mulier inter illos esse iudicatur, quia[m] propria manu sibi mortem intulit[n] et in una strue pariter ardeat cum viro suo.

Cum ergo gentiles, qui Deum nesciunt et legem non habent, iuxta dictum apostoli, naturaliter ea, quae legis sunt faciunt[3] et ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis[4], praeterea[o], fili

a. multarum *MV*. b. maligni spiritus *C*. c. Quod non *C*. d. ab ipsis *MV*, a paganis *C*. e. finiri *M*. f. adluctae *M*, accinctae *C*. g. ad *MV*, dum *C*. h. derelinquant *C*. i. Et apud Persas *Baronius*. k. matrimonium *MV*. l. recusat *MV*, recuset *C*. m. qui *M*, quia *V*, quae *C*. n. intulerit *C*. o. *corr. in* propterea *C*.

1. Cf. Ioh. 8, 34. 2. Cf. Taciti German. c. 19. 3. Rom. 2, 14: „Cum enim gentes, quae legem non habent" cet. 4. Rom. 2, 15: „ostendunt — cordibus suis".

carissimę, cum tu christianus et veri Dei cultor esse cognominaris, si in iuventute adolescentiae tuaę putridine[a] luxoriae inquinatus et foetore adulterii involutus et voragine libidinis quasi puteo inferni demersus fueras, iam tempus est: ut, memor domini tui, a diaboli laqueis resipiscas et a foetore luxoriae sordidatam animam laves. Iam tempus est: ut pro timore creatoris tui tale piaculum iterare et te[b] maculare ultra non praesumas[c]. Tempus est: ut multitudini[d] pereuntis populi parcas, quae, sequendo exempla peccantis principis, cadebat[e] in puteum mortis. Quia, quantoscumque vel per bona exempla ad[f] vitam caelestis patriae contrahimus vel per mala exempla ad perditionem sequentes praehibimus[g], de tantis procul dubio ab aeterno iudice vel poenas vel praemia accepturi sumus. 744—747

Si enim gens[1] Anglorum — sicut per istas provincias devulgatum[h] est et nobis in Francia et in Italia inproperatur, et ab ipsis paganis inproperium est — spretis legalibus conubiis, adulterando et luxoriando ad instar Sodomitane gentis foedam vitam vixerit[i], de tali commixtione[k] meretricum, aestimandum est, degeneres populos et ignobiles et furentes libidine fore procreandos, et ad extremum[l] universam plebem, ad deteriora et ignobiliora vergentem, et novissime nec in bello saeculari fortem nec in fide stabilem et nec honorabilem hominibus nec Deo amabilem esse venturam. Sicut aliis gentibus Hispaniae et Provinciae et Burgundionum populis contigit; quae sic, a Deo recedentes, fornicatae sunt, donec iudex omnipotens talium criminum ultrices poenas per ignorantiam legis Dei et per Sarracenos[m] venire et saevire permisit[n].

Et notandum: quod in illo scelere aliud inmane flagitium subterlatet, id est homicidium. Quia, dum illae meretrices, sive monasteriales sive saeculares, male conceptas soboles in peccatis

a. putridine *MV*, putredine *C*. b. *om. MV*. c. praesumes *MV*. d. multitudine *M*. e. cedebat *V*. f. ad — mala exempla *om. M*. g. p̄hibimus *MV*, praeimus *C*. h. devulgatum *MV*, divulgatum *C*. i. *corr. in* duxerit *C*. k. commixione *M*. l. ad tremum *M*. m. Sarracenas *M*. n. promisit *V*.

1. „Si gens Anglorum — venire et saevire permisit“ sunt in Gratiani decr. P. I D. 56 c. 10.

744—747 genuerint, et sepe maxima ex parte occidunt; non inplentes Christi ecclesias filiis adoptivis, sed tumulos corporibus et inferos miseris animabus satiantes.

Praeterea nuntiatum est nobis: quod multa privilegia ecclesiarum et monasteriorum fregisses, et abstulisses inde quasdam facultates. Et hoc, si verum est, peccatum grande esse dinoscitur, testante sacra scriptura, quae[a] ait: *Qui abstulerit aliquid patri vel matri, et dicit: „Hoc non est peccatum", homicide particeps est*[1]. Pater noster sine dubio Deus est qui nos creavit, mater nostra[b] aecclesia quae nos in baptismo spiritaliter regeneravit[c]. Ergo, qui Christi pecunias et ecclesiae fraudavit[d] vel rapiet, homicida ante conspectum iusti iudicis esse deputabitur. De quo quidam sapientum dicebat[e]: *Qui rapit pecuniam proximi sui, iniquitatem facit; qui autem pecuniam ecclesiae abstulerit, sacrilegium facit*[2].

Et dicitur: quod prefecti[f] et comites tui maiorem violentiam et servitutem monachis et sacerdotibus inrogent, quam ceteri ante christiani reges fecissent. Igitur, postquam apostolicus pontifex sanctus Gregorius, ab apostolica sede missis predicatoribus catholicae fidei[g], gentem Anglorum ad Deum verum convertit, privilegia ecclesiarum in regno Anglorum intemerata et inviolata permanserunt usque ad tempora Ceolredi regis Mercionum[3] et Osredi regis[h] Dęrorum et Berniciorum[4].

Hi duo reges haec duo peccata maxima in provinciis Anglorum diabolico instinctu suis exemplis sceleratis contra praecepta euangelica et apostolica salvatoris nostri publice facienda monstraverunt. Et in istis peccatis commorantes, id est in stupratione[i] et adulterio nonnarum et fractura monasteriorum, iusto iudicio Dei damnati, de culmine regali huius vitae abiecti
716 et inmatura et terribili[k] morte praeventi[l], a luce perpetua ex-

a. qui *V.* b. nam *MV,* nrā *C.* c. generavit *M,* regnavit *V,* regeravit *C.* d. fraudavit *MV,* fraudaverit *C.* e. dicebit *V.* f. perfecti *MV.* g. catholica fide *C.* h. *om. C.* i. suprastitione *M.* k. terribile *V.* l. perventi *M.*

1. V. Prov. 28, 24. 2. Cf. Hieronymi ep. ad Nepotianum (opp. ed. Vallarsius I 267): „Amico quippiam rapere furtum est, ecclesiam fraudare sacrilegium est". 3. 709—716. 4. 705—716.

tranei, in profundum inferni et tartarum abyssi demersi sunt. Nam Ceolredum, precessorem venerande celsitudinis tuae — ut testati[a] sunt, qui praesentes fuerant — apud comites suos splendidę epulantem, malignus spiritus, qui eum ad fiduciam dampnandae legis Dei suadendo pellexit, peccantem subito in insaniam mentis convertit; ut sine paenitentia et confessione, furibundus et amens et cum diabolis sermocinans et Dei sacerdotes abhominans, de hac luce sine dubio ad tormenta inferni migravit[1]. Osredum quoque spiritus luxoriae, fornicantem et per monasteria nonnarum sacratas virgines stuprantem et furentem, agitavit; usque quod[b] ipse gloriosum regnum et iuvenilem[c] vitam et ipsam luxoriosam animam contemptibili et despecta morte perdidit.* 716

Quapropter, fili carissime, cave tibi foveam, in quam vidisti 744—747
coram te alios cecidisse. Cave tibi iacula antiqui hostis, per quae propinquos proprios coram te vulneratos cadere vidisti. Adtende tibi a laqueo insidiatoris, in quo notos et commilitones tuos videbas strangulatos et praesentem vitam et futuram perdere. Noli talium ad perditionem exempla sequi. Tales enim iuxta prophetiam[d] sanctae scripturae sunt, qui angustiaverunt iustos et qui abstulerunt labores eorum[2]. In die iudicii dicturi sunt: *Erravimus a via veritatis, et iustitiae lumen non luxit nobis, et sol non est ortus in nobis*[3]; et: *Viam Domini ignoravimus*[4]; et: *Quid nobis profuit superbia, aut quid divitiarum iactatio contulit nobis? Transierunt omnia illa tamquam umbra, et tamquam nuntius praecurrens, et tamquam navis, quae per-*

* *ap. Willelmum Malmesburiensem et Baronium sequuntur haec:* Carolus quoque princeps Francorum, monasteriorum multorum eversor et ecclesiasticarum pecuniarum in usus proprios commutator, longa torsione et verenda morte consumptus est[5].

a. testanti *M.* b. *corr. in* quo *C.* c. iuvenalem *MV.* d. prophetam *M.*

1. Cf. ep. 10 supra p. 59. De cetero ipsum Aethilbaldum a Ceolredo decessore suo aspere tractatum esse scimus; v. Vit. S. Gutlaci (Mabillon Acta SS. ord. Ben. saec. III P. I 279): „cum exul ille — Ethelbaldus, huc illucque persequente illum Ceolredo rege, in diversis nationibus iactaretur". 2. Sap. 5. 1. 3. Sap. 5, 6. 4. Sap. 5, 7. 5. de adulterino hoc additamento v. Pagii critica in annales Baronii ad a. 741 n. XVII et Roth Geschichte des Beneficialwesens p. 467 squ.

744—747 *transit, cuius non est vestigium invenire*[1], *aut tamquam avis transvolans in aere*[2]. Et post pauca: *Sic et nos nati continuo desivimus esse; in malignitate nostra*[a] *consumpti sumus. Talia dixerunt in inferno hii, qui peccaverunt; quoniam*[b] *spes impii tamquam lanugo est quae a vento tollitur*[c], *et tamquam spuma gracilis quae a procella dispergitur, et tamquam fumus*[d] *qui a vento diffusus est, et tamquam memoria hospitis unius diei praetereuntis*[3]. Et alias: *Numerus dierum vitae hominis, si multum, centum anni, quasi parvula gutta de magno mari deputatus est*[4]. Haec enim omnia secundum auctoritatem sanctae scripturae rerum conlatione simillima sunt. Sic et Iacobus frater Domini et apostolus, de impio divite disputans, dixit: *Sicut flos foeni transibit; exortus est enim sol cum ardore et arefecit*[e] *foenum; et flos eius decidit, et decor vultus eius deperiit*[f], *ita et dives in itineribus suis marcescit*[5]. Et ipsa veritas in euangelio proponens dixit: *Quid enim proderit homini, si lucretur*[g] *universum mundum, animae vero suae detrimentum patiatur?*[6]* Nihil enim

* *ap. Willelmum Malmesburiensem et Baronium exitus epistolae iste est:* Quapropter, fili carissime, paternis te et subnixis precibus deprecamur, ut non despicias consilium patrum tuorum, qui pro Dei amore tuam appellare celsitudinem satagunt. Nihil enim bono regi salubrius, quam si talia commissa, cum arguuntur, libenter emendentur, quia per Salomonem dicitur: *Qui diligit disciplinam, diligit sapientiam*[7]. Ideo, fili carissime, ostendentes consilium iustum, contestamur et obsecramus per viventem Deum et per eius filium Iesum Christum et per Spiritum sanctum, ut recorderis, quam fugitiva sit vita praesens et quam brevis et quam momentanea delectatio spurcae carnis et quam ignominiosum sit, ut brevis vitae homo mala exempla in perpetuum posteris relinquat. Incipe ergo melioribus moribus vitam componere et praeteritos errores iuventutis corrigere, ut hic coram hominibus laudem habeas et in futuro aeterna gloria gaudeas. Valere celsitudinem tuam et bonis moribus proficere optamus.

a. nam *MV*, nrā *C.* b. quia *C.* c. tolletur *MV.* d. *om. C.* e. et *add. M.* f. deperit *MV.* g. et cetera *M, ubi ut in V reliqua desunt. Quae sequuntur, sunt in C.*

1. Sap. 5, 8—10. 2. Sap. 5, 11. 3. Sap. 5, 13—15. 4. V. Eccli. 18, 8. 5. Iacob. 1, 10. 11. 6. Matth. 16, 26. 7. Prov. 12, 1.

adiuvant opes terrenae in die vindictae[1], si eis homo male utens 744—747
praesentem finierit vitam; cum post mortem corporis in penam animae ceciderit aeternam. His ergo admonitionibus, fili carissime, imbutus, rogo, ut adquiescas sanis sermonibus legis Dei et corrigas vitam tuam. Desere vitia, et studium inpende sacris virtutibus adimplendis; sicque in hoc mundo prospere vives et in futuro praemium consequeris sempiternum. Vale. Deus omnipotens in meliorem statum vitam tuam corrigat, ut gratiam ab ipso Domino invenire merearis aeternam.

---

60. *Bonifatius Herefrithum presbyterum hortatur, ut suae ad Aethelbaldum regem Mercionum epistolae adiumento sit. Munera mittit*[a]. (S 10, W 71, G 61)

Dilectissimo ac reverentissimo fratri Herefritho[b] presbitero[2] 744—747
Bonifacius servus servorum Dei aeternam in Christo caritatis salutem.

Almitatis tuae clementiam intimis obsecro precibus, ut in tuis sacrosanctis orationibus mei memor esse digneris — etiamsi sic[c], narrantibus et a te venientibus, iam[d] fecisse fraternitatem tuam et facturam esse, non dubito — ut sancti Iacobi apostoli sententia in nobis impleatur, qua dixit: *Orate pro invicem, ut salvemini* et: *Multum enim valet deprecatio iusti adsidua*[3].

Praeterea nos octo episcopi, qui ad unam[e] synodum convenimus, quorum nomina subter adnotavimus[4], in commune te, frater carissime, deprecamur: ut verba admonitionis nostrae Aethbaldo[f] regi Mercionum interpretando et recitando adnunties et eo modo et ordine, quo ad te scripta transmittimus, sollicite enumerando et predicando illi indicaveris. Audivimus enim: quia pro timore Dei personam hominis non timeas; et quod supra

a. *ex M* 83*v*—84, *C* 65*v*—66, *V* 6*v*—7. *Lemma:* Item epistola Bonifacii archiepiscopi *MCV*. b. Herefrido *M*, *corr. in* Herenfrido *C*. c. etiamsi sic *scripsi pro* et etiam sic *codd. MCV*. d. iam *deletum est in C*. e. unum *MV*, *corr. in* unam *C*. f. Aetbaldo *M*.

1. Cf. Eccli. 5, 1. 2. V. Bedae chronologia continuata (Opp. ed. Giles III 324) 747: „Herefridus vir Dei obiit". 3. Iacob. 5, 16. 4. nomina non leguntur infra. Cf. ep. 59 supra p. 168, ubi sex tantum episcoporum nomina inveniuntur.

744—747 dictus rex aliquantulum quibusdam temporibus audire dignetur tua[a] monita. Et notum sit caritati tuae: quia haec verba admonitionis nostrae ad illum regem propter nihil aliud direximus nisi propter puram caritatis amicitiam; et quod, de eadem Anglorum gente nati et nutriti, hic per praeceptum apostolicae sedis peregrinamur. Bonis et laudibus gentis nostrae laetamur et gaudemus, peccatis autem eius et vituperationibus eius[b] tribulamur et contristamur. Obprobrium namque generis nostri patimur sive a christianis sive a[c] paganis dicentibus: quod gens Anglorum, spreto more ceterarum gentium et despecto apostolico praecepto[1] immo Dei constitutione, legitimas uxores dedignentur habere et — hinnientium equorum[d] consuetudine vel rudentum asinorum more — luxoriando et adulterando[e] omnia turpiter fedet[f] et confundat. Igitur, si hoc scelus maximum verum sit, frater carissime, rogemus omnes communiter[g] supra dictum regem: ut semet ipsum cum populo corrigat; ne tota gens cum principe hic et in futuro pereat, sed ut, vitam propriam emendando et corrigendo, exemplis suis iterum gentem propriam ad viam salutis dirigat et, unde peccatum ante contraxit, inde[h] mercedem mereatur aeternam. Preterea partem timiamatis[i] et sabanum pro benedictione et signo purae caritatis tibi direximus. Sanctis operibus florentem et probatis moribus proficientem fraternam dilectionem tuam atque bene valentem sancta Trinitas aeternaliter custodiat.

---

61. *Bonifatius Ecbertho archiepiscopo Eboracensi de muneribus librisque missis gratias agit. Rogat, ut suam ad Aethelbaldum regem Mercionum epistolam sustentet. Bedae opuscula poscit. S. Gregorii epistolas mittit*[k]. (S 8, W 54, G 52)

744—747 Dilectissimo ac reverentissimo fratri Ecbertho archiepiscopo[2]

a. *om. C.* b. eius *inductum est in C.* c. a *om. M.* d. hinnientibus aequorum *MV, corr. in* hinnientium equorum *C.* e. adulteriando *M.* f. fedat *MV, corr. in* fedet *C.* g. commoniter *MV, corr. in* communiter *C.* h. in *MV, corr. in* inde *C.* i. timeamatis *V.* k. *ex M* 81*v* — 83, *C* 63*v* — 64*v*, *V* 5*v* — 6. *Lemmata:* Item epistola Bonifacii archiepiscopi *MV;* epistola Bonifacii archiepiscopi *C.*

1. V. 1 Corinth. 7, 2. 2. Eboracensi; qui Egbertus anno 732 „episcopus factus“, a. 735 „in archiepiscopatum confirmatus“, obiit a. 766. V. Bedae chronologia continuata, Bedae Opp. ed. Giles III 323. 325.

Bonifacius servus[a] servorum Dei, legatus Germanicus sedis apostolicae, sinceram in Christo spiritalis germanitatis salutem. 744—747

Caritatis tuae muneribus et libris susceptis, erigens ad supera palmas, magnas omnipotenti Deo gratias egi, qui mihi longe peregrinanti talem invenire concessit amicum, qui mihi[b] et in rebus terrenis adiutorium et in spiritalibus, oratione et unitate commonionis, divinum solacium transmisit. Nunc autem intimis praecordiorum precibus almitatis tuae clementiam obsecro: ut vestrae fraternitatis synodo una cum servis Dei mecum laborantibus adunatus esse merear; et sis mihi consiliarius et adiutor in inquirendis et investigandis regulis ecclesiasticis iudiciorum Dei; et ut me, non ludivaga sermonum voce, sed serie rogantem ac dicentem esse scias; et me non arrogantem vel superbum aut proprio iudicio plus iusto placentem aestimes[c]. Nam catholica et apostolica Romana ecclesia, quando indignum ac vilem praedicatorem ad praedicandum Germaniae erroneis vel paganis gentibus direxit, praecepit mihi: ut ex auctoritate Romani pontificis, si alicubi viderem, inter christianos pergens, populos erroneos vel ecclesiasticas regulas mala consuetudine depravatas vel homines per invium a[d] catholica fide abductos, ad viam salutis invitare et revocare totis viribus niterer.

Hoc praeceptum servare cupiens, admonitoriam vel precatoriam[e] epistolam Aethelbaldo[f] regi Mercionum cum consilio et consensu episcoporum[1], qui una nobiscum sunt, transmisi. Quam praesentare fraternitatis tuae obtutibus iussi: ut, si quae[g] in ea prave posita sint, emendes et, quae iusta sint, sale sapientiae tuae condias et auctoritate confirmes; et si radicem aliquam flagitiorum, de quibus in illa epistola contra regem Mercionum disputatum[h], in gente tua germinare velle videas, sicut providus et sapiens colonus cum falce dominicae auctoritatis in tempus praecidas[i] et radicitus evellas; ne floruerit et[k] fiat ex vinea So-

a. *om. M.* b. me *MV, corr. in* mihi *C.* c. aestimaes *V.* d. a *om. M.* e. precotoriam *V.* f. Aethilbaldo *C.* g. *corr. in* qua *C.* h. est *superscriptum est in C.* i. praedicas *M.* k. et *om. MV, superscriptum est in C.*

1. V. ep. 59 supra p. 168.

744—747 domorum vitis eorum, et propago[a] eorum ex Gomorra, et sit furor draconum vinum eorum, et furor aspidum[b] insanabile[c 1]. Inauditum enim malum est praeteritis saeculis et, ut hic servi Dei gnari scripturarum dicunt, in triplo vel in quadruplo Sodomitanam luxoriam vincens: ut gens christiana contra morem universae terrae immo contra praeceptum Dei despiciat legitima matrimonia, et adhereat[d] incestis[e] luxoriis[f] adulteriis, et nefanda stupra consecratarum et velatarum feminarum sequatur.

Praeterea obsecro[g], ut mihi de opusculis Bedan[h] lectoris[i] aliquos tractatus conscribere et dirigere digneris — quem nuper, ut audivimus, divina gratia spiritali intellectu ditavit et in vestra provincia fulgere concessit — et ut candela, quam vobis Dominus largitus est, nos quoque fruamur.

Interea ad indicium caritatis fraternitati tuae direxi exemplaria epistularum sancti Gregorii — quas de scrinio Romanae ecclesiae excepi; quae non rebar ad Brittaniam[k] venisse; et plura iterum, si mandaveris, remittam; quia multas inde excepi — et corporale[l] pallium et villosam unam ad tergendos pedes, cum laveris[m], servorum Dei. Valere beatitudinem tuam et sacris virtutibus proficere in Christo optamus.

---

62. *Bonifatius Huetberhtum abbatem Wiremuthensem et Girwensem rogat, ut sibi opuscula Bedae et cloccam mittat*[n].

(S 9 et 150, WG 37)

744—747 Dilectissimo ac reverentissimo fratri Huetberhto abbati[2] et universis fratribus sanctae congregationis eius Bonifacius exiguus servus servorum Dei in Christo fraternae caritatis salutem.

Fraternitatis vestrae pietatem intimis obsecramus precibus: ut nos, inter feras et ignaras gentes Germaniae laborantes et

a. propaga *MV, corr. in* propago *C.* b. aspide *M.* c. insensabile *M.* d. adhere ad *M.* e. incertis *M.* f. luxosus *M,* et *add. C.* g. *om. MC.* h. Bedani *M,* Bedae *C.* i. sancti *add. manus corrigens in C.* k. *corr. in* Brittanniam *C.* l. corporalem *M.* m. lavaveris *V.* n. *ex M* 83—83*v, C* 65—65*v, V* 6—6*v. Lemma:* Item epistola Bonifacii archiepiscopi *MCV.*

1. V. Deuteron. 32, 32. 33. 2. S. Petri Wiremuthensis et S. Pauli Girwensis; de quo cf. Beda de vita abbatum Wiremuthensium (Opp. ed. Giles IV 394 squ.) et Mabillon Acta SS. ord. Bened. saec. III P. I 294.

grana euangelica plantantes, vestris sacrosanctis orationibus adiuvemur, et precibus sanctitatis vestrae in nobis sevus Babylonicae ardor restinguatur[a] flammae, et sparsa sulcis ad fructum multiplicata surgant semina. Quia iuxta dictum apostoli: *Neque qui plantat neque qui rigat est aliquid, sed Deus qui incrementum dat*[1]; *ut detur nobis sermo in apertione oris*[2], *et sermo Domini currat et clarificetur*[3]. Interea rogamus: ut aliqua de opusculis sagacissimi investigatoris scripturarum Bedan monachi[4], quem nuper in domo Dei apud vos vice candelae ecclesiastice scientia scripturarum fulsisse audivimus, conscripta nobis transmittere dignemini. Et si vobis laboriosum non sit, ut cloccam unam nobis transmittatis, grande[b] solacium peregrinationis nostrae transmittitis[c]. 744—747

Ad indicium quoque intime caritatis lectisternia[5] caprina, sicut hic vocant, vobis direximus. Quae petimus, licet digna non sint, ut pro memoria suscipiatis. Alma Trinitas et una divinitas fraternitatem vestram et hic sanctis virtutibus proficientem ac valentem augeat et custodiat et in futura beatitudine, inter splendida angelorum agmina gaudentes remunerando, glorificet.

---

63. *Zacharias papa Bonifatio significat, se Pippino maiori domus, de re sacerdotali et coniugali consulenti, respondisse. In concilio et responsa sua recitari et Aldeberti Godalsacii Clementis exepiscoporum causam denuo agi vult*[d].

(S 139, W 74, G 64)

Reverentissimo et sanctissimo fratri[e] Bonifatio coepiscopo Zacharias servus servorum Dei. 747 Ian. 5

Egregius nos ammonet beatus apostolus Paulus in eo, quod ait: *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi*[6]. Hinc est ergo, ut per spiritale caritatis vinculum, etsi corpore absentes, spi-

a. restringuatur *M.* b. grande — transmittitis *M.* c. transmittatis *V.* d. *ex M* 39*v* — 40*v*, *C* 28 — 29*v*. *Sine lemmate M;* Epistola Zachariae papae ad Bonifatium archiepiscopum *C.* e. *om. M.*

1. 1 Corinth. 3, 7. 2. Ephes. 6, 19. 3. 2 Thessal. 3, 1. 4. quem d. 25 Maii a. 735 obiisse constat. 5. lecti opertoria. 6. 1 Cor. 11, 1.

747 Ian. 5 ritu vero semper fraternae sanctitati tuae simus praesentes; ita ut, nostris visceribus te habentes carissimum fratrem et consacerdotem, licet peccatores tamen spe divina freti, assidue in nostris orationibus memoriam tui agere non desistimus; petentes inmensam Christi dei nostri divinitatem: ut in[a] peragendum suum te confirmet ministerium, quatenus in diem adventus eius illam placabilem merearis exprimere vocem: *Ecce ego et pueri quos dedisti mihi*[1], *non perdidi ex eis quemquam*[2]; ut continuo altisona et desiderabilis vox inter illos, qui ab initio mundi[b] ei placuerunt[3], consonanter te in illorum invitatione submittat, in qua dicturus est: *Venite, benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est*[c] *ab origine mundi*[4].

His ita se habentibus, agnoscas carissime: flagitasse a nobis Pippinum excellentissimum maiorem domus gentis Francorum per suum hominem nomine Ardobanium, relegiosum presbiterum, aliquanta capitula de sacerdotali ordine et quae ad salutem animarum pertinent, simul etiam et pro illicita copula, qualiter sese debeant custodire iuxta ritum christianae religionis et sacrorum canonum instituta. Et quamquam de hoc iam experta sit tua fraterna sanctitas, quae a nobis sunt decreta, illius tamen votis aurem accommodantes, in brevi eloquio conscripta apostolica documenta direximus. Pro quibus, ut in sacerdotali collegio lectioni pandatur, et tuam fraternam sanctitatem inibi evocari dedimus in mandatis.

Et dum pro hac re fuerit aggregatum concilium, ad medium deducantur sacrilegi illi et contumaces Aldebertus et Godalsacius[d] et Clemens exepiscopi[e], ut eorum denuo subtili indagatione cribretur causa. Quos si deviantes a rectitudinis tramite usque quaque reppereritis et convicti fuerint inclinati, ad viam converti rectitudinis, ut bonum atque placitum in oculis vestris paruerit, cum principe provinciae disponite secundum sacrorum canonum sancita. Sin autem in superbia perstiterint, contuma-

a. in *deletum est in M.* b. *om. M.* c. vobis praeparatum *pro* quod — est *C.* d. Godolsacius *C.* e. exepi *C, ubi* ex *deletum est.*

1. Isai. 8, 18. 2. Ioh. 18, 9. 3. Cf. Iudith 9, 16. 4. Matth. 25. 34.

citer proclamantes, reos se non esse, tunc cum probatissimis atque prudentissimis sacerdotibus, duobus vel tribus, praedictos ad nos dirigitis[a] viros, ut profunda inquisitione coram sede apostolica eorum inquiratur causa et, iuxta quod meruerint, finem suscipiant. Age itaque, dilectissime frater, in ministerio tibi commisso, ut ab omnipotente Deo, mercedis premium recipiens, aeternam vitam consequi merearis. Deus te incolomem custodiat, reverentissime et sanctissime[b] frater. Data Nonas Ianuarias, imperante domno[c] piissimo augusto Constantino a Deo coronato magno imperatore anno 28[1], post consulatum[d] eius anno 6, indictione quinta decima. 747 Ian. 5

---

64. *Bonifatius monachis Friteslariensibus post Wigberti I abbatis mortem praecepta dat*[e]. (S 17, W 79, G 69)

Carissimis filiis Tatwino et Wigberto presbiteris, Bernhardo et Hiedde[f], Hunfritho[g] et Stirme[h], Bonifacius servus servorum Dei perennem in Domino salutem. 747 post Aug. 13

Paterno amore dilectionem vestram obsecro, ut eo maiore .....[i] monasterialis normam vitae custodire studeatis, quo pater noster[k] Wigbertus[2] defunctus est. Wigbertus presbiter et Mengingotus diaconus regulam vestram vobis insinuent, et spiritales[l] horas[3] et cursum aecclesiae custodiant, et ceteros admoneant, et magistri sint infantum, et predicent verbum Dei fratribus. Hiedde sit prepositus et servos nostros admoneat; et Hunfrithus adiuvet illum, ubicumque opus sit. Styrme in coquina sit. Bernhardus operarius sit et aedificet domun-

a. *corr. in* dirigetis *C.* b. et sanctissime *om. M.* c. nostro *addit M, om. C.* d. imp̄ *M,* imperii *C. Scripsi* post consulatum; *v. supra p.* 17. e. *ex M* 88*v* — 89, *C* 70—70*v*, *V* 9. *Lemma:* Item epistola Bonifacii archiepiscopī *MCV.* f. Iedde *M.* g. Hunfrido *MC.* h. Stirme *C.* i. cura *s.* diligentia *excidisse videtur.* k. vester *M.* l. spiratales *V.*

1. immo 27, v. supra p. 19. 2. I abbas Friteslariensis, „quem" inquit Lupus Ferrariensis in vita Wigberti (Mabillon Acta SS. ord. Bened. saec. III P. I 675) „beatus Bonifacius — summa veneratione suspexit, quod, ut natu maior, ille studiis flagrasset ante divinis". Wigberti mortem ad annum 747 referunt Annales Weissenburgenses et Lamberti, Mon. Germ. SS. III 35; ad diem 13 Augusti Hrabanus Maurus, v. Mabillon l. l. p. 673. 3. s. canonicas horas, i. e. supplicationes diurnas.

747 post Aug. 13 cula nostra[a], ubi opus sit. Et de omnibus, ubicumque vobis necesse sit, Tatwinum abbatem interrogate; et quodcumque vobis insinuet, hoc facite. Et unus quisque studeat secundum vires suas, et proprios mores in castitate conservare et in communi vita vestra alterum adiuvare et in fraterna caritate permanere usque ad praesentiam reversionis nostrae in Dei voluntate. Et tunc simul, laudantes Dominum, in omnibus ei[b] gratias agamus. Valete in Christo.

65. *Quidam Andhunum efflagitat, ut e Fresia vestimenta sibi mittat. Quaerit, utrum ad Pippini synodum an ad Drogonem se contulerit Bonifatius*[c]. (S 42, W 77, G 67)

747 exeunte anno Dilectissimo in Christo caritatis vinculo nodato patri Andhuno visceralem salutem.

Quare non transmisisti vestimenta, quae debuisti mittere de Fresarum[d] provincia? Nunc per Deum omnipotentem extimplo[e] fac, ut veniant. Indica nobis aliquid de episcopo nostro[1]: an ad synodum ducis[2] occidentalium provinciarum perrexisset, an ad filium[3] Carlomanni[4]. Et per epistolam nobis rescribe. Et hunc pergentem nuntium iterum cito reverte, nomine Hartleih[f]. Quaeso te, domine, ut facias eum illic manentem sine labore et huc pergentem. Valete, o flores aecclesiae. Et orate pro nobis, et nos pro vobis; ut pax Christi maneat in nobis. Amen.

66. *Zacharias papa Bonifatio respondet de baptismate, de falsis sacerdotibus, de Sanpsone Scotto. Eius de fide catholica litteras laudat. Ad Franciae et Galliae concilia sacerdos eo vivo a se mittatur, necesse non esse. De Virgilio et Sidonio; de Colonia et Magontia. Successorem ut sibi constituat, permittit*[g]. (S 140, W 82, G 71)

748 Mai. 1 Reverentissimo et sanctissimo fratri Bonifatio[h] coepiscopo Zacharias servus servorum Dei.

a. *corr. in* domunculas nostras *C.* b. *om. C.* c. *ex C* 108*v*–109, *V* 25*v*. *Lemmata:* Epistola ad Andhunum scripta *C;* Item epistola *V.* d. Fraesarum *C.* e. exstimplo *V.* f. Hartleih *V,* Hardleih *C.* g. *ex M* 40*v* – 47*v*, *C* 29 – 34. *Sine lemmate M;* Epistola Zachariae papae ad sanctum Bonifatium *C.* h. boniphatī *M.*

1. Bonifatio. 2. Pippini, postea regis. 3. Drogonem. 4. qui anno 747 in monasterium recessit.

Sacris liminibus beati apostolorum principis Petri et nostris obtutibus praesentatus, presens Burghart[a], dilectus nobis episcopus[1], fraternae sanctitatis tuae nobis attulit affatos[b]. Per quorum scriptum tenorem agnovimus, magnum habere certamen et sudoriose elaborare fraternitatem tuam in praedicatione euangelii Christi dei nostri et exortatione[c] sanctae catholicae et orthodoxae rectae fidei, quam a redemptore nostro deo et domino Iesu Christo per[d] a se institutum beatum principem apostolorum[e] Petrum et vas electionis[2] Paulum omnesque apostolos traditam suscepimus. Quibus agnitis, etsi peccatores, extensis ad ethera palmis omnipotenti Deo inmensas egimus gratias; petentes eius ineffabilem divinitatem, ut multo amplius confirmet atque conroboret cor fraternitatis tuae, et sospem[f] atque robustum corpore annuat permanere, usque quo eius divinitas te superstitem in hac iusserat[g] esse vita, ad perficiendum ministerium tibi impositum et ad portandum[h] lucrum animarum in diem Christi Iesu, ut illam merearis audire desiderabilem vocem, quam dicturus est Dominus diligentibus se: *Venite, benedicti patris mei, percipite regnum vobis paratum ab origine mundi*[3]. 748 Mai. 1

Erant autem inserta in eisdem tuis affatibus diversa capitula, de quibus iudicium et consilium atque solacium sedis apostolice tibi dirigi flagitasti.

Primum capitulum pro synodo, in qua natus et nutritus es[4], quam et in gente Anglorum et Saxonum in Brittania[i] insula primi predicatores ab apostolica sede missi Augustinus[5] Laurentius Iustus[6] et Honorius[7], novissime et tuis temporibus Theodorus[8], Greco Latinus ante philosophus et Athenis eruditus, Romae ordinatus[9], pallio sublimatus, ad praefatam Britta-

a. Burchart *C.* b. *corr. in* affatus *C.* c. *corr. in* exhortatione *C.* d. per *est deletum in C.* e. *om. M.* f. *corr. in* sospitem *C.* g. *corr. in* iusserit *C.* h. ad portandum *corr. in* apportandum *C.* i. *corr. in* Brittannia *C.*

1. Wirziburgensis. 2. Cf. Act. apost. 9, 15. 3. Matth. 25, 34. 4. Cf. ep. 42 supra p. 114: „Quia synodus et aecclesia, in qua natus et nutritus fui". 5. archiepiscopus Brittanniarum (Cantuariensis). 6. ep. Roffensis. 7. archiep. Cantuariensis. 8. archiep. Cantuariensis, de quo cf. Bedae Hist. eccl. IV c. 1, Opp. ed. Giles III 6. 9. die 26 Mart. 668 a Vitaliano papa. V. Regesta pont. Rom. p. 165.

748 niam transmissus, iudicabat et gubernabat. In illa tale decre-
Mai. 1 tum[1] et iudicium firmissime praeceptum et diligenter demonstratum esse dinoscitur: ut, quicumque sine invocatione Trinitatis lotus fuisset, quod sacramentum regenerationis non haberet. Quod omnino verum est; quia, si mersus in fonte baptismatis quis fuerit sine invocatione Trinitatis, perfectus non est, nisi fuerit in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti baptizatus.

De illud[a] autem, per quod quosdam adfirmari[b] scripsisti: ut, si euangelicis quis verbis invocata Trinitate iuxta regulam a Domino positam quicumque mersus esset in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, quod sacramentum sine dubio haberet; et tam fortiter verbis euangelicis fuisset consecratum baptismum, ut, quamvis sceleratissimus quisque hereticus vel scismaticus aut latro vel fur sive adulter hoc homini petenti ministraret, tamen Christi esset baptismum euangelicis verbis consecratum; et e contra, licet si minister iustus fieret et si Trinitatem iuxta regulam a Domino positam in lavacro non dixisset, verum baptisma non esset quod dedit; pro illis itaque inmundis et incertis viris hereticis atque scismaticis, qui in nomine Trinitatis petentes baptizant, sed et de his, qui sine invocatione Trinitatis mergunt in fonte baptismatis, fraternitati tuae notum est, quid de illis sacrorum canonum series continet. Quod et tenere te firmiter hortamur; scriptum quippe est dicente Domino: *Sancti estote, quoniam et ego sanctus sum*[2]. Quod suscepisti, frater, a nostro praedecessore sanctae recordationis Gregorio, huius apostolice sedis pontifice, in eo permane. Et ab euangelica et apostolica seu sanctorum patrum tradita doctrina[c] nullo modo declines; sed, indutus loricam fidei et galeam salutis, viriliter contra nequitias diabolicae fraudis apostolicam praesentando vitam[d] resiste. Scriptum namque est: *Ecce dedi faciem tuam potentem adversus faciem eorum, et constantiam tuam*

a. *corr. in* illo *C.* b. *corr. in* adfirmare *C.* c. traditā doctrinā *M.* d. vitae *M, corr. in* vitam *C.*

1. „In synodo Anglorum decretum et iudicium — et spiritus fuerit baptizatus" sunt in Gratiani decr. P. III de consecr. D. IV c. 83. 2. Levit. 11, 44.

confortabo adversus contentiones eorum, et erit fortior petra[1] *constantia tua.* 748 Mai. 1

Pro sacrilegis itaque presbiteris, ut scripsisti — qui tauros et hyrcos diis paganorum immolabant, manducantes sacrificia mortuorum, habentes et pollutum ministerium[a], ipsique adulteri esse inventi sunt et defuncti — modo vero incognitum esse, utrum baptizantes Trinitatem dixissent an non; et timent illi qui vivi sunt, quod in tali ministerio[b] non sint baptizati, quibus respondens, iussisti omnes baptizare; hoc quoque[2] observari in supradicta synodo sacerdotes, ut qui vel unam de Trinitate personam in baptismo non nominaret, illud baptismum esse non posse; quod pro certo verum est, quia, qui unum ex sancta Trinitate confessus non fuerit, perfectus christianus esse non potest. Qui enim confitetur Patrem et Filium, si confessus non fuerit et[c] Spiritum sanctum, nec Patrem habet nec Filium; et qui confessus fuerit Patrem et Spiritum sanctum, et Filium non fuerit confessus, nec Patrem habet nec Spiritum sanctum, sed vacuus est a gratia divina.

Eos autem, quos repperisse affata est fraternitas tua pseudosacerdotes multo maioris numeri quam catholicos: erroneos simulatores sub nomine episcoporum vel presbiterorum, qui numquam ab episcopis catholicis fuerunt ordinati, illudentes populo et ministeria[d] aecclesiae confundentes et conturbantes[e]; aut falsos gyrobagos[f], adulteros, homicidas[g], molles, masculorum concubitores, sacrilegos, ypochritas; et multos servos tonsuratos, qui fugerunt dominis suis; servos diaboli, transfigurantes se in ministros[h] Christi; qui, sine episcopo proprio arbitrio viventes et[i] populares defensores habentes contra episcopos, ut sceleratos mores eorum non confringant, seorsum populum consentaneum congregant, et illum erroneum ministerium[k] non in

a. minysterium *M.* b. minysterio *M.* c. et *om. M.* d. minysteria *M.* e. confutantes *C.* f. *corr. in* gyrovagos *C.* g. homicidas — concubitores *om. M.* h. minystros *M.* i. et *om. M.* k. minysterium *M.*

1. Ezech. 3, 8. 9 (versio antiqua). V. Sabatier Bibliorum versiones antiquae T. II 760. 2. „Hoc quoque observari — vacuus est a divina gratia“ sunt in Gratiani decr. P. III de consecr. D. IV c. 83.

748 Mai. 1 aecclesia catholica sed per agrestia loca, per cellas rusticorum, ubi eorum imperita stultitia celari episcopos[a] possit, perpetrant; nec fidem catholicam paganis praedicant, nec ipsi fidem rectam habent; sed nec ipsa sollempnia verba, quae unusquisque caticuminus, si talis aetatis est ut iam intellectum habeat, sensu cordis sui percipere et intellegere, nec docent nec quaerent[b] ab eis, quos baptizare debent, id est abrenuntiatione[c] satane et cetera; sed neque signacula[d] crucis Christi eos muniunt, quae praecedere debent baptismum; sed nec aliquam credulitatem unius deitatis et sanctae Trinitatis docent, neque ab eis quaerent[b], ut corde credant ad iustitiam et oris confessio fiat illis in salutem[1]; hos itaque ministros satanae et non Christi ubicumque reppereris, carissime nobis, aggregato provinciali et sacerdotali collegio, omni modo devita et a sacerdotali honore privatos, sub regula monachica et penitentia summissos, vitam finire ordinabis: ut, carne afflicti, quandoque ad viam redeant rectitudinis et, si corde crediderint, oris eorum vera confessio illis fiat in salutem; si vero non fuerint conversi, tua predicantis non periet iustitia. Habebis enim, solaciantem te contra nequitiam malignantium, sanctorum apostolorum et ceterorum probabilium patrum canonicam sanctionem. Confortare itaque, reverentissime mihi, et praevale in lege in euangelio Christi et praedicatione catholicae ac orthodoxae[e] fidei; quia ipsa glorificabit[f] te. Tribulatio enim corporis nostri temporalis est et finem habet; probatio autem spem[2]. *Spes vero non confundit* ut ait apostolus, *quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis*[3]. Quis namque nos separabit[g] a caritate Christi? tribulatio? an angustia?[4] et cetera. Et si deicimur, frater[h], non perimus[5]. Conferamus autem mortem Iesu in corpore nostro, ut[i] vita Iesu in die ad-

a. episcopis *corr. in* episcopos *M;* episcopis *C.* b. *corr. in* quaerunt *C.* c. abrenuntiationē *C.* d. *corr. in* signaculo *C.* e. ordo doxae *M.* f. glorificavit *M, corr. in* glorificabit *C.* g. separavit *M, corr. in* separabit *C.* h. frs̄ *C.* i. et *add. C.*

1. V. Rom. 10, 10. 2. Rom. 5, 4. 3. Rom. 5, 5. 4. Rom. 8, 35. 5. 2 Corinth. 4, 9.

ventus sui in corpore nostro manifesta fiat, sicut per eius divinam edocati[a] sumus vocem[b]: *Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum[c] caelorum*[1]. Conforta itaque et dilectissimos nobis omnes orthodoxos episcopos et sacerdotes atque levitas vel clericos, religiosos abbates et monachos, seu gloriosissimos duces cunctosque optimates christianae legis servatores: ut nobis[d] sint adiutores contra adversarios orthodoxae fidei omnesque hereticos atque scismaticos; quatenus et ipsi de fructu boni operis gaudere mereantur in caelestibus regnis, sicut scriptum est: *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo meo, et scribam super illum nomen meum*[2]. 748 Mai. 1

Inter ea scripsit reverenda fraternitas tua, repperisse quendam presbiterum genere Scottum, nomine Sanpson, errantem a via veritatis, dicentem et adfirmantem: quod sine misterica[e] invocatione aut lavacro regenerationis posse fieri catholicum christianum per episcopalis manus inpositionem. Hic autem qui dicit, vacuus est Spiritu sancto et alienus a gratia Christi, atque a consortio sacerdotali abiciendus. Quis enim, nisi baptizetur iuxta praeceptum Domini in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti[3] et sic per manus inpositionem consecretur, potest esse catholicus? Hunc nequissimum virum, talia praedicantem, ab aecclesia Dei sancta condempnatum expelle.

Illos autem viros — quod[f] ab hereticis baptizati sunt et dubietas tenet: quod in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti non sunt baptizati — inquisita rei veritate, si ab erroneis sacerdotibus baptizati sunt, hos sine dubio iuxta praedecessoris nostri beate memoriae Gregorii papae et sacrorum canonum traditum tibi mandatum implere non omittas, ne in aeternum pereant sed potius euangelica consecratione salventur.

Intuiti autem sumus et volumen, a te directum universis episcopis presbiteris diaconibus vel ceteris religiosam vitam degentibus, de unitate fidei catholicae, et doctrinam apostolicam

a. *corr. in* educati *C.* b. divina — voce *M.* c. regum *M.* d. vobis *C.* e. *corr. in* mystica *C.* f. *corr. in* qui *C.*

1. Matth. 5, 10. 2. Apocal. 3, 12. 3. Matth. 28, 19.

748 Mai. 1 scriptam[a]. Valde nobis acceptabile esse cognoscas; quoniam per Spiritus sancti gratiam in te diffusam, karissime, hoc operari studuisti.

Inter ea per alia scripta fraternae sanctitatis tuae petisti: ut sacerdos a nobis dirigatur in partibus Franciae et Galliae ad concilia celebranda. Sed dum Deo propitio tua sanctitas superstis[b] existit, qui sedis apostolicae et nostram illic praesentat[c] vicem, alium illic dirigere necessarium non est.

Quos autem reppereris, amantissime frater, habentes scientiam sacrae doctrinae et sanctam tenentes legem atque orthodoxam sine dubio defendentes fidem, hos mittere stude, in quibus praevideris locis ad praedicandum verbum salutis.

Concilia vero, aggregatis episcopis provincialibus, ut tibi et ubi tibi rectum videtur, celebranda procura; et quos deviantes inveneris, confunde facies eorum ignominia[1], ut sint coram omnibus sine honore. Dominus enim Deus noster erit tecum.

Suscepimus vero et chartam conscriptam vere atque orthodoxae professionis et catholicae unitatis, quam cum dilectissimis nobis episcopis partis Francorum tua direxit reverenda fraternitas. Quam reserantes, nimio gaudio sumus repleti, innumerabiles gratias agentes Deo patri omnipotenti: quia unanimitatem eorum ad societatem nostram revocare dignatus est, ut spiritalis eorum mater sancta laetetur aecclesia. Nostra autem vice, karissime[d], omnes in osculo pacis Christi saluta. Quia et nos dilectioni eorum, gratias agentes, apostolicas misimus[e] litteras[2].

Nam et hoc intimatum est a tua fraterna sanctitate: quod Virgilius ille[3] — nescimus si dicatur presbiter — malignatur[f] adversum te pro eo, quod confundebatur a te, erroneum se esse a catholica doctrina; inmissiones faciens Otiloni duci Baiubariorum[g], ut odium inter te et illum seminaret; aiens[h], quod et a

a. *corr. in* doctrina apostolica scriptum *C.* b. *corr. in* superstes *C.* c. *corr. in* praesentas *C.* d. karissimae *M.* e. missimus *M.* f. malignatus *C.* g. *corr. in* Baiuariorum *C.* h. agens *M, corr. in* aiens *C.*

1. Ps. 82, 17: „Imple facies eorum ignominia". 2. ep. 67 infra p. 193. 3. ep. Salzburgensis.

nobis esset absolutus, unius defuncti ex quattuor illis episcopis, quos tua illic ordinavit fraternitas, diocesim obtinere. Quod nequaquam verum est; quia mentita est iniquitas sibi. De perversa autem et iniqua doctrina, quae contra Deum et animam suam locutus est — si clarificatum fuerit, ita eum confiteri: quod alius mundus et alii homines sub terra sint seu sol et luna — hunc, habito[a] concilio, ab aecclesia pelle, sacerdotii honore privatum. Adtamen et nos, scribentes praedicto duci, evocatorias praenominato Virgilio mittimus litteras: ut, nobis praesentatus et subtili indagatione requisitus, si erroneus fuerit inventus, canonicis sanctionibus condempnetur. Qui enim seminant dolores, ipsi metunt eos[1]. Sic enim scriptum est: *Perversae cogitationes separant a Deo; probata autem virtus corripit insipientes*[2].

748 Mai. 1

Pro Sydonio[b 3] autem supra dicto et Virgilio presbiteris quod scripsit sanctitas tua, agnovimus. Illis quidem, ut condecebat, comminando scripsimus; tuae autem fraternitati plus credulitas quam illis ammittetur[c]. Si autem placuerit Deo, vita comite sedi apostolice eos, missis apostolicis litteris, ut praelatum est, evocamus. Docuisti enim eos et non susceperunt. Et factum est in illis, sicut scriptum est: *Sapientia*[d 4], *qui docet fatuum, quasi qui conglutinat testa*[5]; *harenam et salem et massam ferri facilius est portare quam hominem inprudentem et fatuum et impium*[6]; quoniam: *Qui minoratur corde, cogitat inania; et vir inprudens et errans cogitat stulta*[7]. Non ergo ad iracundiam provocetur cor tuum, frater. Sed in patientia tua, ubi tales reppereris, ammone obsecra argue[e] increpa[8], ut convertantur ab errore ad viam veritatis. Et si conversi fuerint, salvasti animam eorum[9]; si vero in duritia permanserint, mercedem ministerii[f] tui non perdes. Illos autem iuxta apostoli vocem devita[10].

a. auito *M.* b. Sidonio *C.* c. amittetur *M, corr. in* admittetur *C.* d. *corr. in* scriptum est in libro sapientiae *C. Cf. supra p.* 10. e. *om. M.* f. minysterii *M.*

1. Iob. 4, 8. 2. Sap. 1, 3. 3. postea ep. Pataviensi. 4. Eccli. 22, 6. 5. Eccli. 22, 7. 6. Eccli. 22, 18. 7. Eccli. 16, 23. 8. 2 Timoth. 4, 2. 9. Iac. 5, 20. 10. 2 Timoth. 3, 5.

748 Mai. 1 Alia denique scripta tuae fraternitatis continebant: quod iam olim de Agrippina civitate scripsisti, quod Franci non perseveraverunt in verbo, quod promiserunt; et nunc moratur tua fraternitas in civitate Magontia[a]. Petisti[1] autem: ut cum nostro consultu pro superveniente tibi senectute et plena dierum etate atque inbecillitate corporis, ut si invenire potueris alium, in eadem sede[b], in qua praees, pro tui persona debeas collocare; tu vero, carissimę, legatus et missus esse[c]; ut fuisti, sedis apostolicae. Nos vero adiutore Deo consilium praebemus tuae reverende sanctitati: ut pro salute animarum rationabilium fautore Christo sedem, quam obtines, sanctae Magontinae[d] aecclesiae nequaquam relinquas; ut impleatur in te dominicum praeceptum: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*[2]. Sin vero, si Dominus dederit iuxta tuam petitionem hominem perfectum, qui possit sollicitudinem habere et curam pro salute animarum, pro tui persona illum ordinabis episcopum; eritque in euangelio tibi credito et ministerio Christi portando[e] in omni loco requirens et confortans aecclesiam Dei. Oramus itaque dominum et redemptorem nostrum, ut sacris interventionibus sanctae suae genetricis semper virginis Mariae dominae nostrae et beatorum principum apostolorum Petri ac Pauli orantem pro nobis fraternam sanctitatem tuam sospem[f] et incolomem conservare dignetur. Deus te incolomem custodiat, reverentissime et sanctissime frater. Data Kalendis Maii, imperante domno piissimo augusto Constantino a Deo coronato magno[g] pacifico imperatore anno vicesimo nono, post consulatum[h] eius anno septimo, indictione prima.

a. Mogontia *C.* b. in eadem sedem *M.* c. ēē *M,* eris *C.* d. Mogontinae *C.* e. portandum *M, corr. in* portando *C.* f. *corr. in* sospitem *C.* g. et *add. C.* h. pater *M,* imperii *in litura C. Scripsi* post consulatum; *v. supra p.* 17.

1. „Petiisti, ut cum — confortans ecclesiam Dei" sunt in Gratiani decret. P. II C. VII q. 1 c. 17. 2. Matth. 24, 13.

67. *Zacharias papa nonnullorum episcoporum aliorumque sacerdotum orthodoxorum concordiam fidemque laudat. Bonifatium archiepiscopum, apostolicae sedis legatum et vicarium, commendat*[a 1]. (S 136, W 78, G 68)

Dilectissimis nobis Reginfrido Rodomagensi episcopo, Deodato Belbocanensi[b 2] episcopo, Rimberhto Amabianensi episcopo[c], Heleseo[d] Novianensi[3] episcopo, Fulcrico Tungriensi episcopo, David Spironensi episcopo, Aethereo Toroanensi episcopo, Trewardo Camorocanensi[4] episcopo, Burhardo[e] Wirzaburcnensi[f] episcopo, Genebaudo[5] Laudensi[6] episcopo, Romano Meldensi episcopo, Agilolfo Colonensi episcopo, Heddo Stratburgnensi[g] episcopo et ceteris amantissimis chorepiscopis, presbiteris etiam et diaconibus, cunctisque orthodoxis aecclesiarum Dei clericis, apostolicam doctrinam tenentibus, Zacharias divina gratia praeditus apostolicae sedis pontifex, servus autem servorum Dei, in Domino salutem dicit. (748) (Mai. 1)

Gratias ago deo Patri omnipotenti et domino Iesu Christo unico filio eius et Spiritui sancto, qui vestra omnium corda inflammare dignatus est per diffusam a se gratiam: ut in unitate fidei et vinculo pacis ambuletis, et sit splendor domini Dei nostri super vos, dilectissimi mihi, et abundans gratia pacis et caritatis, ut sitis unum corpus spiritalis matris vestrae, sanctae catholicae et apostolicae Dei aecclesiae, in qua Deo auctore praesumus; implentes illud propheticum dictum: *Ecce quam bonum et quam iocundum, habitare fratres in unum*[7]. Etenim, etsi[h] pro itineris longitudine quamquam corpore sumus absentes, in spiritu tamen dilectionis semper sumus vobis praesentes; habentes vos in visceribus nostris, et assidue orantes: ut deus et dominus noster Iesus Christus multo amplius confirmet

a. *ex M* 32*v*—34, *C* 22*v*—24. *Sine lemmate M;* Epistola Zachariaẽ *C.* b. *corr. in* Belvocanensi *C.* c. *sequitur iterum* Deodato Belbocanensi episcopo *in M.* d. *corr. in* Heliseo *C.* e. Burghardo *C.* f. *corr. in* Wrzaburgensi *C.* g. Strazburgensi *C.* h. si *C.*

1. de hac epistola cf. Rettberg Kirchengeschichte Deutschlands I 379. 2. Bellovacensi. 3. Noviomensi. 4. Cameracensi. 5. II. 6. Laudunensi. 7. Ps. 132, 1.

(748) (Mai. 1) corda vestra et corroboret in exortatione euangelii in ministerio[a] quo fungimini, ut credita vobis plebs, vestris piis ammonitionibus adiutore Deo a diabolica fraude liberata, salva persistat vosque mereamini de eorum animabus in diem Christi adportare lucrum. Scriptum quippe est: *Filii sapientiae, aecclesia iustorum; et natio eorum, oboedientia et caritas*[1]. Obsecro ergo vos, karissimi mihi, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis[2], ut decet sanctos, cum multa patientia subportantes invicem in caritate[3], solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis[4] et caritatis; quia finis praecepti caritas est de corde puro et conscientia bona et fide non ficta[5]. Gaudeo in vobis, karissimi, quoniam fides vestra et unitas erga nos pretiosa est et manifesta non solum coram Deo sed et coram omnibus hominibus, dum ad fautorem et magistrum vestrum a Deo constitutum beatum apostolorum principem Petrum benignissima voluntate conversi estis. Laudabilis fides vestra et bona fama, quoniam id ipsum sapitis, quae oportet sapere[6]. Et nunc Deo cooperante est aggregata sanctitas vestra nostrae societati in uno pastorali ovili; et est nobis unus pastor, qui a pastore pastorum, domino deo et salvatore nostro Iesu Christo, princeps apostolorum et noster doctor est institutus.

Habetis itaque nostra vice — ad confortandam dilectionem vestram et conlaborandum vobis in euangelium Christi — sanctissimum ac reverentissimum Bonifatium, fratrem nostrum archiepiscopum, apostolicae sedis legatum et nostram praesentantem vicem. Sit ergo constantia vestra adversus contentiones eorum, qui adversa sapiunt et non quae Dei sunt[7], et erit fortior petra constantia vestra; sicut scriptum est: *Ne timueritis ex*[b] *eis neque terreamini a facie eorum, qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere*[8]. *Quod autem in aure auditis, praedicate in lumine*[9]; *illum timentes, qui potest animam*

a. minysterio *M.* b. ab *C.*

1. Eccli. 3, 1. 2. Ephes. 4, 1. 3. Ephes. 4, 2. 4. Ephes. 4, 3. 5. 1 Timoth. 1, 5. 6. Cf. Rom. 12, 3. 7. Matth. 16, 23. 8. Matth. 10, 28, Luc. 12, 4. 9. Cf. Luc. 12, 3.

et corpus occidere et mittere in gehennam[1]. *Fratres mei, in carne enim*[a] *ambulantes, non secundum carnem militamus*[2]. *Arma enim militiae nostrae non carnalia, sed potentia Deo, ad destructionem munitionum consilia destruentes*[3], *et omnem exaltationem extollentem se adversus scientiam Dei et in captivitatem*[b] *redigentes omnem cogitationem et*[c] *in obsequium Christo perducentes*[4]. *De cetero, fratres, confortamini in Domino et in potentia fortitudinis eius*[5]. Pax vobis multa et gratia a deo et domino nostro Iesu Christo ministretur. Amplectimur et osculamur acsi praesentes caritatem vestram in unitate spiritus in vinculo pacis et caritatis Christi. Deus vos incolomes custodiat, dilectissimi nobis. (748) (Mai. 1)

---

68. *Zacharias papa Throandi et aliorum virorum magnificorum fidem laudat et confirmat. Scribit de sacerdotibus honorandis reique divinae omnino permittendis; de presbyteris sine episcopi commendatione non constituendis; de monasteriis, de decumis, de pecunia ecclesiastica*[d].

Viris magnificis, filiis Throando, Sandrado, Nantherio, Liutfrido, Sterfrido, Gundperto, Agno, Haaldo, Rantulfo, Rotperto, Brunichoni, Rothardo, Rocgoni vel omnibus magnis et parvis, ingenuis et servis, Zacharias papa. (748) (Mai. 1)

Gratias ago deo et domino Iesu Christo, unico Patris filio, et Spiritui sancto, qui vestram omnium christianitatem ita dirigit, confirmans corda vestra, in eius ambulare mandatis et oboedire praeceptis. Dum enim insonuit in auribus nostris fides et bona vestra conversatio atque amor, quem erga spiritalem matrem vestram sanctam catholicam et apostolicam Dei aecclesiam eiusque sacerdotes habere dinoscimini, valde gavisi, laeti sumus effecti in Domino. Cuius potentiam et nos peccatores deprecamur, ut magis ac magis confirmet corda vestra et corroboret ad faciendam eius voluntatem, ut de fructibus bono-

a. *om. C.* b. captivitate *M.* c. *om. M.* d. *ex C* 41—42. *Cum lemmate hoc:* Epistola Zachariae papae ad principes Francorum missa.

1. Matth. 10, 28. 2. 2 Corinth. 10, 3. 3. 2 Corinth. 10, 4. 4. 2 Corinth. 10, 5. 5. Ephes. 6, 10.

(748) (Mai. 1) rum operum optimam adipisci mereamini in caelestibus regnis portionem, quam praeparavit Deus diligentibus se.

Admoneo vos, carissimi filii: praecepta Domini custodite, et testimonia et iustitias eius quascumque praecepit facite, quod bonum et placitum est ante Dominum, ut bene sit vobis; nihil aliud credentes, nisi quod Dominus in sacrosanctis euangeliis locutus est et sanctorum canonum ac probabilium continent decreta. Non accommodetis aures falsis sacerdotibus aut his, qui mendacia adnuntiant, qui veniunt ad vos in vestitu ovium, intus autem sunt lupi rapaces[1]. Sed potius illis credite, qui, viam regiam incedentes, orthodoxam et catholicam fidem vobis praedicantes adnuntiant — ut obsequium vestrum acceptabile esse inveniatur in conspectu Domini nostri — odientes malum, iuxta apostoli vocem, adherentes autem bono[2]; contemnentes ea, quae huius saeculi sunt, et diligentes ea, quae Dei sunt, ut praetiosa fides vestra clareat in cunctis et bona vestra conversatio in caelis et in terris laudabili fama. Non enim ignoratis, quae scriptura dicat: *Abraham credidit Deo, et reputatum est illi ad iustitiam*[3].

Admoneo vos, dilectissimi, Deum timere, sacerdotes honorificare, reddentes eis debitum sanctitatis; ut, vobis adiuvantibus, ipsi inconturbati valeant atque securi salutaria praedicare et regulam atque vigorem eclesiasticum conservare, ita ut clerici omnes suis subiaceant episcopis et ab illis doceantur sacram scripturam. Praeceptum quippe est a Domino: *Reddite quae sunt caesaris caesari, et quae Dei sunt Deo*[4].

Apostolicum praeceptum vobis mando: ut nullus saecularis clericum in suum obsequium habeat; sed illi, cuius signaculum in capite habet, mente deserviet et corde, educatus in his, quae a suo praecipitur episcopo. Detestabile est enim et iniquum opus: clericum in ludis inveniri, aut cum acceptoribus vel venationibus degere vitam; tantisque scenicis causis sauciatum, ad episcopatum aut presbiterium vel quodlibet sacerdotale officium

1. Matth. 7, 15. 2. Rom. 12, 9. 3. Genes. 15, 6; Rom. 4, 3.
4. Matth. 22, 21.

accedere, non bonis sed malis vitiis plenum. Scriptum namque est: *Qui diligitis Dominum, odite malum*[1]. (748) (Mai. 1)

Nam et hoc hortamur christianitatem vestram: ut iuxta sanctorum canonum instituta in aeclesiis a vobis fundatis non aliunde veniens presbiter suscipiatur, nisi a vestrae eclesiae fuerit episcopo consecratus, aut ab eo per commendaticias litteras suscipiatur. Multi enim sibimet ipsis mendaces, multotiens servi cuiusquam, fugam arripientes, dominis[a] suis semet ipsos quasi consecratos prȩsbiteros adnuntiant; et sunt ministri diaboli et non Dei, et qui eos suscipiunt similiter. Quia scriptum est: *Videbas furem et cum eo currebas*[2] et cetera. Nullus ergo ex vobis, carissimi, sine consultu sui episcopi in quamcumque aeclesiam intromittat presbiterum, nisi prius a vestro episcopo origo et conversatio eius fuerit conprobata.

Monasteria autem, quae constructa sunt a vobis vel construuntur ex devotione fidelium, oportet ut, si monachus vel sanctimonialis femina de propria cognatione ibi constituitur praeesse, ut ab episcopo civitatis consecretur sive abbas sive abbatissa. Et si congregatio ibidem fuerit, post illius abbatis aut abbatissae decessum et a congregatione quilibet eligatur; ab episcopo tamen consecretur, et non a fundatore monasterii. Quia, quod Deo semel fuerit oblatum, intactum debet persistere sub regula episcopi constitutum. Oportet autem, ut is, qui ordinatur abbas sive abbatissa, prius edoceatur omnem divinam legem et sacram scripturam; ut, dum subesse didicerit, postmodum moderate praeesse sciat.

Decime vero fidelium, quae in eclesiis offeruntur, non sint in potestate offerentis ad distribuendum. Quoniam sanctorum patrum constituta continent: quattuor exinde ab episcopo debere fieri portiones[3]. Quis enim, iuxta praeceptum Domini, ponens manum super aratrum et retrorsum respiciens, aptus est regno Dei?[4] De pecunia vero eclesiastica ita sancitum

a. dōnis *C.*

1. Ps. 96, 10. 2. Ps. 49, 18. 3. Cf. Gratiani Decr. P. II C. XII qu. 2 can. 27. 4. Luc. 9, 62.

(748) (Mai. 1) est: ut in episcopi sit potestate disponenda cum clericis, qui in eius obsecundant eclesia. Scriptum est enim: *de altari debet vivere, quisquis*[a] *altari mancipatur.* Inde enim elymosina pauperibus subministrari debet, inde aedificia esse eclesiarum, inde coopertoria altarium, inde ornamenta per unamquamque eclesiam, ut habuerit accessum.

Presbiter autem aut diaconus nulla consecrari debet ratione, nisi ante eius requiratur origo, et conversatio conprobetur; et si dignus fuerit inventus, ut supra scriptum est, ab episcopo consecretur.

Ingenui autem aut ex servili genere nequaquam sacerdotium accipiant vel eclesia illis ad regendum credatur.

---

69. *Theophilacias archidiaconus Romanus Bonifatio scribit, se de eius epistola ad papam retulisse. Memorat papae ad eum litteras de schismaticis et de Francorum et Galliarum gentibus. Addit de sua quondam sodalitate. Munera mittit*[b].

(S 146, W 94, G 83)

748 (Mai.) Aegregio patri et domino supernis fascibus decorato Bonifatio archiepiscopo Theophilacias[c] indignus archidiaconus sanctae sedis apostolicae.

Inter sua quidam peritissimus dudum enigmata sic promulgat: *Verba sapientium quasi stimuli et quasi clavi in altum defixi*[1], quia culpas delinquentium nesciunt palpare sed pungere. Unde actenus[d] non sine gravi Davitica illa ex intimo cordis merore conpulsus sum cantica decantare: *Adnuntiavi et locutus sum; multiplicati sunt super numerum*[2]; et quod multi ad fidem veniunt et pauci ad electorum numerum perducuntur, hoc ipsud[e] Domino promulgante: *Multi sunt vocati, pauci vero electi*[3].

Nos quidem, egregie et sacerdotale prefulgidum apex, ut inlustre per pagina exaranda[f] notescendo notescitis, distincte

a. *sequitur* se *in C.* b. *ex M* 61*v* — 62*v*, *C* 46*v* — 47. *Sine lemmate M;* Epistola Theophilacti diaconi ad Bonifatium *C.* c. Theophylactus *C.* d. *corr. in* hactenus *C.* e. *corr. in* ipsum *C.* f. exarando *C.*

1. Eccle. 12, 11. 2. Ps. 39, 6. 3. Matth. 20, 16.

incursa[a] et vigilantius in quo[b] angelicas et[c] beati domini mei[1] et singillatim protulimus aures. Et iuxta roseum illud et angelicum optatum desiderium desideratum antelatus dominus ter beatus in apostolica vos ad presens dignatur informatione[2] firmari[d]: qualiter non solum de scysmaticis et hereticis illis seu excommunicatis et ab orthodoxe fidęi regula nequiter aberrantibus[e] censeatis, ut convenit, verum etiam Francorum et Galliarum gentes fidei tramitem solitę amplectentes exuberent enitentes, et vestro sancto sub tempore non tantum occiduas[f] sed usque quaque floreant nationes. Scriptum namque est: *Multum valet deprecatio iusti adsidua*[3]. Et David similia: *Nisi Moyses stetisset in conspectu Dei, ut averteret iram eius, ne disperderet eos*[4]. (748) (Mai.)

Nos etenim, priscum sodalitatis retinentes amorem, quamvis variae in[g] utrosque nationes et maria dividant, tamen scriptum est: *Aque multae non potuerunt extinguere caritatem, nec flumina obruent illam*[5]. Benedictionis etenim munusculum ob recordationis nostri memoriam: cinnamomum, costum, piper et incensum pariter direximus obsignatum. Quod minimum etenim[h] ut pro magno excipere debeatis, inpensius postulamus. Scriptum namque est: *Omnis gloria eius filiae regum ab intus*[6]; et: *Omni habenti dabitur*[7]. Quia, quisquis caritatem perfectam habet, etiam cuncta dona, sancto Spiritu ministrante, promeretur accipere. Omnipotens etenim rerum opifex et arbiter Deus; qui vestro sancto sub tempore occiduos et circumquaque populos commorantes ad vestrae beatae praedicationis facundiam in catholice et apostolicae sanctae sedis fidęi florere faciat perenniter, ut optamus.

a. *an* incursim? b. *sic* (*an* inquam?) c. *an* ad? d. *corr. in* firmare *C.* e. oberrantibus *C.* f. *corr. in* occiduae *C.* g. *corr. in* inter *C.* h. etenim *deletum est in C.*

1. Zachariae papae. 2. ep. 66 supra p. 184. 3. Iac. 5, 16. 4. Ps. 105, 23. 5. Cant. 8, 7. 6. Ps. 44, 14. 7. Matth. 25, 29.

70. *Bonifatius Cudberhto archiepiscopo Cantuariensi de muneribus litterisque missis gratias agit. A sese in synodo quae statuta sint, significat. Suadet assiduitatem. Addit de feminarum Romam peregrinatione coercenda, de monasteriis per laicos non regendis, de vestium luxuria*[a].

(S 105, W 73, G 63)

748 post Maium Spiritalis adfinitatis necessitudine copulando fratri, archipontificatus infula sublimato, coepiscopo Cudberhto[b 1] Bonifacius, legatus Germanicus catholicae[c] apostolicae Romanae[d] ecclesiae, optabilem in Christo[e] intimae[f] caritatis salutem.

Scriptum enim est in libro Salomonis: *Beatus homo, qui invenit amicum, cum quo possit loqui quasi cum semet ipso*[2]. Cum muneribus munificentiae[g] vestrae[h] dulcissimas litteras vestras, fraterna caritate interlitas[i], magnas Deo et vobis gratias agentes, filio vestro diacono Cyneberhto[k] offerente, suscepimus. Vivae vocis quoque melliflua conloquia vestra de fraternis consiliis per illum nobis caritas vestra mandavit. Quae consiliorum spiritalia conloquia optamus ut, Deo volente quam diu in hac mortali vita vivamus, inter nos iugiter insinuentur, illo prestante, a quo solo sancta desideria, recta consilia et iusta sunt opera[3]. Vos melius et plenius — quibus Deus multis donavit et prudentius nosse et melius et plenius posse — nos, quasi in paucis fideles vestri[l] et devoti, studeamus instrui, aureo[m] caelestis amoris vinculo, quod rumpi non potest, invicem catenati. Nam labor nostri ministerii unius et eiusdem causae

a. *ex M* 122*v*—128*v*, *C* 97*v*—103*v*, *V* 67—70*v*. *Praeterea adhibui Spelmani (Concilia orbis Britannici I* 237*) editionem „ex cod. vetustissimo ms. literis Saxonicis" factam (Sp), et eam quam Giles (Anecdota Bedae Lanfranci et aliorum p.* 7—17*) ex codice non indicato paravit editionem (G. an).* b. Cudberto *MC*, Cudberhto *V*, Cuthberto *Sp.* c. et *add. C, Sp.* d. Ramanae *V.* e. *om. C.* f. *om. M*; internae *C.* g. municentiae *V.* h. munificentia vestra *M.* i. interlatas *Sp.* k. Cynebertho *M, Sp*; *corr. in* Cuneberhto *C*; Cyneberhto *V.* l. uni *C*, tamen *Sp.* m. aurō *M*; auro *corr. in* aureo *C*; auro *V*; aureo *Sp.*

1. archiep. Cantuariensi, 740—762. 2. Cf. Eccli. 25, 12: „Beatus, qui invenit amicum verum, et qui enarrat iustitiam auri audienti". 3. „a quo sancta — sunt opera" ex precatione sollemni (in Processionali Romano: Litaniae maiores et minores), cuius initium hoc est: „Deus, a quo sancta desideria, recta consilia et iusta sunt opera, da servis tuis" cet.

esse dinoscitur; et equalis speculatio in curis ecclesiarum sive populorum nobis credita est, sive in docendo sive in artando[a] et monendo sive in defendendo canonicos[b] gradus vel plebeos[c]. Idcirco humillima[d] prece deposco, ut, dum vobis[e] salubre consilium Deus inspiraverit vel suo spiritu synodalium consultuum[f], nobis insinuare non pigeat. Et nos similiter, si parvitati[g] nostrae Deus aliquid tale, vobis quod necessarium vel amabile, insinuaverit, similia faciamus. Maior enim nobis sollicitudo ecclesiarum[h] et cura populorum propter pallia credita et recepta quam ceteris episcopis, quia proprias tantum procurant parrochias, incumbit. Propterea[i], carissimi[k] — non quia vestrae prudentiae opus sit rusticitatis nostrae statuta[l] audire vel legere, sed propter bonam et humilem et sanctam voluntatem vestram putamus, vos libentius scire velle quam nescire — quae hic sacerdotes nobiscum servanda decreverunt[m], vobis emendanda et corrigenda distinamus.

748 post Maium

Decrevimus autem in nostro sinodali conventu et confessi sumus: fidem catholicam et unitatem et subiectionem Romanae ecclesiae fine tenus vitae nostrae velle servare; sancto Petro et vicario eius velle subici[n]; sinodum per omnes annos congregare; metropolitanos[o] pallia ab illa sede querere; et per omnia praecepta sancti Petri canonice[p] sequi desiderare, ut inter oves[q] sibi commendatas numeremur[r]. Et isti[s] confessioni universi consensimus[t] et subscripsimus; et ad corpus sancti Petri principis apostolorum direximus. Quod gratulando clerus Romanus et pontifex[1] suscepit.

Statuimus: ut per annos singulos canonum decreta et ec-

a. *corr. in* hortando *C;* hortando *Sp.* b. canonicus *V.* c. plebeis *M,* plebi *C,* plebeos *V.* d. humillima — amabile *recepi ex Sp. et G. an.* (*Pro omnibus his verbis in CV non leguntur nisi haec:* humillimam ab ille; *in M haec:* ut ille). e. nobis *Sp.,* vobis *G. an.* f. consultum *Sp.,* consultuum *G. an.* g. pravitati *Sp.,* parvitate *G. an.* h. ecclesiam *V.* i. Praeterea *M.* k. carissimi *MC, manus recentior corr. in* carissime *in V.* l. statura *V.* m. Quapropter ea *add. C.* n. subieci *V.* o. metropolitanus *V.* p. canonicae *V.* q. ovas *M.* r. numerentur *Sp.* s. istae *Sp.* t. consimus *V.*

1. Zacharias. V. ep. 66 supra p. 190. „Suscepimus vero et chartam — orthodoxae professionis et catholicae unitatis" cet.

748 post Maium clesiae iura et norma regularis vitae in synodo legantur et recuperentur[a]. Decrevimus: ut metropolitanus, qui sit pallio sublimatus, hortetur caeteros et admoneat; et investiget, quis[b] sit inter eos curiosus de salute populi quisve neglegens. Servis[c] Dei venationes[d] et silvaticas vagationes cum canibus, et ut acceptores et walcones[e] non habeant, prohibuimus. Statuimus[f]: ut per annos singulos unusquisque presbiter episcopo suo in quadragissima rationem ministerii[g] sui reddat, sive de fide catholica sive de baptismo sive de omni ordine ministerii sui. Statuimus: ut singulis annis unusquisque episcopus parrochiam suam sollicite circumeat, populum confirmare et plebes docere, et investigare et prohibere paganas observationes, divinos[h] vel sortilogos, auguria, filacteria[i], incantationes vel omnes spurcitias gentilium. Interdiximus servis Dei, ut[k] pompato habitu[l] vel sago vel armis utantur.

Statuimus, quod proprium sit metropolitano[m] iuxta canonum statuta: subiectorum sibi episcoporum investigare mores; et sollicitudinem circa populos, qualis sit; et moneat, ut episcopi, a synodo venientes, in propria parrochia cum presbiteris et abbatibus conventum habentes, praecepta synodi servare insinuando praecipiant. Et unusquisque episcopus, si quid in sua diocesi[n] corrigere vel emendare nequiverit[o], id item[p] in synodo coram archiepiscopo[q] et palam[r] omnibus ad corrigendum insinuet, eodem modo quo Romana ecclesia nos ordinatos cum sacramento constrinxit, ut, si sacerdotes vel plebes a lege Dei deviasse viderim et corrigere non potuerim, fideliter semper sedi[s] apostolicae et vicario sancti Petri ad emendandum indicaverim[t][1]. Sic enim, nisi fallor, omnes episcopi[u] debent metropolitano, et ipse[v] Romano pontifici, si quid de corrigendis populis apud eos in-

a. reviperentur *V*, recuperantur *Sp*. b. qui *Sp*. c. servus *Sp*. d. nationes *V*. e. falcones *C*. f. Statuimus — ministerii sui *om. C*. g. ministri *Sp*. h. divinos — incantationes *om. M*. i. filactera *V*. k. non *add. C*. l. habitatu *V*. m. metropolitani *M, Sp*. n. diocesse *V*. o. nequeverit *V*. p. itidem *C*, idem *Sp*. q. archiepiscopis *M*. r. pallam *V*. s. sitei *M*. t. indicarem *C*. u. episcopos *M*. v. ipsi *C*.

1. V. ep. 17 supra p. 77.

possibile est, notum facere; et sic[a] alieni fient[b] a[c] sanguine animarum perditarum. 748 post Maium

De cetero, frater carissime, quia nobis aequalis labor et maius[d] periculum inminet quam ceteris sacerdotibus, quia canones antiqui praecipiunt, ut omnes sciant, metropolitanum sollicitudinem totius provinciae gerere; et, ut verbi gratia dicam sicut timeo, navem gubernandam inter fluctus feri maris semel suscepimus, quam nec caute[e] regere nec sine peccato dimittere[f] valemus — quia[g], ut[h] quidam sapientium dicit: *Si periculosum est, navem inter fluctus caute non regere, quanto periculosius est, eam undis tumescentibus*[i] *fluctuantem in tempestate relinquere* — et idcirco ecclesia, quae velut navis magna per mare mundi huius enavigat, quae diversis temptationum fluctibus in hac vita tunditur, non est tamen relinquenda set regenda. Cuius rei in exemplo priores patres habemus Clementem et Cornelium et ceteros conplures in urbe Roma[k]; Cyprianum in Cartagine; Athanasium in Alexandria; qui sub paganis imperatoribus navem Christi immo carissimam sponsam eius, aecclesiam scilicet, docendo defendendo laborando et patiendo[l] usque ad sanguinis effusionem gubernabant. Possum enim de memet ipso pro certo iuxta vocem cantici canticorum dicere: *Filii matris meae pugnaverunt contra me; posuerunt me*[m] *custodem in vineis, vineam meam non custodivi*[1]. Vinea enim secundum[n] Naum[o][2] prophetam domini Sabaoht domus Israhel est; nunc videlicet ecclesia catholica esse comprobatur. Cuius synodum congregandam et hortandam iussu[p] pontificis Romani et rogatu[q] principum Francorum et Gallorum sub spe restaurandae[r] legis Christi suscepi. Circumfodi, cofinum stercoris adportavi, sed non custodivi. Cum[s] exspectarem ut faceret uvas, fecit autem labruscas[t][3]; et iuxta alium prophetam: *Mentietur*[u] *opus olivae, et*

a. si *M*, ipsi *C*. b. fiunt *C*. c. a *om. MV*. d. magis *M*. e. cauto *V*. f. demittere *V, Sp*. g. Et quia *C*. h. ut *om. C*. i. ea mundissimum escentibus *V*; intumescentibus *Sp*. k. Romana *Sp*. l. patiando *M*. m. me *om. MV*. n. secu *V*. o. *om. Sp*. p. iussi *MV*. q. rogata *M*. r. restaurandi *Sp*. s. Quia cum *Sp*. t. labrucas *V*. u. mentientur *MV, Sp*.

1. Cant. cantic. 1, 5. 2. imo Isaiam 5, 7. 3. Isai. 5, 4.

748 post Maium *campi non facient*[a] *escas*[1]. Sed, pro dolor, officium laboris mei rerum conlatione simillimum esse videtur cani latranti et videnti, fures et latrones frangere et subfodere[b] et vastare domum domini sui; et quia defensionis[c] auxiliatores non habeat, submurmurans ingemescat et lugeat. Nunc autem, quod mihi in tali periculo posito iustum et cautum esse videtur, salubre consilium vestrum querens et scire desiderans, insinuo libertatem praedicandi; dico, ut in actibus apostolorum Paulus apostolus sacerdotibus intimavit, dicens: *Contestor vos hodierna die, quia mundus sum ab omnium sanguine. Non enim subterfugi, quominus adnuntiarem*[d] *vobis omne consilium Dei. Adtendite vobis et universo*[e] *gregi, in quo posuit*[f] *vos Spiritus sanctus episcopos, regere ecclesiam Dei, quam adquisivit sibi sanguine suo*[2]. *Regnum* inquit *Dei, inter*[g] *vos ambulans, praedicavi; ut me alienum ab omnium perditione servarem.* Nam apostolus *episcopum*[3], propheta *speculatorem*[4], salvator mundi *pastorem*[5] ecclesiae sacerdotem appellat; et omnes tacentem peccata populi doctorem[h] reum[i] sanguinis animarum perditarum sub silentio esse, conprobant. Propter hoc horribilis et maxima necessitas[k] cogit: ut iuxta dictum apostoli nos formam debeamus exhibere fidelibus[6]; hoc est, nisi me fallat opinio, ita iuste vivendum est[l] sacerdoti[m], ne dicta sua repugnantibus factis evacuet et ne[n], cum sibi de proprio caute vivat, tacens alieno damnetur peccato. Quia ad hoc est ecclesiae Dei praepositus, ut non solum bene vivendo alios exemplo instituat, sed etiam fiducialiter praedicando singulis[o] ante oculos peccata sua constituat et, quae poena maneat[p] duros et quae gloria oboedientes, ostendat. Quia iuxta verbum Domini ad Hezechielem, cui dispensatio verbi commissa est, etiamsi sancte vivat, et tamen perdite viventes arguere aut erubescat aut metuat, cum

a. faciunt *MV.* b. subfodire *MV.* c. defensiones *MV,* defensiones et *C.* d. adnuntio *MV.* e. universi *M.* f. *om. MV.* g. in *MV.* h. tacentes — doctores *C.* i. reum *Sp.; om. MV;* reos *C.* k. necessitas *V.* l. *om. MV.* m. doctori *M,* ....doti *V.* n. ue *MV.* o. singulos *MV, Sp.* p. habeat *M,* aveat *V,* maneat *C, Sp.*

1. Habac. 3, 17 secundum versionem antiquam, v. Sabatier Bibliorum vers. ant. T. II 969. 2. Act. apost. 20, 26—28. 3. Act. apost. 20, 28. 4. Ezech. 3, 17. 5. Ioh. 10, 2. 6. Cf. 2 Thessal. 3, 9.

omnibus qui eo tacente perierint perit[a][1]. Et quid ei proderit non puniri suo, qui puniendus est alieno peccato? Taciturnitatem quidem sacerdotis Dominus[b], ad Hezechielem loquens, terribiliter prohibet, et speculatorem sacerdotem appellat; ut, sicut speculatoris est de loco editiori[c] plus omnibus contemplari, ita sacerdos debet esse meritorum sublimitate celsior et maioris scientiae habere gratiam, qua possit ceteros instruere. *Audiens* inquit divinus sermo *sermonem adnuntiabis eis ex me*[2]. Indicat, ut hoc dicat sacerdos, quod ex divina lectione didicerit[d], quod illi Deus inspiraverit[e], non quod humanus[f] sensus invenerit. *Adnuntiabis eis* inquit *ex me; ex me*[g] non *ex te; mea verba loqueris; non est, quod ex his*[h], *tamquam de tuis, infleris. Ex me* inquit *eis*[i] *adnuntiabis*[k]. *Si, me dicente ad*[l] *impium: „Impie, morte morieris“, non fueris locutus, ut se custodiat impius a*[m] *via sua, ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem vero eius de manu tua requiram*[2]. Acsi aperte dicat: *Si ei peccata sua non adnuntiaveris et si eum*[n] *non argueris, ut convertatur et vivat, et te, qui non increpasti, et ipsum, qui te*[o] *tacente peccavit, flammis perennibus tradam.* Non simus ergo tam saxei[p] vel tam ferrei pectoris, ut nos ista verba Domini non terreant. Non simus tam alienati a fide, ut istis verbis Domini non credamus; sed excitemus et exhortemur[q] fratres nostros verbis venerandis sancti Petri apostoli: *Sobrii estote et vigilate et excitamini; quia*[r] *adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit quaerens, quem devoret; cui resistite fortes in fide, scientes, eandem passionem, quae in mundo est, vestrae fraternitati fieri*[3]. Et episcopos synodi nostrae[s] subiectionis[t] adiuratione sancti Pauli apostoli admoneamus[u], Timotheo dicentis: *Testificor coram Deo et Christo Iesu, qui iudicaturus est vivos ac mortuos per*[v] *adventum ipsius*[w] *et regnum eius*[x]*: praedica verbum, insta*

748 post Maium

a. periit *M.* b. dm̄ *MV.* c. edtiori *M.* d. dedicerit *V.* e. inspiverit *V.* f. humani *MV, Sp.* g. ex me *deleta sunt in M.* h. is *M.* i. ei *MCV, Sp.* k. adnuntiatis *MV.* l. ad *om. MV.* m. in *M.* n. enī *M.* o. *om. V, Sp.* p. saxi *V.* q. exortemus *M,* exhortemus *V.* r. quod *M.* s. synodis nostris *V, Sp.* t. subiectos *Sp.* u. *corr. in* admonemus *C.* v. et *MCV pro* per. w. *om. C.* x. est *V.*

1. V. Ezech. 3, 18. 2. Ezech. 3, 17. 3. 1 Petr. 5, 8. 9.

748 post Maium *oportune inportune, argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina*[1]. Est enim iam praedictum ab apostolo[a] tempus, cum sanam doctrinam non sustinent[b], sed ad sua desideria coacervant[b] sibi magistros[2] et cetera. Clamemus in fortitudine iuxta dictum prophetae[3], qui adnuntiamus pacem in terris hominibus bonae voluntatis[4]. Ille namque in fortitudine clamat, quem nec metus nec verecundia, praedicare verbum vitae, inpedit. Contendamus, auxiliante Domino, ut non simus inter illos falsos pastores ovium, quos propheta accusat dicens: *Haec dicit dominus Deus: „Vae pastoribus Israhel, qui*[c] *pascebant semet ipsos. Nonne greges pascuntur a pastoribus? Lac comedebatis et lanis operiebamini, quod crassum erat occidebatis; gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit non consolidastis, et quod egrotum non sanastis, quod fractum est non alligastis, et quod abiectum non reduxistis, quod perierat non quesistis; sed cum austeritate imperabatis et cum potentia. Et dispersae sunt oves meae, eo quod non esset pastor; et factae sunt in devorationem omnium bestiarum agri“*[5]. Vae, quod profeta dicit, pro maledicto posuit; per pastores episcopos significat; [d]greges Domini[e], id est fideles populos ad pascendum. Set semet ipsos pascunt, quod[f] non populi salutem sed suas voluntates adtendunt. Lac et lanas ovium Christi oblationibus cotidianis ac decimis fidelium suscipiunt; et curam gregis[g] Domini deponunt. Non sanant spiritali consilio infirmum peccatis; non solidant[h] sacerdotali ope diversis tribulationibus fractum; non revocant erroneum ad viam salutis; non requirunt sollicitudine[i] pastorali veniae iam desperatione perditum; nec adflictos contra[k] violentiam[l] potentum, qui in eos ferarum more desaeviunt, defendunt; nec[m] divites peccantes vel potentes non

a. ad apostolos *M*, ab apostolos *V*. b. sustinebunt — coacervabunt *C*. c. loqui *MV*. d. qui *add. C*. e. susceperunt *add. C*. f. q̄ *M*, qui *C*; quod *V*, *Sp. in marg*. g. greges *V*. h. consolidant *C*. i. sollicitudinem *V*. k. cum *M*; *om. C*; con *V*, *Sp*. l. violentia *C*. m. et *C*.

1. 2 Timoth. 4, 1. 2. 2. V. 2 Timoth. 4, 3. 3. Isai. 58, 1 secundum versionem antiquam ap. Sabatier Bibl. vers. ant. II 618. 4. V. Luc. 2, 14. 5. Ezech. 34, 2—5.

solum non arguunt sed etiam venerantur. Et ideo minaciter superbiam talium sermo divinus contundit dicens: *Vae pastoribus Israhel*[1]. Et iterum: *Propterea pastores, audite verbum Domini. Haec dicit Dominus: „Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum, et cessare eos faciam, ut ultra non pascant gregem nec pascant amplius semet ipsos“*[2]. Quod quid est aliud, quam: *Pastores, qui semet ipsos non greges pascunt, de sublimitate honoris inter reprobos et inter maledictos proiciam?* Ad haec omnia quis non intremescat[a], nisi[b] qui futura non credit. Omnia[c], quae Deus voluit observare, tam aperte[d] posuit, sui nominis auctoritate firmavit, ut ea facilius — quod dictu quoque nefas est — contemnamus quam, nos non intellegere tam aperta et divina, mentientes fingamus. Quando audimus[e]: *Haec dicit Deus*[f], quis futurum esse non credat, quod dicit Deus, nisi qui Deo non credit? Horum et his similium consideratione perterritus sum, et timor et tremor venerunt super me, et pene contexerunt me peccatorum meorum tenebrae[3], et semel susceptum gubernaculum[g] ecclesiae libuisset placuisset[h] mihi omnino dimittere, si valerem vel exempla patrum vel scripturas sacras consentaneas invenirem[i]. Idcirco, frater carissime, quia[k] haec omnia ita se habent, et veritas fatigari potest vinci autem et falli non potest, fatigata mens nostra confugiat ad[l] illum, qui per Salomonem dicit: *Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, et ne innitaris prudentiae tuae. In omnibus viis tuis cogita illum, et ipse diriget gressus tuos*[4]; et alibi: *Turris fortissima nomen Domini; ad ipsam confugit iustus, et salvabitur*[5]. Stemus in iustitia et praeparemus animas nostras ad temptationem, ut sustineamus sustentationem Dei, et dicamus ei: *Domine, refugium factus es nobis a generatione et progenie*[6]. Confidamus in eum, qui nobis onus inposuit. Quod per nos portare non possumus, por-

748 post Maium

a. tremescat *M, Sp.* b. nis *M.* c. sed omnia *Sp.* d. apeste *MV.* e. audivimus *M.* f. dominus *C.* g. navis *sequitur ap. Sp.* h. placuissetque *C,* plicuisset *V,* si licuisset *Sp.* i. invenire *V, Sp.* k. quae *V.* l. ab *M.*

1. Ezech. 34, 2. 2. Ezech. 34, 9. 10. 3. V. Ps. 54, 6. 4. Prov. 3, 5. 6. 5. V. Prov. 18, 10. 6. V. Ps. 89, 1.

748 post Maium temus per illum qui est omnipotens, qui dicit: *Iugum enim meum suave est, et onus meum leve*[1]. Stemus in praelio in die Domini[2], quia dies tribulationis et angustie[3] venerunt super nos. Moriamur, si Deus voluerit, pro sanctis legibus patrum nostrorum, ut hereditatem cum illis aeternam consequi mereamur. Non simus canes muti[4], non simus taciti speculatores, non simus mercennarii[a] lupum fugientes[5]; sed pastores solliciti[b], vigilantes supra gregem Christi, praedicantes maiori[c] ac minori, diviti et pauperi omne consilium Dei, omnibus gradibus vel aetatibus, in quantum Deus donaverit posse, oportune, inportune, eo modo quo[d] sanctus Gregorius in libro pastorali conscripsit.

Preterea non taceo caritati vestrae, quia[e] omnibus servis Dei, qui hic vel in scriptura vel in timore Dei probatissimi sunt, videtur[f]: quod bonum esset[g] et honestas et pudicitia[h] vestrae ecclesiae et[i] aliquod velamentum turpitudinis, si prohiberet synodus et principes vestri mulieribus et velatis[k] feminis illud iter et frequentiam, quam ad Romanam civitatem veniendo et redeundo faciunt. Quia magna ex parte pereunt, paucis remanentibus integris. Perpauce enim sunt civitates in Longobardia[l] vel in Francia aut in Gallia, in qua non sit adultera vel meretrix generis Anglorum. Quod[m] scandalum est et turpitudo totius ecclesiae vestrae[n].

Illud autem, quod[o] laicus homo, vel inperator vel rex aut aliquis praefectorum vel comitum, saeculari potestate fultus, sibi per violentiam rapiat monasterium de potestate episcopi vel abbatis vel[p] abbatissae, et incipiat ipse vice abbatis regere et habere sub se monachos et pecuniam possidere, quae fuit Christi sanguine conparata, talem hominem antiqui patres nominabant[q]

a. mercinarii *V*. b. sollicito *Sp*. c. maiora *M*. d. quod *M*. e. quod *M*. f. probatissimi esse videntur *M*, pr. sunt videtur *C*, prob. videntur *V*, *Sp*. g. *om*. *MV*, *Sp*; quod bonum consilium et honestas *V*. h. pudicitiae *MV*, *Sp*. i. et *om*. *MV*, ecclesiae et *om*. *Sp*. k. et vel *MC*, et velatis *corr. in* et vel *V*. l. Longobarthia *M*. m. quia *M*. n. *om*. *M*. o. ille autem qui *M*, ille autem quod *V*. p. ut *MV*. q. nominant *MC*.

1. Matth. 11, 30. 2. Ezech. 13, 5. 3. Sophon. 1, 15. 4. Isai. 56, 10. 5. Ioh. 10, 13.

raptorem[a] et sacrilegum et homicidam pauperum et lupum diaboli intrantem in ovile Christi, et maximo anathematis vinculo dampnandum ante tribunal Christi. De talibus memorare sancti Pauli apostoli ad Timotheum dicentis: *Divitibus huius saeculi praecipe*[b]*, non superbe sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, qui*[c] *praestat omnia*[1]. Talibus, si aecclesiae correptionem non recipiunt — ethnici[d] et publicani sunt[2] — nec vivis nec mortuis[e] communicat ecclesia[f] Dei. Talibus[g], quod et hic et ibi reperiuntur, cum tuba Dei clangamus, ne tacentes dampnemur. 748 post Maium

Supervacuam[h] et Deo odibilem vestimentorum superstitionem omni intentione prohibere stude. Quia illa ornamenta vestium — ut illis videtur, quod ab aliis turpitudo dicitur — latissimis clavis vermium marginibus[i] clavata, adventum antichristi[k], ab illo transmissa, praecurrunt; illius[l] calliditate, per ministros suos introducere intra[m] claustra monasteriorum fornicationem et luxoriam[n] clavatorum[o] iuvenum et foeda consortia et tedium lectionis et orationis et perditionem animarum. Haec indumenta, nuditatem animae significantia, signa in se ostendunt arrogantiae et superbiae et luxuriae et vanitatis, de quibus sapientia dicit: *Arrogantiam et superbiam et viam pravam et os bilingue detestor*[3].

Fertur quoque in parrochiis vestris ebrietatis malum nimis adsuetum esse, ut[p] non solum episcopi quidam non prohibeant[q], sed etiam ipsi nimis bibentes inebrientur, et alios porrectis[r] poculis maioribus cogant, ut inebrientur. Quod absque dubio nefas est omni servo Dei facere vel fecisse; quod canones patrum ebrium episcopum vel presbyterum aut cessare[s] aut degradare iubent, et ipsa veritas dixit: *Attendite, ne graventur*

a. pantraptorem *C.* b. *cetera desunt in C; folium enim sequens excisum est.* c. vivo qui *om. MV.* d. quia ethnici *Sp.* e. vivus nec mortuus *M.* f. ecclesiam *M.* g. De talibus *M.* h. supervacuans *V;* autem *add. Sp.* i. maginibus *MV,* imaginibus *Sp.* k. antechristi *MV.* l. illos *MC,* illios *V,* illius *Sp.* m. *om. M.* n. luxoriorum *V.* o. clavatorum — dextra Dei custodire dignetur *recepi ex Sp. et G. (Quae omnia om. MCV).* p. et *Sp.,* ut *G.* q. perhibeant *Sp.,* prohibeant *G.* r. prospectis *Sp.,* porrectis *G.* s. cesam *Sp. cod.*

1. 1 Timoth. 6, 17. 2. Matth. 18, 17. 3. Prov. 18, 13.

748 post Maium *corda vestra in crapula et ebrietate*[1]; et Paulus apostolus: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria*[2]; et Esaias propheta: *Vae vobis, qui potentes estis ad bibendum vinum et viri fortes ad miscendam ebrietatem*[3]. Hoc enim malum speciale est paganorum et nostrae gentis. Hoc nec Franci nec Galli nec Longobardi[a] nec Romani[b] nec Graeci faciunt. Et hoc scelus similiter synodali decreto et interdictu scripturarum compescamus, si possumus; sin autem, vitantes et interdicentes, absolvamus animas nostras a sanguine perditorum.

De violenta quoque monachorum servitute operibus et aedificiis regalibus, quae in toto mundo christianorum non auditur facta nisi tantum in gente Anglorum. Quod sacerdotibus Dei non tacendum nec consentiendum; quod inauditum malum est praeteritis saeculis.

Venerandam fraternitatis vestrae dilectionem contra omnia adversa inlaesam, pro nobis intercedentem, dextra Dei custodire dignetur.

---

71. *Aelbwaldus rex Aestanglorum Bonifatio de mutuis precationibus scribit. Nuntium commendat*[c]. (S 76, WG 29)

747—749 A ☧ ω Domino gloriosissimo et cum omni honoris affectu[d] venerantissimo Bonifatio archiepiscopo Aelbwaldus[e4] Aestanglorum[f] Deo donante regia potestate fretus, simul et tota abbatia cum omni congregationi[g] servorum Dei in nostra provincia altithronum pro ecclesiarum incolumitate die noctuque precibus pulsantem[h], in Deo remuneratori[i] omnium salutem.

Inprimis itaque[k] scire te volumus, o dilectissime, quod gra-

a. Gongobardi *Sp. cod.* b. nec Romani *om. G.* c. *ex M* 116—116*v*, *C* 91*v*—92*v*, *V* 49—49*v*. *Lemma:* Epistola Aelmwaldi *M*, ep. Elbwaldi *C*, ep. Aelbwaldi *V*. d. affactu *M*. e. Elbwaldus *MC*. f. est anglorum *M*, qui est anglorum *C*; *v. supra p.* 10 *et* 11. g. *corr. in* congregatione *C*. h. *corr. in* pulsante *C*. i. *corr. in* remuneratore *C*. k. utique *M*.

1. Luc. 21, 34. 2. Ephes. 5, 18. 3. Isai. 5, 22. 4. 747—749. V. Chron. Mailros. (Edinburgi 1835 p. 4) 747: „Selred Estangolorum rex obiit, cui successit Elfwaldus“; 749: „Elfwaldus rex Estanglorum obiit“; et Simeon. Dunelm. de gest. regum Anglorum (in Monum. hist. Brit. I 663) 749: „Elfwald rex orientalium Anglorum defunctus est“. Cf. Lappenberg Gesch. von England I 237.

tanter accipimus[a]: nostram parvitatem vestris sanctis orationibus commendatam; ut, sicut vestra benignitas de missarum sollemnitatibus et orationum assiduitatibus Deo instigante dictavit, ita quoque nostra mediocritas devota mente implere conetur. Memoriaque nominis vestri in septenis monasteriorum[b] nostrorum sinaxis[1] perpetua lege censeri debet; quia in septenario numero perfecti saepe designantur[c]. His itaque bene conpositis et Deo adiuvante de animarum regulis rite conpositis et de interioris hominis habitu apte condictis, exteriora terrenaeque substantiae amminicula, quae sub nostra potestate Deo largiente redacta sunt, sub vestrae voluntatis arbitrio contineri[d] volumus; ita tamen: ut orationum nostrarum adiutoria per benivolentiam almitatis vestrae in ecclesiis Dei frequentare faciatis. Et sicut te pastorem in populo suo praedistinatio Dei fieri voluit, ita et nos patronum te sentire satagemus[e]. Nomina quoque defunctorum et viam universalem ingredientium, prout oportunitas anni exigerit[f], ex utraque parte adducentur, quatenus ut deus deorum et dominus dominantium, qui vos in episcopatus[g] regimen ponere voluit, suam plebem ad individuae Trinitatis agnitionem et unitatis substantiam per vos adducere dignetur. Vivete[h], felicibus finem clausuri calcibus. 747—749

S—US[i]

Preterea, o piissime pater, tibi intimandum curemus: ut gerulum praesentium litterarum devota mente a nobis transmissum[k] scias; et sicut fidelem tibi esse comperimus, ita et eum tu veridicum in omnibus nobis invenies.

---

72. *Bonifatius Eadburgam abbatissam Thanetensem rogat, ut pro se et pro paganis preces faciat*[l]. (S 13, WG 17)

Aureo spiritalis amoris vinculo amplectendae et divino ac virgineo caritatis osculo stringendae sorori Eadburgae[m] abbatis- 723—751

a. accepimus *M.* b. monosteriorum *V.* c. designatur *V.* d. continere *MC.* e. *corr. in* satagamus *C.* f. *corr. in* exegerit *C.* g. episcopatos *M.* h. *corr. in* vivite *C.* i. S—US *om. MC.* k. *corr. in* transmisum *V.* l. *ex M* 85*v*—86, *C* 67*v*—68, *V* 7*v*. *Lemma:* Item epistola Bonifacii archiepiscopi *MCV.* m. Aeadburge *C.*

1. synaxibus, i. e. religionum sollemnibus (officiis ecclesiasticis).

723—751 sae[1] Bonifacius episcopus, legatus Romane ecclesiae, in Christo[a] salutem.

Dilectionis vestrae clementiam intimis imploramus precibus, ut pro nobis intercedere apud auctorem[b] omnium dignemini. Ut[c] non ignoretis causam huius precis, sciatis: quia, nostris peccatis exigentibus, conversatio peregrinationis nostrae variis tempestatibus inliditur. Undique labor, undique meror. Foris pugnae, intus timores[2]. Super omnia gravissimum: quod vincunt insidiae[d] falsorum fratrum malitiam[e] infidelium paganorum. Rogate ergo pium defensorem vitae nostrae et unicum salutare laborantium refugium, agnum Dei, qui abstulit peccata mundi[3]: ut nos, inter talium luporum cubilia lustrantes, dextera sua protegente inlesos custodiat; ut, ubi debuerunt esse speciosi pedes portantium lucernam pacis[f] euangelicae[4], non inveniantur tenebrosa errantium[g] apostatarum[h] vestigia; sed magis pater piissimus, accinctis lumbis nostris, perficiat lucernas ardentes in manibus nostris et inluminet corda gentilium ad contemplandum euangelium gloriae Christi.

Inter ea precor, ut intercedere pietas vestra pro istis paganis, qui nobis ab apostolica sede commissi sunt, dignetur: ut eos salvator mundi ab idolorum[i] cultura eripere dignetur et adgregare unicae[k] matris catholicae filiis ecclesiae, ad laudem et gloriam nominis sui; qui vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire[5]. Vale.

---

73. *Bonifatius Eadburgae abbatissae Thanetensi de libris missis gratias agit*[l]. (S 14, WG 18)

723—751 Dilectissimae sorori et iam dudum spiritalis clientelae[m] propinquitate conexae Eadburge abbatissae Bonifacius servus servorum Dei perennem in Christo salutem.

a. Domino *M*. b. actorem *V*. c. aū *superscriptum est in C*. d. insidia *V*. e. *Haec in C sic sunt correcta:* timores. Quodque est super omnia gravissimum, insidiae falsorum fratrum, que vincunt malitiam *cet*. f. pascis *M*. g. errantia *MV, corr. in* errantium *C*. h. apostatorum *M*. i. idulorum *V*. k. vicinae *C*. l. *ex M* 86—86*v*, *C* 68, *V* 8. *Lemma:* Item epistola Bonifacii archiepiscopi *MCV*. m. clientellae *V*.

1. Thanetensi; v. supra p. 52 n. 2. 2. 2 Corinth. 7, 5. 3. Ioh. 1, 29. 4. Cf. Rom. 10, 15. 5. 1 Timoth. 2, 4.

Carissimam sororem remunerator aeternus iustorum operum 723—751 in superna laetificet curia angelorum; quae, sanctorum librorum munera transmittendo, exulem Germanicum spiritali lumine consolata est. Quia, qui tenebrosos angulos Germanicarum gentium lustrare debet, nisi habeat lucernam pedibus et lumen semitis suis verbum Domini[1], in laqueum mortis[2] incidet. Praeter ea, de caritate tua diligenter confidens, obsecro: ut pro me orare digneris, quia, peccatis meis exigentibus, periculosi maris[a] tempestatibus quatior; rogans, ut ille qui in altis habitat[3] et humilia respicit[4], indulgens flagitia, praestet mihi verbum in apertione oris mei[5], ut currat et clarificetur[6] inter gentes euangelium gloriae Christi.

---

74. *Bonifatius Aethelbaldo regi Mercionum nuntium suum Ceola commendat. De nuntiis superiore anno bene exceptis gratias agit. Munera mittit*[b]. (S 12, W 55, G 53)

Domino reverentissimo et dilectissimo Aethelbaldo[c] regi Mertionum[d] Bonifacius servus servorum Dei intimae caritatis salutem. c. 732-751

Obsecramus celsitudinis tuae clementiam: ut istum missum meum nomine Ceola, praesentem[e] harum litterarum, in necessitate nostra et itineris sui[f], et in quocumque illi necessitas contigerit, solacium praebere et adiuvare dignemini. Et mercedem pro[g] Deo habeas[h] de missis nostris, qui praeterito anno ad vos venerunt, quia eis in omnibus adiutorium, ut referebant, praestitistis. Interea pro signo veri amoris et devote amicitiae direximus[i] tibi accipitrem unum et duos valcones[k], duo scuta et duas lances[l]. Quae rogamus, licet digna non sint, munuscula tamen pro caritate benedictionis suscipere digneris. Finem loquendi omnes pariter audiamus; Deum time et mandata eius

a. matris *M*. b. *ex M* 85—85*v*, *C* 67—67*v*, *V* 7—7*v*. *Lemma:* Item epistola Bonifacii archiepiscopi *MCV*. c. Ethelbaldo *M*. d. Mercionum *M*. e. *corr. in* praesentatorem *C* (gerulum *excidisse videtur*). f. *an* in necessitate videlicet itineris sui? g. *corr. in* a *C*. h. *corr. in* habeatis *C*. i. dileximus *M*. k. falcones *MC*. l. *corr. in* lanceas *C*.

1. Ps. 118, 105: „Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis". 2. Cf. Ps. 17, 6. 3. Ps. 112, 5. 4. Ps. 112, 6. 5. Cf. Ephes. 6, 19. 6. 2 Thessal. 3, 1.

c. 732-751 observa[1]. Petimus quoque: ut, si per[a] alterum nuntium verba nostra ad praesentiam tuam scripta pervenerint, auditum tuum adcommodare digneris et sollicite audire cures. Vale in Christo.

75. *Lullus diaconus Eadburgam abbatissam Thanetensem monet, ut ipsum Deo commendet. Munera mittit. De suo erga eam studio. Litteras poscit*[b]. (S 7, WG 16)

c. 732-751 Reverentissimae et in Christo carissimae Eadburgae abbatissae[2] .N.[3] indignus et exiguus diaconus perennem in Domino salutem.

Almitatis tuae clementiam intimis obsecro precibus, ut mei memor esse digneris in tuarum sacrosanctis orationum subsidiis; sicut mihi per redeuntem fratrem nostrum .N. tua benigna caritas concedens promisit. Hoc etiam obnixa prece flagito, ut meae fragilitatis navem, quae cotidie presentis mundi procellarum turbinibus quatitur[c], tuae stabilitatis suffragio fulciatur; ut contra antiqui hostis venenata spicula oraminum tuorum frequente[d] iuvamine muniar. Parva munuscula tuae venerandae dilectioni transmisi, id est unum graphium[e] argenteum et storacis et cinnamomi partem aliquam; quatenus ex his minimis cognoscas, allata munera tuae salutationis quam grata mihi sunt. Et si quid mihi per gerulum horum apicum, qui dicitur Ceola[f], vel per alium quemlibet imperare volueris, scit caritas illa, quae inter nos est copulata spiritali germanitate, id meam parvitatem totis nisibus implere velle. Interea rogo, ut mihi litteras tuae dulcedinis[g] destinare[h] non deneges. Bene valere te desidero, et sanctis successibus proficere in Christo optamus.

76. *Lul Dealwinum magistrum rogat, ut pro se preces faciat, Aldhelmique opuscula sibi mittat*[i]. (S 4, W 101, G 90)

c. 732-751 Reverentissimo fratri Dealwino[k], iam dudum magistro, Lul[l]

a. per *om. MV, superscriptum est in C.* b. *ex C* 105*v*–106, *V* 5–5*v*. *Lemmata:* Epistola Lul ad Eadburgam *C;* Item epistola *V.* c. quatiatur *V.* d. frequenti *C.* e. grafium *C.* f. Ceola *V,* Coela *C.* g. dulcinidis *V.* h. distinare *V.* i. *ex C* 104–104*v*, *V* 4. *Lemmata:* Epistola Lul ad Dealbwinum *C;* item epistola Lul *V.* k. Dealbwino *C.* l. *v. supra p.* 12 *et* 13 *n.* 2.

1. Eccle. 12, 13. 2. Thanetensi. 3. Lullus, v. huius paginae not. b.

indignus diaconus, sine prerogativa[a] meritorum diaconatus officio c. 732-751
fungens, optabilem in Domino salutem.

Almitatis tuae clementiam intimis precibus flagito, ut meae mediocritatis carinam fulcire digneris tuis almis oraminibus; quatenus, tuarum orationum intercessionumque[b] pelta protectus, ad portum salutis pervenire merear et piaculorum meorum in hoc terreno ergastulo veniam consequi; sicut iam praeterito anni circulo per Denewaldum[c] fratrem nostrum, litterarum mearum portitorem, deprecatus sum. Ergo vilium munusculorum transmissio[d] scedulam istam comitatur, non tam digna quam devota mente directa. Similiter obsecro, ut mihi Aldhelmi episcopi[1] aliqua opuscula, seu prosarum seu metrorum aut rithmicorum, dirigere digneris ad consolationem peregrinationis meae et ob memoriam ipsius beati antestitis[e]. Et mihi per aliqua verba tuae affabilitatis indica, quid de istis valeat precibus tua fraternitas perficere; quae inhianter audire satago. Bene valentem te et proficientem in prosperitate dierum et intercedentem pro me exopto longis temporibus[2].

---

77. *Ingalice presbyter Lullo diacono respondet. Munera mittit. Bonifatium salvere iubet*[f]. (S 39, W 102a, G 91)

Claro atque carissimo Dei ministro Lulle Ingalice indignus c. 732-751
presbyter, tuus tamen per omnia devotus famulus, in Domino optabilem salutem.

Litterae namque prudentiae tuae et munera largitatis tuae

a. pro rogativa *V*. b. intercessionibus *V*. c. Deneualdum *C*. d. transmisio *V*. e. antestites *V*. f. *ex V* 23*v* — 24. *Lemma:* Item epistola.

1. Scireburnensis. 2. in cod. Vindobonensi sequitur Ausonii epigramma VIII hoc:

Fama est, fictilibus cenasse Agathoclea regem
 Atque abacum Samio saepe onerasse[a] luto.
Fercula gemmatis cum poneret horrea vasis[b]
 Et misceret opes pauperiemque simul,
Quaerenti causam respondit: Rex[c] ego qui sum
 Sicaniae, figulo sum genitore satus[d].
Fortunam reverenter habe[e], quicumque repente
 Dives ab exiguo progrediere loco.

a. Samiosa morasse *corr. manus posterior in* Samio saepe onerasse. b. aurea vasa *V*. c. Rex *superscripsit manus posterior*. d. fatur *V*. e. habet *V*.

c. 732-751 ad me usque directa pervenerunt. Quibus diligenter lectis et consideratis, post premissam pacificam salutationem, si bene intellexi, insinuasti nobis erga vos diversas molestias et tribulationes — que sepe solent in hoc mundo occupare servos Christi secundum apostoli sententiam: *Omnes, qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patiuntur*[1] — contraque omnia temptamenta orationum nostrarum, qualiacumque sunt, amminicula humiliter postulasti. Quod et omnis congregatio nostra pro vestra sospitate sedulo ad Dominum preces fundere studuit. Et nunc, amantissime diacone, quia vicem rescribendo eruditionis tuae scriptis propter parvitatem ingenioli mei digne debitum persolvere non potui, tamen scio, quia vera caritas omnia sustinet[2]. Haec pauca verba rusticitatis meae cum minimis munusculis, id est: quattuor cultellos nostra consuetudine factos et calamistrum argenteum et mappam unam, per fidelem portitorem fratrem vestrum immo nostrum Aldredum amabili presentiae tuae tantum pro memoria caritatis transmittere curavi. Quaeso fraternitatem tuam, ut eo animo a te haec suscipiantur, quo a me destinata noscuntur. Sed et intercessorem nostrum apud Deum, venerabilem Bonifacium presulem, omnis caterva fratrum nostrorum cum abbaterio[a] in Dei dilectione salutare desiderat.

---

78. *Theophilacias archidiaconus Romanus Bonifatio bene precatur. Lullum, archidiaconum eius, commendat. Munera mittit*[b]. (S 147, W 95, G 84)

c. 732-751 Egregio patri et domino aetheriis decorato fascibus Bonifatio almo archiepiscopo Theophilacias[c] indignus archidiaconus[d] sanctae sedis apostolice.

Inter amoena prata fraglantium florum sepe spinis circumvallatur rosa. Ita, inlustrante sancto Spiritu, praefulgidus plerumque rutilat arbiter veluti roseus flos, et melliflua dogmata salutis

a. *sic cod.; fortasse* abbate nostro *legendum esse, opinatur Mabilio, Acta SS. ord. Ben. saec. III,* 2 *p.* 393. b. *ex M* 62*v* — 63*v*, *C* 47*v* — 48. *Sine lemmate M;* Item epistola Theophilacti diaconi ad Bonifatium *C.* c. Theofylactus *C.* d. diaconus *M,* archidiaconus *C.*

1. 2 Timoth. 3, 12. 2. 1 Corinth. 13, 4. 7.

aeternae habundet[a]; eructuat nimirum laudabilis in arvis. O beatissime in aetheris! Talenta etenim, tuae credita egregiae beatitudini, non solum dupla verum etiam et sescupla Christo a te reddantur in astris; arcanaque vox ope carmine Christi dicentis: *Euge, serve bone et fidelis, quia inter pauca fuisti fidelis, super multa te constituam; intra in gaudium Domini tui*[1]. Denique ob vestri laboris crementum sedulo[b] una cum sancto coangelico patre vestro, domno apostolico totius sanctae nostrae aecclesiae sacerdotalis, vel populo naviter domini Dei nostri exoramus clementiam: ut vestrae sanctissime paternitatis inluminatos doctrinis atque e vivo potatos fonte simul cum eorundem satore confirmare ac conservare in sanctae ac orthodoxae fidei tramite clementer iubeat; et eorum, qui credituri sunt, corda aperire atque a tetro detegere velamine; inflammanteque eosdem sancto Spiritu, intrepidi laetantes ad fidem Christi pervenire festinent, quemadmodum dominica sanxit clementia: *Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili*[2] et caetera. c. 732-751

Itaque, domine ac sanctissime pater, quesumus vestram a Deo santiatam[c] ambrosiam bonitatem: ut sanctissimum nimisque nobis dilectum Lullum, benedictum archidiaconum vestrum, karissimum atque dulcissimum sodalem et fratrem nostrum, omnibus pio modis favore[d] propter Deum et nostrae pussillitatis amicitiam commendatum habere dignemini. Nostra est scilicet in eo rata dilectio pro eo: quod vestrae almae paternitati, magnis decorate infulis, fidelibus ac lepidis ministrat servitiis. Et ob hoc, poplite identidem flexo, vestram depraecamur togatam prudentiam: ut eum multo amplius talionem habere non dedignemini perniciter; ob nostramque parvitatem, cum domino Deo crebro refunditis praeces, memoriam facere non omittatis; quia scriptum est: *Multum valet deprecatio iusti adsidua*[3]. His vero praelibatis, salutamus vestram a Deo iuvatam sanctissimam nectareamque paternitatem. Et optamus, ut Deo favente perenni-

a. *corr. in* abunde *C.* b. sedele *corr. in* sedulo *M,* sedule *C.* c. *corr. in* sancitam *C.* d. favere *M, corr. in* favore *C.*

1. Matth. 25, 21. 2. Ioh. 10, 16. 3. Iac. 5, 16.

c. 732-751 bus[a] capiatis temporibus premia et desideratum, ob vestrae sospitatis suffragium, potiatis[b] effectum.

Denique vero direximus[c] parvam benedictionem ex largitate beati Petri apostoli. Propter Deum grato animo dignemini suscipere costum, cinnamomum et serostyracem[d].

---

79. *Bonifatius Zachariae papae Lullum nuntium suum commendat. Sese sacerdotum perversorum communionem non omnino devitavisse, queritur. Addit de archiepiscopis et palliis petendis et de condito monasterio Fuldensi*[e].

(S 141, W 86, G 75)

751 Reverentissimo patri, dilectissimo domino, cum timore et honore venerando magistro, apostolici honoris privilegio praedito[f], pontificatus apostolicae sedis infula sublimato Zachariae Bonifatius exiguus, servus vester licet indignus et ultimus tamen legatus Germanicus devotissimus, optabilem in Christo inmarcescibilis caritatis salutem.

Paternae pietatis vestrae sanctitatem subnixis precibus obsecro, ut hunc presbiterum meum, portitorem litterarum mearum nomine Lul grato animo clementer suscipiatis. Habet enim secreta quaedam mea, quae soli pietati vestrae profiteri debet: quaedam viva voce vobis dicere, quaedam per litteras notata ostendere, de quibusdam vero necessitatibus meis inquirere et interrogare; et mihi paternitatis vestrae responsum et consilium ex auctoritate sancti Petri principis apostolorum ad solacium senectutis repraesentare; ut, his omnibus auditis et consideratis, si quae sint quae vobis placeant facta, adaugere Deo volente studeam, si autem quid, ut timendum est, displiceat, ex praecepto sancti apostolatus[g] vestri vel indulgentiam merear vel dignam penitentiam persolvam.

Antecessor[1] etenim praecessoris vestri[2], venerandae memo-

a. perennis *C.* b. potiatus *C.* c. dereximus *M.* d. xerostyracem *C.* e. *ex M* 47 *v* — 49, *C* 34 — 35. *Sine lemmate M;* Epistola Bonifatii ad Zachariam papam *C.* f. praedicto *M.* g. apostolati *M.*

1. „Antecessor praedecessoris — illis non communicavi“ sunt in Gratiani decr. P. II C. XI qu. 3 c. 104. 2. Gregorii III.

riae Gregorius[1], dum me indignum ordinavit et ad praedicandum verbum fidei Germanicis gentibus misit, sacramento me constrinxit: ut canonicis et iustis episcopis et presbiteris in verbo in facto in consensu adstipulator et adiutor fierem — hoc autem[a] cum divina gratia implere studui[b] —; falsos autem sacerdotes, hypochritas et seductores populorum, vel corrigerem ad viam salutis vel declinarem et abstinerem a communione[c] ipsorum; quod ex parte servavi et ex parte custodire et implere non potui. Spiritaliter implevi sacramentum, quia in consensum et in consilium illorum non venit anima mea. Corporaliter autem ab eis omnino abstinere non potui, dum venissem ad principem Francorum, cogente aecclesiarum necessitate; cum tales ibi repperi, quales nolui. Sed tamen in sancta communione[c] corporis Christi illis non communicavi. 751

Praecepit quoque mihi praefatus apostolicus pontifex, ut populorum, quoscumque visitassem, conversationem et mores apostolicae sedis pontifici indicassem. Quod, in Domino confido, ut fecissem.

De eo autem, quod iam praeterito tempore de archiepiscopis et de palleis[d] a Romana aecclesia petendis iuxta promissa[e] Francorum sanctitati vestrae notum feci, indulgentiam apostolicae sedis flagito. Quia, quod promiserunt, tardantes non impleverunt; et adhuc differtur et ventilatur et[f], quid inde perficere voluerint, ignoratur. Sed mea voluntate impleta esset promissio[g].

Est praeter ea locus silvaticus in heremo vastissimae solitudinis, in medio nationum praedicationis nostrae, in quo monasterium[2] construentes, monachos constituimus, sub regula sancti patris Benedicti viventes, viros strictae abstinentiae, absque carne et vino, absque sicera et servis, proprio manuum suarum labore contentos. Hunc locum supra dictum per viros religiosos et Deum timentes, maximę Carlmannum[h] quondam principem Francorum, iusto labore adquisivi et in honore sancti Sal-

a. *om.* *C.* b. studii *M.* c. commonione *M.* d. *corr. in* palliis *C.* e. promisa *M.* f. et *om.* *M.* g. promisio *M.* h. Carlomannum *C.*

1. II. 2. Fuldense.

751 vatoris dedicavi. In quo loco, cum consensu pietatis vestrae proposui, aliquantulum vel paucis diebus fessum senectute corpus requiescendo recuperare et post mortem iacere. Quattuor etenim populi, quibus verbum Christi per gratiam Dei diximus, in circuitu loci huius habitare dinoscuntur; quibus cum vestra intercessione, quam diu vivo vel sapio, utilis esse possum. Cupio enim vestris orationibus, commitante[a] gratia Dei, in familiaritate Romanae aecclesiae et vestro servitio inter Germanicas gentes, ad quas missus fui, perseverare et praecepto vestro obedire, sicut scriptum est: *Iudicium patris audite, filii dilecti, et sic facite, ut salvi sitis*[1]; et alibi: *Qui honorat patrem suum, vita vivit*[b] *longiore*[2]; et iterum: *Honora patrem tuum*[3], *ut superveniat tibi benedictio a Domino*[4], *et benedictio patris firmat domus*[c] *filiorum*[d 5]. . . . .

---

80. *Zacharias papa Bonifatio respondet de sacerdotum malorum communione, de episcopis, de palliis Francorum, de monasterio Fuldensi, quae animalia non edantur, de igne paschali, de morbo regio, de pedibus lavandis, de benedictionibus, de sacerdotibus, de Milone, de lardo, de episcopo condemnato, de presbyterorum ordinatione, de censu ecclesiarum, de paganorum inimicitiis, de Sclavorum tributo, de figura crucis*[e]. (S 142, W 87, G 76)

751 Nov. 4 Reverentissimo et sanctissimo fratri Bonifatio coepiscopo Zacharias episcopus servus servorum Dei.

Benedictus Deus, pater domini nostri Iesu Christi, qui dispersa congregat et congregata conservat augetque fidem et fiduciam servis suis ad praedicandum verbum euangelii Iesu Christi domini nostri, cum eodem Patre et Spiritu sancto in unitate viventi[f] in saecula saeculorum. Ipsi gloria et laus, qui

a. *corr. in* comitante *C.* b. *corr. in* vivet *C.* c. domůs *C.* d. *sequitur in C pagina vacua.* e. *ex M* 49—53*v*, *C* 39*v*—40. *Sine lemmate M;* Epistola Zachariae papae ad Bonifatium *C.* f. *sic pro* viventis *codd.*

1. Eccli. 3, 2. 2. Eccli. 3, 7. 3. Eccli. 3, 9. 4. Eccli. 3, 10. 5. Eccli. 3, 11. — Extremam huius epistolae partem interiisse manifestum est. Idque etiam librario codicis Carlsruhensis patuit, quippe qui sequentem paginam reliquerit puram; v. supra huius paginae not. d.

adiutor et protector est in se credentibus; ipse enim dixit: *Qui credit in me, vita vivet et non morietur*[1]; *quoniam ego sum via vita et veritas*[2]. Laudamus et superexaltamus sanctum nomen eius, laeti gaudentes, per harum gerulos et sanctae fraternitatis tuae litteris allatis, superstitem in hac vita et in Domino te valere, cognoscentes; petentes inmensam Dei nostri divinitatem: ut ad praedicandum multo amplius euangelii atque sanctae fidei eius sacramentum longevum te conservet[a] suaque protectione te muniat et ab adversantium insidiis pie miserendo custodiat. 751 Nov. 4

Suggessit itaque fraterna sanctitas tua in suis apicibus, quod[3] praedecessor noster beatae memoriae Gregorius, huius sedis apostolice praesul, dum ad predicandum verbum euangelii tuam misisset[b] fraternitatem in Germaniae partibus et gentibus illis paganis, verbo pollicitationis a te esse munitum ita: ut orthodoxos episcopos presbiteros, vel quosque repperire potuisses in verbo exhortationis perfectos, amplius confirmares et eis communicares — quod et factum est —; si quos vero seductores episcopos aut pseudopresbiteros vel quosque a recto fidei tramite deviantes repperisses, nulla tibi cum eis esset communio. Quod te, Deo solaciante, usque ad praesens spiritaliter servasse, confessus es. Vel si omnino propter principalem et humanum favorem gentis Francorum, dum ad eos accessisses[c], corporaliter abstineri[d] non valuisti, cogente necessitate aecclesiarum Dei; et tamen in eorum consilio et consensu communionis anima tua non est coinquinata. Itaque propter hoc, quod cum eis conversatus es, non consentiens iniquitati eorum, nullum tibi est detrimentum coram Deo[3]. Te enim praedicante si oboedirent, salvi essent; sin autem in[e] iniquitate sua permanerent, ipsi peribunt, tu autem iuxta prophetae dictum salvasti animam tuam[4].

a. servet *C.* b. mississet *M.* c. accessisset *M.* d. *corr. in* abstinere *C.* e. in *om. M.*

1. V. Ioh. 11, 25. 26. 2. Ioh. 14, 6. 3. „Quod praedecessor — detrimentum coram deo“ sunt in Gratiani decr. P. II C. 11 qu. 3 c. 105. 4. Ezech. 33, 5.

751 Nov. 4 De episcopis autem Francorum et palleis[a] scripsisti, quod iuxta promissionem suam nondum impleverunt. Qui, si impleverint[b] iuxta verbum suum, habebunt ex eo laudem; sin vero aliter egerint, ipsi videbunt. Nos enim, divina gratia largiente, quod gratis accepimus, gratis damus[1]. Tua quidem propter hoc benigna voluntas a nobis suscepta est.

Igitur et hoc petisti ut: monasterium in vastissima solitudine et in medio gentium quibus praedicas constitutum et a te fundatum esse atque in honore salvatoris Dei nostri dedicatum, ubi etiam et monachos sub regula beati Benedicti degere ordinasti, illud[c] venerabile monasterium nomini tuo privilegio sedis apostolice muniri. Quod, votis tuis acquiescentes, ordinavimus iuxta desiderium et petitionem tuam. Congruit enim, divini ministerii praedicatorem optimumque ministrum ad desiderata pertingere et coeptum bonum opus usque in finem perficere; sicut scriptum est in dominico praecepto: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*[2]; et: *Beatus servus ille, quem cum venerit Dominus, invenerit sic facientem; etenim super omnia bona sua constituet eum*[3].

Inter ea praedictus tuus gerulus Lul cum ceteris suis comitibus[d], quae iniuncta[e] fuerunt a tua fraterna sanctitate tam in verbo quamque per scripta[f], omnia liquidius suggerentes innotuerunt. De quibus tam in verbo responsum dantes, et per scripta tuae remisimus fraternitati. Continebant enim capitula in petatio[g 4] ab eis porrecto, quae inferius annexa sunt; de quibus flagitasti a nobis, quae recipienda quae respuenda sint:

In primis de volatilibus, id est de graculis et corniculis atque ciconiis. Quae omnino cavendae sunt ab esu christianorum. Etiam et fibri atque lepores et equi silvatici multo amplius vitandi. Attamen, sanctissime frater, de omnibus scripturis sacris bene compertus es.

De igne autem paschali[5] quod inquisisti. A priscis sanctis

a. *corr. in* palliis *C.* b. impleverunt *C.* c. hoc *C.* d. concomitibus *C.* e. iniuncti *M.* f. scripto *M.* g. impetatio *M, corr. in* in pittatio *C.*

1. Matth. 10, 8. 2. Matth. 10, 22; 24, 13. 3. Luc. 12, 43. 44. 4. pittacio. 5. Cf. Grimm Deutsche Mythologie (ed. tertia) I 583.

patribus, ex quo per dei et domini nostri Iesu Christi gratiam et pretioso sanguine[a] eius aecclesia dedicata est, quinta feria paschae, dum sacrum crisma consecratur, tres lampadae[b] magnae capacitatis, ex diversis candelis aecclesiae oleo collecto, in secretiori aecclesiae loco ad figuram interioris[c] tabernaculi insistente, indeficienter cum multa diligentia inspecte ardebunt, ita ut oleum ipsum sufficere possit usque ad tertium diem. De quibus candelis sabbato sancto pro sacri fontis baptismate sumptus ignis per sacerdotem renovabitur. De christallis[d] autem, ut adseruisti, nullam habemus traditionem. 751 Nov. 4

De his qui regio morbo[1] vexantur inquisisti, sive homines sive equi sint, quid fiendum sit de illis. Si homines ex nativitate aut genere huius morbi sunt, hi extra civitatem comitari debebunt; ad[e] elymosinam[f] vero accipiendam a populo non devitari. Si autem contigerit, magnum vel parvum non nativitate sed superveniente egritudine vexari, non est proiciendus; sed, si possibile est, curandus. Adtamen in aecclesia, dum ad communionem venerit, post omnium supletionem erit ingressurus ad participandum munus. Equi vero, qui praefato morbo fuerint coinquinati, si curari non valuerint, in puteis et foveis proiciendi sunt, ne eiusdem morbi[g] contagione ceteri coinquinentur.

De animalibus autem, qui[h] a furentibus id est rabidis[i] lupis et canibus fuerint lacerati. Oportet ea[k] a ceteris separari, ne furentes et mordentes cetera coinquinentur. Quodsi pauca sunt, ut supra diximus, in fovea proicienda sunt.

Nam et hoc inquisivit fraternitas tua: si liceat, sanctimoniales feminas, quemadmodum viri[l], sibi invicem pedes abluere tam in coena Domini quamque in aliis diebus. Hoc dominicum praeceptum est, quod qui per fidem impleverit, habebit ex

a. *corr. in* pretiosum sanguinem *C.* b. *corr. in* lampades *C.* c. inferioris *C.* d. crystallis *C.* e. ad *om. M.* f. elemosinam *C.* g. *om. M.* h. *corr. in* que *C.* i. rapinis *M.* k. ea *om. C.* l. *corr. in* viris *C.*

1. lepra. Cf. Dieffenbach Glossarium lat. germ. Morbus regius: „ausseczikeit“.

751 Nov. 4 eo laudem[1]. Etenim viri et mulieres unum Dominum habemus, qui in caelis est.

Pro autem benedictionibus[a], quas faciunt Galli, ut nosti frater, multis vitiis variantur. Nam non ex apostolica traditione hoc faciunt, sed per vanam gloriam operantur, sibi ipsis dampnationem adhibentes; dum scriptum est: *Si quis vobis euangelizaverit praeter*[b] *id, quod euangelizatum est, anathema sit*[2]. Regulam catholicae traditionis suscepisti, frater amantissime; sic omnibus praedica omnesque doce[c], sicut a sancta Romana[d], cui Deo auctore deservimus, aeclesia accepisti.

Inquisisti etiam et hoc: si ante tricesimum[e] annum liceat sacerdotem ordinari. Bonum et congruum est, carissime, si fieri et inveniri potest: ut provecte aetatis et boni testimonii viri iuxta sacrorum canonum instituta ordinentur sacerdotes. Si autem minime repperiuntur[3] et necessitas exposcit, a viginti quinque annorum et supra levitae et sacerdotes ordinantur[4], quemadmodum in lege Domini continetur[f].

De Milone[5] autem et eiusmodi similibus, qui aecclesiis Dei plurimum nocent, ut a tali nefario opere recedant, iuxta apostoli vocem oportune inportune praedica[6]. Si adquieverint ammonitionibus tuis, salvabunt animas suas; sin vero, ipsi peribunt obvoluti in peccatis suis, tu autem, qui recte[g] praedicas, non perdes mercedem tuam.

Nam et hoc inquisisti: post quantum temporis debet lardas[h] comedi. Nobis a patribus institutum pro hoc non est. Tibi autem petenti consilium praebemus: quod non oporteat eum[i] mandi priusquam super fumo siccetur aut igne coquatur; si vero libet, ut incoctum[k] manducetur, post paschalem festivitatem[l] erit manducandum[m].

a. *corr. in* Pro benedictionibus autem *C.* b. propter *M,* praeter *C.* c. *om. M.* d. Roma *M.* e. tricessimum *M.* f. continet *M.* g. rectae *C.* h. *corr. in* lardus *C.* i. eum *deletum est in C.* k. *corr. in* incoctus *C.* l. paschali festivitate *M, corr. in* paschalem festivitatem *C.* m. *corr. in* manducandus *C.*

1. Rom. 13, 3. 2. Galat. 1, 9. 3. „Si triginta annorum non reperiuntur — ordinentur" sunt in Gratiani decr. P. I D. 78 c. 5. 4. Numeri 8, 24. 5. invasore ecclesiae Remensis et Trevirensis. 6. 2 Timoth. 4, 2.

Episcopus autem condempnatus, de quo inquisisti, qui pugnator et fornicator existit atque res ecclesiae post degradationem sibi vindicare nitetur[a], hic omnino ac detestabiliter respuendus est. Quae enim portio infideli cum fidele? aut quae communio Christo et Belial?[1] Hos sanctorum patrum traditiones et sanctorum canonum instituta condempnaverunt. 751 Nov. 4

De ordinatione etiam presbiterorum et diaconorum, quos cogente necessitate et paupertate, rogantium, non legitimis temporibus et diebus a te pervenerunt[b], si aliquam haberes ex hoc offensionem, insinuasti. Dicimus autem tibi frater: bene nosti, quod sacri canones docent, aptis temporibus sacerdotes ordinandos; attamen in eo, quod a te propter zelo[c] fidęi actum est, a domino Deo nostro indulgentiam postulemus[d].

De censu autem aecclesiarum, id est solidum de cassata[e] suscipe, et nullam habeas esitationem[f]; dum ex eo poteris elymosinam tribuere et opus perficere sanctarum aecclesiarum iuxta canonum instituta.

Si quos vero presbiteros, qui de laicis promoti fuerunt et, ante[g] criminalibus causis obvoluti, celantes peccatum suum, ordinati sunt, postmodum vero manifestata est eorum iniqua actio; hos, a sacerdotali habitu privatos, paenitentiae summitte. Non enim odit Deus peccantem et confitentem, sed peccantem et negantem.

Nam et hoc flagitasti a nobis: si liceat persecutionem paganorum fugiendi[h] an non. Et pro hoc, frater, salutare consilium damus. Si fieri potest et locum inveneris, insta ad praedicandum illis[i]; si autem supportare non valueris eorum persecutionem, habes praeceptum dominicum, ut in aliam ingrediaris civitatem[2].

Nam et hoc inquisisti: quid fiendum sit de excommunicato episcopo et apostolica auctoritate neglegenti. Hic detestabilis est coram Deo et hominibus, cuius condemnationi incondempnatus

a. *corr. in* nititur C. b. provenerunt C. c. *corr. in* zelum C. d. *corr. in* postulamus C. e. *corr. in* casata C. f. *corr. in* hesitationem 1. g. antea 1. h. *corr. in* fugere 1. i. *om.* 1.

1. 2 Corinth. 6, 15. 2. Matth. 10, 23.

751 Nov. 4 non communicabit[a]. Ipsi enim condempnabuntur in die irae et revelationis domini et salvatoris nostri Iesu Christi, dum sederit ad iudicandum genus humanum; sicut scriptum est: *Superbis ego resistam, dicit Dominus*[1].

Etenim de Sclavis, christianorum terram inhabitantibus, si oporteat censum accipere, interrogasti frater. Hic quidem consilium non indiget[b], dum rei causa est manifesta. Si enim sine tributo sederint, ipsam quandoque propriam sibi vindicabunt terram; si vero tributum dederint, norunt: dominatorem ipsam habere terram.

Nam et hoc flagitasti a nobis, sanctissime frater: in sacri canonis praedicatione quot in locis cruces facere debeantur, tuae significemus sanctitati. Votis autem tuis clementer inclinati, in rotulo[c] dato praedicto Lul religioso presbitero tuo, per loca signa sanctae crucis quante fieri debeant, infiximus.

His autem[d] se habentibus, Domini deprecamur[e] clementiam, licet peccatores, ut suo te muniat et confortet auxilio nosque annuat prosperitatis tuae semper laeta suscipere nuntia. Deus te incolumem custodiat, reverentissime frater. Data pridie Nonas Novembris, imperante domno piissimo augusto Constantino a Deo coronato magno imperatore anno tricesimo secundo, post consulatum[f] eius anno undecimo, indictione quinta.

---

81. *Zacharias papa Bonifatio episcopo et eius successoribus ecclesiam Moguntinam asserit sedem metropolitanam*[g]. (W 83, G 72)

751 Nov. 4 Zacharias papa Bonifatio episcopo sanctae ecclesiae Mogontiae, et per eum in eadem venerabile[h] ecclesiae, perpetuam salutem.

Qualiter dominus Deus noster propitiatus sit et laboribus sanctissime fraternitatis tuae cooperator extiterit, per singula

a. communicavit *MC*. b. *corr. in* indiges *C*. c. rotulo *corr. in* rodulo *M*. d. ita *add. C*. e. deprecamus *M*. f. pater *M*, imperii *in litura C*. *Scripsi* post consulatum; *v. supra p.* 17. g. *ex M* 53*v*, *C* 39*v*—40. *Sine lemmate M;* Epistola Zachariae ad Bonifatium *C*. h. *corr. in* et per eum eidem venerabili *C*.

1. Cf. Ierem. 50, 31, Iacob. 4, 6.

edicere, longum est tam, ut haec, quae obicimus, confirmemus. 751 Nov. 4
Quae ex parte[a] te narrante prospeximus. Igitur, dum in Germania provincia tua fraterna sanctitas ad praedicandum fuisset directa a sanctae recordationis praedecessore nostro domno Gregorio papa, et post inchoatum opus et aliqua ex parte spiritaliter aedificatum, Roma reversus, ab eo episcopus ordinatus et illic ad praedicandum denuo remissus es, et elaborasti Deo praevio nunc usque per annos 25[1] in eadem praedicatione, ex quo episcopatum suscepisti. Sed et in provincia Francorum nostra vice concilium habuisti[b]; et iuxta canonum instituta, Deo eis annuente, omnes flexi sunt oboedire. Et dum in his piis operibus occupata esset tua sancta fraternitas, nunc usque cathedralem sedem sibi minime vindicavit. At ubi vero[c] Deus praedicationem tuam auxit, obtinere[d] tibi cathedralem eclesiam vel successoribus tuis confirmare debemus iuxta eorundem filiorum Francorum petitionem. Et idcirco auctoritate beati Petri apostoli sancimus: ut supra dicta eclesia Mogontina nunc atque etiam perpetuis temporibus tibi et successoribus tuis metropolis sit confirmata; habens etiam sub se has 5 civitates — id est Tungris, Coloniam, Wormaciam, Spiratiam et Trectis[e] — et omnes Germaniae gentes, quas tua fraternitas per suam predicationem Christi lumen cognoscere fecit. His a nobis definitis, huius nostrae confirmationis paginam in tua eclesia perpetuis temporibus pro sui confirmatione conservandam esse mandamus. Bene valete. Data pridie Nonas Novembris imperante domno piissimo augusto Constantino a Deo coronato magno imperatore anno tricesimo secundo, post consulatum[f] eius anno undecimo, indictione quinta.

a. *caetera huius epistolae desunt in M, ubi folium quod sequebatur excisum est.* b. habuisti *alia manu in margine C additum est.* c. vero *deletum est in C.* d. *sequitur* ut *in C.* e. trectis *corr. in* traiectis *C.* f. imperii *in litura C. Scripsi* post consulatum; *v. supra p.* 17.

1. immo 29.

82. *Zacharias papa monasterium Fuldense ex cuiusque ecclesiae praeterquam Romanae potestate eximit bonaque eius confirmat*[a]. (W 88, G 77)

ex cod. Carlsruh. f. 40 — 40 *v.*

751 (Nov. 4) Zacharias papa Bonifatio episcopo et per eum in monasterio ab eo constructo successim abbatibus in perpetuum.

Quoniam[1] semper sunt concedenda, quae rationabilibus congruunt desideriis, oportet, ut devotioni conditoris piae constructionis auctoritas in privilegiis prestandis minime denegetur. Igitur quia postulasti a nobis, quatenus monasterium Salvatoris a te constructum in loco, qui vocatur Boconia, erga ripam fluminis Vultaha, privilegii sedis apostolicae infulis decoretur, ut sub iurisdicione sanctae nostrae, cui Deo auctore deservimus, eclesiae constitutum, nullius alterius eclesiae iurisdicionibus submittatur; pro qua re piis desideriis faventes, hac nostra auctoritate id, quod exposcitur, effectui mancipamus. Et ideo omnem cuius-

ex ed. Rom. et ex cod. Monacens. fol. 54.

Zacharias papa Bonifacio episcopo et per eum in monasterio ab eo constructo et success. abbatibus in perpetuum.

Quoniam[1] semper sunt concedenda, quae rationabilibus congruunt desideriis, oportet, ut devotio conditoris piae constructionis oraculo in privilegiis praestandis minime denegetur. Igitur quia postulasti a nobis, quatenus monasterium Salvatoris a te constructum, situm in loco, qui vocatur Bochonia[b], erga ripam fluminis[c] Fulda, privilegii sedis apostolicae infulis decoretur, ut sub iurisdictione sanctae nostrae, cui Deo auctore deservimus, ecclesiae constitutum, nullius alterius ecclesiae iurisdictionibus submittatur; pro qua re piis desideriis faventes, hac nostra auctoritate id, quod exposcitur,

a. *Huius tabulae exempla duo tradita sunt. Alterum legitur in cod. Carlsr. fol.* 40 — 40 *v cum lemmate hoc:* Epistola Zachariae ad Bonifatium; *alterius exempli (ex „ms. cod.“ editi in Epistolarum decretalium summorum pontificum, Romae* 1591, *T. II p.* 698*) fragmentum habetur in cod. Monacensis, quondam Moguntini, fol.* 54; *ubi folium praecedens excisum est. Vid. p.* 229 *n.* a. b. Bothonia *R.* c. qua *add. R.*

1. Utrumque tabulae huius exemplar nititur in formula Libri diurni Romanorum pontificum ed. Garnerius p. 118: „Quoniam semper sunt — existere temerator“.

libet eclesiae sacerdotem in praefato monasterio dicionem quamlibet habere aut auctoritatem praeter sedem apostolicam prohibemus; ita ut, nisi ab abbate monasterii fuerit invitatus, nec missarum ibidem sollempnitatem quispiam praesumat omnimodo celebrare, ut profecto, iuxta id quod subiectum apostolicae sedi firmitate privilegii consistit, inconcusse dotatum permaneat locis et rebus, tam eis, quas moderno tempore tenet vel possidet, quam quae futuris temporibus in iure ipsius monasterii divina pietas voluerit augere ex donis et oblationibus decimisque fidelium absque ullius personae contradictione, firmitate perpetua perfruatur. Constituimus quoque per huius decreti nostri paginam, ut, quicunque cuiuslibet eclesiae praesul vel quacunque dignitate praedita persona hanc nostri privilegii cartam, quam auctoritate principis apostolorum firmamus, temerare temptaverit, anathema sit et, iram Dei incurrens, a cetu sanctorum omnium extorris existat; et nihilominus praefati monasterii dignitas a nobis indulta perpetualiter inviolata permaneat, apostolica auctoritate subnixa. Bene vale[k].

effectui mancipemus. Et ideo omnem cuiuslibet ecclesiae sacerdotem in praefato monasterio ditionem quamlibet habere hac auctoritate praeter sedem apostolicam prohibemus; ita ut, nisi ab abbate monasterii fuerit invitatus, nec missarum solemnitatem ibidem quispiam praesumat omnimodo celebrare, ut profecto, iuxta id quod subiecti apostolicis privilegiis consistunt, inconcusse dotatus permaneat. Constituentes per huius decreti nostri paginam atque interdicentes omnibus cuiuslibet omnino ecclesiae praesulibus vel[a] cuiuscumque[b] dignitati[c] praeditis potestatem[d] sub anathematis interpositionem[e]: qui ei[f] praesumpserit praesenti[g] constituti, a nobis praefati monasterii[h] indulti, quolibet modo existere temerator. Bene vale[i]. 751 (Nov. 4)

a. vel — Bene vale *legitur in M fol.* 54. b. quacumque *R.* c. dignitate *R.* d. personis *ed. R.* e. interpositione *R.* f. huius *R.* g. praesentis *R.* h. praefato monasterio *R.* i. valete *R.* k. *ap. Othlonum in vita Bonifatii, cod. Trevirensis fol.* 116*v adduntur haec:* Data pridie Nonas Novembris imperante domno augusto Constantino anno 32 imperii eius, indictione quinta.

83. *Benedictus episcopus, sedis apostolicae vicedominus, Bonifatium afflictum consolatur*[a]. (S 145, W 85, G 74)

751 Nov. Domino sanctissimo atque amantissimo nobis in Christo patri Bonifatio archiepiscopo Benedictus episcopus[1] et vicedomnus[b] sedis sanctae apostolicae.

Praesens Lul venerabilis presbiter, paternae sanctitatis vestrae missus, honorandos nobis tuos attulit affatus. Quorum textus continebat: multis te necessitatibus et turbinibus esse tristatum per homines non timentes Deum et falsos episcopos atque pseudopresbiteros et fornicatores clericos eorumque iniquas actiones pravasque inmissiones[c], iamque et inimicantium et persequentium gentium. Quorum persecutio iniqua finem habebit interitus sempiterni. Etenim, sanctissime pater, omnes sancti quanta passi sunt tormenta, ut securi possiderent vitae aeternae palmam[2]. Habemus consolatorem egregium apostolum Paulum, qui docet: *Oportet nos per multas tribulationes intrare in regnum Dei*[3]. Magna tibi est merces, o sanctissime pater, et corona gloriae coram omnipotente Deo, dum omnia toleranter sustines propter divinum mandatum et praedicationem euangelii Iesu Christi domini dei et salvatoris nostri. Cuius, licet peccator, potentiam deprecor: ut domino meo beato apostolorum principi Petro intercedente, cuius et vicem agis inter feroces et indomitas gentes, ut ipse te sua pietate custodiat, et decursum[d] ministerii tui in die adventus eius copiosum fructum adferre valeas et a conditore omnium Deo remunerationis premium centuplum accipias et vitam aeternam possideas. Etenim, me ipsum sanctis tuis orationibus commendans, ut valui in verbo et opere, praedicto tuo misso adiutor apparui. Benedictionem denique a vestra beatitudine missam, sicut a patre meo, suscepi; et omnipotenti Deo gratias egi et vestre sanctissimae paternitati. Etenim, beatissimę pater, parvum munusculum sancti-

a. *ex M* 61—61*v*, *C* 45*v*—46*v*. *Sine lemmate M;* Epistola Benedicti episcopi vicedomini sedis apostolicae ad Bonifatium *C*. b. vicedñe *M*. c. inmisiones *M*. d. *corr. in* de cursu *C*.

1. Nomentanus, ut videtur. 2. Cf. Sap. 3, 4. 3. Act. apost. 14, 21.

tati vestrae direxi: sabanum unum et facitergium unum et modica thymiama[a]. Quod[b] peto ut absque iniuria vestra honoranda paternitas suscipere non dedignetur. Vale[c] in Christo semper, amantissime pater. 751 Nov.

---

84. *Bonifatius Fulredum presbyterum et abbatem S. Dionysii rogat, ut propter imminentem mortem suam discipulos suos Pippino regi commendet*[d]. (S 92, W 90, G 79)

Bonifacius servus servorum Dei, gratia Christi episcopus, carissimo consacerdoti Fulredo presbitero[1] perennem in Christo caritatis salutem. 753—754

Fraternae dilectionis tuae spiritalem[e] amicitiam, quam sepe in necessitatibus meis pro Dei intuitu mecum fecisti, dignas gratias, quantas meruisti, persolvere non possum; sed Deum omnipotentem deprecor, ut tibi in alto caelorum culmine mercedis[f] praemia in gaudio angelorum aeternaliter retribuat. Nunc autem in Christi nomine deprecor, ut, quod bono initio cepisti, cum bono Dei[g] fine perficias[h]. Id est, ut meo verbo gloriosum et amabilem regem nostrum Pippinum salutaveris; et illi magnas gratias referas[i] de omnibus pietatis operibus, quae[k] mecum fecit; et ut illi referas, quod mihi et amicis meis veri[l] simile[m] esse videtur. Videtur[n], ut vitam istam temporalem et cursum dierum meorum per istas infirmitates cito debeam finire. Propterea deprecor celsitudinem regis nostri pro nomine Christi filii[o] Dei: ut mihi nunc viventi indicare et mandare dignetur circa discipulos meos, qualem[p] mercedem postea de illis facere voluerit. Sunt enim pene omnes peregrini. Quidam presbiteri per multa loca ad ministerium ecclesiae et populorum constituti; quidam sunt monachi per cellulas nostras et infantes ad

a. *corr. in* thymiamata *C.* b. *corr. in* quae *C.* c. Vale — pater *om. M.* d. *ex M* 118—119, *C* 93—94*v*, *V* 58*v*—59. *Sine lemmate.* e. spiritalium *M.* f. percedis *V.* g. *om. M.* h. percipias *V.* i. referres *corr. in* referras *V.* k. qui *V.* l. veri *addidi.* m. simile esse *M*, similis esse *C*, simili esse *V.* n. Videtur *om. M.* o. fili *M.* p. sibi *superscriptum est in C.*

1. et abbati S. Dionysii.

753—754 legendas[a] litteras ordinati; sunt et aliqui seniores, qui longo[b] tempore, mecum viventes, laboraverunt et me adiuvabant[1]. . . .

---


85. *Bonifatius a Pippino rege petit, ut presbyteris suis consulat; et Lullus, chorepiscopus suus, praedicator et doctor presbyterorum et populorum instituatur*[c 2]. (S 92, W 90, G 79)

753—754 . . . . De his omnibus sollicitus sum: ut post obitum meum non disperdantur; sed ut habeant mercedis vestrae consilium et patrocinium celsitudinis vestrae, et non sint dispersi sicut oves non habentes pastorem; et populi prope marcam paganorum non perdant legem Christi. Propterea almitatis vestrae clementiam diligenter in Dei nomine deprecor: ut filiolum meum et corepiscopum[d] Lullum, si Deus voluerit et si clementiae vestrae[e] placeat, in hoc ministerium populorum et ecclesiarum conponere et constituere faciatis praedicatorem et doctorem presbiterorum et populorum. Et spero, si Deus voluerit, quod in illo habeant presbiteri magistrum et monachi regularem doctorem et populi christiani fidelem praedicatorem et pastorem. Propterea autem[f] maxime hoc[g] fieri peto, quia presbiteri mei prope marcam paganorum pauperculam vitam habeant[h]. Panem ad manducandum adquirere possunt; sed vestimenta invenire ibi non possunt, nisi aliunde consilium et adiutorem habeant, ut sustinere et indurare[i] in illis locis ad ministerium populi possint; eodem modo, sicut ego illos adiuvavi[k]. Et si pietas Christi hoc vobis inspiraverit et hoc, quod

a. legentes *MV, corr. in* legendas *C.* b. longa *V.* c. *ex M* 119, *C* 94*v*, *V* 59. d. chorepiscopum *C.* e. uā *V.* f. *om. M; superscriptum est* autem *in C;* hoc (*pro* h̄) *in V.* g. h̄ *MV.* h. *corr. in* habent *C.* i. *corr. in* perdurare *C.* k. *corr. in* adiuvi *M.*

1. Hoc Bonifatii ad Fulredum epistolae exordium in codicibus et editionibus cum extrema parte similium ad Pippinum regem litterarum (v. ep. 85 infra) coaluit. Quae quidem membra quantopere differant inter se, primus vidit Ludovicus Oelsner (De Pippino rege Francorum, Vratislaviae 1853 p. 18). Ad Fulradum enim pertinet allocutio haec: „Fraternae dilectionis spiritalem amicitiam"; ad regem Pippinum haec: „patrocinium celsitudinis vestrae", et „almitatis vestrae clementia" et „si clementiae vestrae placeat" et „per litteras pietatis vestrae". Quare non iungenda disiunxi. 2. de hac epistola confer huius paginae not. 1.

peto, consentire et facere volueritis, per hos missos meos prae- 753—754
sentes aut per litteras pietatis vestrae hoc mihi mandare et indicare dignemini; ut eo letior in mercede vestra vel vivam vel moriar.

 [a]

86. *Bonifatius Buggan abbatissam consolatur*[b]. (S 2, WG 31)

Venerande ac dilectissime sorori Buggan Bonifatius, qui et 723—755
Wynfrethus[c], servus servorum Dei optabilem in Christo caritatis salutem.

O soror carissima, postquam nos timor Christi et amor peregrinationis longa et lata terrarum ac maris intercapedine separavit, multorum relatu audivi tempestates tribulationum, quae tibi in senectute Deo permittente supervenerunt. Merore contristatus ingemui; reputans, quia, postquam quietem contemplativae vitae quaerendo maiores monasteriorum sollicitudines abiecisti[d], frequentiores et validiores tribulationes occurrerunt.

Nunc autem, soror veneranda, tribulationibus tuis conpatiens, fraternas et hortatorias[e] et consolatorias, beneficiorum tuorum et antiquarum amicitiarum[f] memor, litteras ad te transmitto; rogans, ut mente non excedat sententia veritatis, qua dixit: *In patientia vestra possidebitis animas vestras*[1]; et verbum sapientissimi Salomonis: *Quem diligit Deus*[g], *corripit*[h][2] *omnem filium, quem recipit*[3]; et psalmigraphi sententia: *Multae tribulationes iustorum, et de his omnibus liberavit*[i] *eos Dominus*[4]; et alibi: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor contritum et humiliatum Deus non spernit*[5]. Et recordare aposto-

a. *haec signa non habentur nisi in cod. Vindob.* b. *ex M* 72*v* — 73*v*, *C* 56 — 57, *V* 2 — 2*v*. *Lemma:* Item epistola Bonifacii archiepiscopi *MCV*. c. Winfredus *MC*. d. abiecisti — tribulationes *om. M*. e. exhortatorias *M pro* et h. f. *om. M*. g. Dominus *C*. h. castigat a(utem) *add. manus corrigens in marg. C*. i. *corr. in* liberabit *C*.

1. Luc. 21, 19. 2. Prov. 3, 12. 3. Hebr. 12, 6. 4. Ps. 33, 20. 5. Ps. 50, 19.

723—755 licae sententiae, qua dixit: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei*[1]; et alibi: *Gloriamur in tribulationibus, scientes, quod tribulatio patientiam operatur*[2]; *patientia autem*[a] *probationem, probatio vero spem*[3]; *spes autem non confundit*[4]. De ista spe, soror carissima, semper gaude et laetare, quia non confunderis; et tribulationes mundanas toto mentis adnisu[b] contemne, quia omnes milites Christi utriusque[c] sexus tempestates et tribulationes infirmitatesque huius saeculi despexerunt[d] pro nihiloque duxerunt[e], sancto Paulo attestante, qui ait: *Quando infirmor, tunc potens sum*[5]; et alibi: *Quis nos separabit*[f] *a caritate Christi? tribulatio?*[6] et reliqua usque *qui nos dilexit*[7]. Qui[g] pater et amator castae virginitatis tuae, qui te primevo tempore iuventutis tuae, paterne dilectionis voce ad se invitans, filiam vocavit, dicendo per prophetam: *Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum patris tui*[8]; *quia concupivit rex speciem tuam*[9], ipse est, qui modo in senectute tua laboribus et tribulationibus speciem et pulchritudinem animae tuae decorare et adornare desiderat. Tu autem, carissima, de futura hereditate patriae caelestis in spe gaudens, contra omnes adversitates sive cordis sive corporis scutum fidei et patientiae obpone[h]; ut et, Christo sponso cooperante, turris euangelicae aedificium, quod in bona iuventute coepisti, in senectute bella ad gloriam Dei perficias, ut[i], Christo veniente, cum sapientibus virginibus lampadem cum oleo fulgentem in obviam portare[10] merearis. Inter ea intimis obsecro precibus, ut, memor[k] promissionis antique, pro me orare digneris: ut Dominus, qui est redemptor noster et salus omnium, de istis multifariis periculis animam meam eripiat in fructu spiritali. Vale in Christo.

a. h' *V.* b. adniri *M, corr. in* annisu *C,* adnixu *V.* c. utrius *M.* d. dispexerunt *V.* e. dixerunt *M.* f. separavit *MV.* g. qui *corr. in* quippe *C.* h. obponet *V.* i. ut cum *MV,* cum *est deletum in C.* k. memmi *V.*

1. Act. apost. 14, 21. 2. Rom. 5, 3. 3. Rom. 5, 4. 4. Rom. 5, 5. 5. 2 Corinth. 12, 10. 6. Rom. 8, 35. 7. Rom. 8, 37. 8. Ps. 44, 11. 9. Cf. Ps. 44, 12. 10. Cf. Matth. 25, 1.

87. *Bonifatius N. monacham hortatur, ut pro se precetur*[a]. (S 16, WG 27)

Reverentissimae et dilectissimae ancille Christi N.[b] Bonifacius supplex servus servorum Dei in Christo sinceram caritatis salutem. 723—755

Caritatis vestrae clementiam intimis obsecramus precibus, ut pro nobis peccatoribus apud Deum[c] intercedere curetis. Quia multis et variis tempestatum turbinibus concussi[d] et quassati sumus sive a paganis sive a falsis christianis seu a fornicariis clericis sive a pseudosacerdotibus; et maxime[e], ut timemus, nostris meritis exigentibus tribulamur. Sed ut consolemur et eripiamur orationibus vestris, deprecamur. Et confidimus in domino Iesu, quia per orationes vestrae dilectionis et veniam peccatorum et tranquillitatem tempestatum invenire mereamur. Quia fidelis promissor Iacobus apostolus dixit: *Confitemini alterutrum peccata vestra, ut salvemini; multum enim valet deprecatio iusti adsidua*[1]; et Iohannes euangelista in prima epistola ait: *Scimus, quoniam audit nos*[f], *quidquid petierimus; scimus, quoniam habemus petitiones, quas postulamus ab eo*[2]. Et quia iam ante de hoc ipso deprecatus sum, rogo, ut non indignemini; eo quod raro petere non debeo, quod sine intermissione semper fieri desidero. Quia cotidiana tribulatio divina solamina fratrum ac sororum me quaerere admonet. Praeterea, quia timemus, easdem temptationes satanae ibi esse, quae hic sunt, secundum dictum apostoli: *Stabiles estote et inmobiles, habundantes in opere Domini semper; scientes, quod labor vester non est inanis in Domino*[3]; et alibi: *Vigilate et state in fide, viriliter agite et confortamini*[4]; *omnia vestra cum*[g] *caritate fiant*[5]. Et si egestas tangat, dicti euangelici nolite oblivisci: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum*[6]. Si

a. *ex M* 87*v* — 88*v*, *C* 69 — 70, *V* 8*v* — 9. *Lemma:* Item epistola Bonifacii archiepiscopi *MCV*. b. N̄ *MC*, .N. *V*. c. Dominum *M*. d. concusi *V*. e. maximae *C*. f. et *superscriptum est in C*. g. in *M*.

1. Iacob. 5, 16. 2. 1 Ioh. 5, 15. 3. 1 Corinth. 15, 58. 4. 1 Corinth. 16, 13. 5. 1 Corinth. 16, 14. 6. Matth. 5, 3.

723—755 tribulatio veniat, memores estote veritatis dicentis: *In patientia vestra possidebitis animas vestras*[1]; et in psalmo: *Patientia pauperum non peribit in finem*[2]. Si infirmitas corporis, Pauli apostoli sententia proferatur, qua dixit: *Quando infirmor, tunc potens sum*[3]; et: *Virtus in infirmitate perficitur*[4].

---

88. *Bonifatius Buggae abbatissae, num demigret consulenti, respondet. Se sententias expetitas postero tempore missurum esse, promittit. De muneribus gratias agit*[a]. (S 20, WG 32)

723—755 Dominae dilectissimae et in amore Christi omnibus ceteris feminini[b] sexus praeferendae sorori Buggan abbatissae Bonifacius exiguus, indignus episcopus, aeternam in Christo salutem.

Notum sit tibi, soror carissima, de illo consilio, quo me indignum per litteras interrogasti: quod ego tibi iter peregrinum nec interdicere per me nec audenter suadere praesumo. Sed, quod visum est, dicam. Si enim sollicitudinem, quam erga servos[c] Dei et ancillas[d] et monasterialem vitam habuisti, propter adquirendam quietem et contemplationem Dei dimisisti, quomodo debes nunc saecularium hominum verbis et voluntatibus servire cum labore et tediosa sollicitudine? Melius enim[e] mihi videtur, si propter saeculares in patria libertatem quiete[f] mentis habere nullatenus possis: ut per[g] peregrinationem libertatem contemplationis, si volueris et possis, adquiras; quem ad modum soror nostra Wiethburga[h] faciebat. Quae mihi per suas litteras intimavit, quod talem vitae[i] quietem invenisset iuxta limina sancti Petri, qualem longum tempus desiderando quaesivit. De isto autem tuo desiderio illa mihi mandavit, — quia de te ad illam scripsi — ut expectes, donec rebelliones et temptationes et minae Sarracenorum, quae apud Romanos[k] nuper emerserunt, conquieverint, et quoad usque illa Deo volente suas litteras invitatorias ad te dirigat. Et hoc mihi

a. *ex M* 94*v* — 95*v*, *C* 76 — 76*v*, *V* 12*v* — 13. *Lemma:* Item epistola Bonifacii archiepiscopi *MCV*. b. femini *V*. c. servus *V*. d. ancellas *V*. e. .ē. *M*. f. quietem *MC*. g. per *om. C*, in *V*. h. Wiehtburga *V*. i. vitam *MV et C*. k. Romonos *C*.

1. Luc. 21, 19. 2. Ps. 9, 19. 3. 2 Cor. 12, 10. 4. 2 Cor. 12, 9.

optimum videtur esse. Et praepares tibi necessaria[a] itineris, et sustineas verbum eius; et postea[b], quod pietas Domini iusserit, facias. 723—755

De conscriptione autem sententiarum, de qua rogasti, peccatis meis indulgere[c] habes. Quia propter instantes labores et itinera continua adhuc perfecte[d] conscriptum, quod rogasti, non habeam. Sed, cum inplevero, ad praesentiam dilectionis tuae transmittere curabo.

De muneribus namque et vestimentis, quae misisti, gratias agentes, Deum omnipotentem rogamus, ut tibi praemium remunerationis aeternae cum angelis et archangelis in alto caelorum culmine reponet[e]. Obsecro igitur per Deum sororem carissimam immo matrem ac dominam dulcissimam, ut adsidue pro me orare dignetur. Quia pro peccatis meis multis tribulationibus fatigor, et multo maiore mentis tribulatione et sollicitudine quam corporis labore conturbor. Fidem antiquam inter nos numquam deficere scias. Vale in Christo.

---

89. *Bonifatius quendam hortatur, ut deum pro se invocet*[f].
(S 23, W 98, G 87)

Reverentissimo fratri et spiritalis germanitatis propinquitate conexo Bonifacius exiguus servus servorum Dei perennem in Christo caritatis salutem. 723—755

Clementiam fraternitatis vestrae intimis flagitamus precibus, ut, nostrae mediocritatis memores, intercedere dignemini, quia peccatis nostris exigentibus periculosi maris tempestatibus undique quatimur; rogantes: ut ille[g], qui in altis habitat et humilia respicit[1], indulgens flagitia, prestet nobis verbum in apertione oris nostri[2], ut currat et clarificetur[3] inter gentes euangelium gloriae Christi.

a. necesaria *C.* b. post *C.* c. indulge *M.* d. perfectae *C.* e. *sic codd.* f. *ex C* 106—106*v*, *V* 17. *Lemmata:* Epistola Bonifatii *C;* Item epistola Bonifacii archiepiscopi *V.* g. illae *V.*

1. Ps. 112, 5. 6. 2. Ephes. 6, 19. 3. 2 Thess. 3, 1.

90. *Bonifatius Aldherium abbatem rogat, ut una cum sua congregatione pro ipso, pro Germanis, pro mortuis quibusdam Deo supplicet*[a]. (S 24, W 100, G 89)

732—755 Venerando fratri Aldherio abbati Bonifacius exiguus servus servorum Dei in Christo salutem.

Caritatis vestrae clementiam medullatis et intimis precordiorum obsecramus precibus, ut in vestris sacrosanctis orationibus intercedendo nostri memores esse dignemini et almitatis vestrae precibus inploretis: ut pius Dominus, qui causa est peregrinationis nostrae, navem fragilitatis nostrae, ne fluctibus Germanicarum tempestatum submergatur, dextera sua protegente et gubernante, inlesam custodiendo ad caelestis Hierusalem litus tranquillum perducat. Salutate[b] omnes fratres sanctae congregationis vestrae, nostros in Deo carissimos, in osculo dilectionis ac devotionis nostrae. Commendamus scilicet nos vestris[c] orationibus, ut, sive viventes sive morientes, vestrae communioni[d] caritatis sociemur. Et ut hoc ita firmetur, devotione fraternae caritatis a vobis iuxta voluntatem clementiae vestrae[e] promereri[f] volumus, in quantum potestas profectum adtribuerit. Petimus quoque, ut pro Germanicis gentibus[g], idolorum culturae deditis, intercedere curetis; rogantes Dominum, qui pro totius mundi salute proprium sanguinem fudit et vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire[1], ut eas ad agnitionem creatoris et ad gremium matris aecclesiae convertat. Similiter, ut pro dormientium fratrum animabus, qui nobiscum laborabant in Domino, orationum adiuvamina et missarum sollemnia celebrare faciatis, precamur; quorum nomina gerulus harum litterarum demonstrabit[h]. Valere beatitudinem vestram et sanctis successibus proficere in Christo diligenter optamus.

a. *ex C* 106*v*—107, *V* 17—17*v*. *Lemmata:* Epistola Bonifatii ad Altherium *C;* Item epistola Bonifacii archiepiscopi *V*. b. Salutẽ *C*. c. nostris *C*. d. commoni *V*. e. caritatis *add. C*. f. promereri *MC*. g. gentis *VC*. h. demonstravit *V, corr. in* demonstrabit *C*.

1. 1 Timoth. 2, 4.

91. *Bonifatius Leobgytham, Teclam, Cynehildam cohortatur, ut preces pro se faciant*[a]. (S 25, WG 22)

Venerandis et amandis carissimis sororibus Leobgythae[b 1] 723—755
et Teclae[c 2] nec non et Cynehildae[d 3] et omnibus in Christo diligendis sororibus, vobis cohabitantibus, aeterne caritatis salutem.

Obsecro et praecipio quasi filiabus carissimis, quemadmodum vos iam incessanter facere et fecisse et facturas esse confidimus, ut vestris orationibus crebris Dominum deprecemini: ut *liberemur* iuxta dictum apostoli *ab inportunis et malis hominibus; non enim est omnium fides*[4] — et scitote, quia Deum laudamus, et tribulationes cordis nostri dilatatae sunt[e] — ut dominus Deus, qui est refugium pauperum[5] et spes humilium, de necessitatibus nostris et de temptationibus huius saeculi nequam eripiat nos; ut sermo Domini currat et clarificetur[6] gloriosum euangelium Christi, ut gratia Domini in me vacua non sit[f 7] et — quia ultimus et pessimus sum omnium legatorum, quos catholica et apostolica Romana ecclesia ad praedicandum euangelium destinavit — ut omnino sine fructu euangelii sterilis[g] non moriar, et vacuus filiorum et filiarum numero non revertar; ne de abscondito talento[8] Domino veniente reus esse iudicer nec, peccatis exigentibus, vice laboris pro mercede ultionem infructuosi laboris accipiam ab eo, qui misit me. Multi enim, quod peius est, quos oves in futuro iudicio ad dexteram Christi ponendos[h] fore censebam, versa vice, putidae[i] et petulcae et ad sinistram statuendae capellae esse dinoscuntur. Et pietatem Domini precamini: ut spiritu principali confirmet[9] cor meum Deus, qui me indignum pastorem in populo vocari voluit;

a. *ex M* 102*v* —103*v*, *C* 82*v* — 83*v*, *V* 17*v* —18. *Lemma:* Item epistola Bonifacii archiepiscopi *MCV*. b. Leobguthe *MC*. c. Dede *MC*, Teclae *V*. d. Cunihildae *MC*, Cynehildae *V*. e. tribulatio — dilatata est *C*. f. fuit *M*. g. sterelis *V*. h. ponendos *MV*, *corr. in* ponendas *C*. i. pudidae *M*, *corr. in* putidae *C*.

1. quam Bonifatius abbatissam Biscopesheimensem creavit. 2. quae Kizzingensi coenobio praefecta abbatissa est. 3. quam in Thuringia „magistram constituit“ Bonifatius; teste Othlono in vita Bonifatii. 4. 2 Thessal. 3, 2. 5. Ps. 9, 10. 6. 2 Thessal. 3, 1. 7. 1 Cor. 15, 10. 8. Matth. 25, 25. 9. Ps. 50, 14.

723—755 ut, lupo veniente, more mercinarii[a] non fugiam[1], sed exemplo boni pastoris agnos pariter cum matribus, ecclesiam scilicet catholicam cum filiis et filiabus suis, contra hereticos et scismaticos vel hypochritas fideliter ac fiducialiter defensare studeam[b]. Praeterea, quia dies mali sunt, nolite esse inprudentes, sed intellegentes quae sit voluntas Dei[2]. Quamobrem confortamini[c] et state in fide et viriliter agite et confortamini[3]. Omnia vestra cum caritate fiant[4], et iuxta euangelium in patientia vestra possidebitis animas vestras[5]. Et recordamini sanctorum apostolorum et prophetarum. Quia[d] multum laboraverunt in Domino[e], ideo adepti sunt premia sempiterna; et iuxta psalmistam: *Multae tribulationes iustorum, sed de his omnibus liberavit eos Dominus*[f][6]; et iuxta euangelium: *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*[7].

---

92. *Bonifatius Regeberhto praefecto nuntium suum Romam euntem commendat*[g]. (S 29, W 49, G 47)

723—755 Carissimo filio Regeberhto[h] praefecto Bonifacius servus servorum Dei in Domino aeternam salutem.

Dignitatis tuae clementiam[i] obsecramus precibus: ut hunc missum litterarum mearum, Romam pergentem propter responsa ecclesiastica et orationum causa, per vestros fines conservatum transire permittatis; ut eum adiuvare in propriis necessitatibus dignemini, sicut prioribus missis nostris fecistis[k] mihi revertentes referebant. Agite ergo de hac petitione, ut merces vestra coram Deo crescat et multiplicetur. Vale in Christo.

---

93. *Bonifatius Leobgythae (abbatissae Biscopesheimensi) concedit, ut puellam quandam erudiri iubeat*[l]. (S 31, WG 23)

723—755 Venerande Christi famulae et caritate sincerissima peren-

a. *corr. in* mercennarii *C.* b. studeamus *C.* c. *sic codd. pro* vigilate. d. qui *C.* e. et *add. C* f. *om. C.* g. *ex M* 104*v*, *C* 84*v*, *V* 19. *Lemma:* Item epistola Bonifacii archiepiscopi *MV*, Item epistola Bonifatii *C.* h. Regebertho *M*, Regeberhto *C*, Regenberhto *V.* i. intimis *addidit manus* 2 *in C.* k. quod *addidit manus* 2 *in C.* l. *ex M* 105, *C* 84*v*—85, *V* 19. *Lemma:* Item epistola Bonifacii archiepiscopi *MCV.*

1. Ioh. 10, 12. 2. Ephes. 5, 16. 17. 3. 1 Cor. 16, 13. 4. 1 Cor. 16, 14. 5. Luc. 21, 19. 6. Ps. 33, 20. 7. Matth. 10, 22.

niter continendae Leobgythae[a] Bonifacius servus servorum Dei optabilem in Christo salutem. 723—755

Notum tuae sit sanctitatis dilectioni, quia frater et conpresbiter noster nomine Torhthat[b] nobis referebat, quod a te suis precibus impetraret: ut puelle cuidam doctrine laborem — si noster consensus licentiam tribuisset — tempore imperes[c] aliquanto. Quapropter, secundum quod dilectio tua pro suae[d] mercedis augmento de hac re consultum putaverit, nostram consentire et favere voluntatem, indubitanter cognosce. Vale in Christo.

---

94. *Cenae Bonifatio de sua erga eum voluntate scribit*[e].

(S 37, WG 34)

Venerando pontifici Bonifacio Christi amatori Cenę[f] indigna salutem. 723—755

Iam fateor tibi, carissime, quia licet te corporalibus oculis raro intuear, quod te tamen spiritalibus cordis luminibus iugiter aspicere non cesso. Et haec parva munuscula magis indicia caritatis sunt, quam ut tuae sanctitati digna sint. Et hoc tibi notum facio, quod usque ad finem vitae meae te semper in meis orationibus recordor. Et te rogo per creditam amicitiam: ut meae[g] parvitati fidelis sis, sicut in te credo; et ut mihi[h] in tuis orationibus adiuvas[i], ut Deus omnipotens vitam meam secundum suam voluntatem disponat. Et rogo, ut, si umquam[k] aliquis tuorum ad hanc provinciam veniat: ut meam paupertatem interpellat[l] et, si in aliqua re vel carnalis commodi vel spiritalis amminiculi vel tibi vel alicui[m] tuorum possim adiuvare, ut mihi indicet, et ego — ad magnam salutem animae meae, ut credo[n] — secundum vires meas imperium tuum atque iussionem adimpleam. Vale semper in Deo.

a. Leobgyde *M,* Leobguthae *C,* Leobgythę *V.* b. Torhtahat *M.* c. inoperis *M.* d. sua *M.* e. *ex M* 106*v*—107, *C* 86—86*v*, *V* 21*v*. *Lemma:* Item epistola Cenae *MCV.* f. Cęne *M.* g. me *M.* h. *corr. in* me *C.* i. *corr. in* adiuves *C.* k. inquam *M.* l. *corr. in* interpellet *C.* m. *corr. in* te vel aliquem *C.* n. ut credo *scripsi pro* credo ut *codd.*

95. *Quidam cuidam abbatissae et cuidam monachae refert de sua peregrinatione Romana, de sua orbitate et aegrotatione. Memorat, se antea ab iis diligentissime curatum esse. Arte poetica per Bonifatium eruditus, versus a se factos iis mittit*[a]. (S 69, W 81)

723—755 Splendida virginitatis castimonia florentis preditae, lymphaque superni laticis melliflua caelitus inrigate, nobili non solum carnali generositatis prosapia virgini verum etiam, quod prestantius est, spiritali dignitatis honore insigniter comptae, Christicolarum[b], leve iugum Dei gestantium, gubernatrici et monastice conversationis normam regulariter authenticis priscorum patrum formulis commisso[c] sibi gregi indefesse prebenti .N., nec non inclitae pubertatis indoli, candido integritatis vestimento incorruptae adeque decorate caelestique gurgitis unda, late manantis vivi et semper habundantis, potate, non solum exteriore litterarum studio verum etiam interiore divinae scientiae luce illustrate .N., absque precedente meritorum adminiculo .N., spiritalis officii munificentia fungens, in angulari lapide, Christo[1] videlicet, optabilem salutem.

Fateor caritati vestrae: postquam Brittanice telluris inclita sceptra, divine pietatis ammonitione ut reor salubri tactus, fugiens deserui; relictaque fecundissima natalis patriae insula — quam glauca spumantis maris cerula, infligentia[d] scopolosis marginibus, undique vallant — fragilitatis meae conscius et scęlerum meorum aliquatenus tunc reminiscens, una cum totius propinquitatis meae propemodum caterva Christo favente[e] ferventis ingruentibus pelagi molibus transvectus, huius regionis marginem applicuisse, gratulans votorum compos tripudiabam; liminibusque beatorum apostolorum, orationis causa demendi innumera piaculorum meorum pondera, pergendo me satagebam presentare; ibique cunctis adfinitatis meae propinquis propemodum longo quietis somno sopitis[f], solus in huius exilii calamitate,

a. *ex V* 38*v* — 39*v*. *Sine lemmate.* b. Christi comptae collarum *V*. c. commiso *V*. d. inflientia *V*. e. fabente *V*. f. sospitis *V*.

1. V. Ephes. 2, 20.

orbatus et mirum[a] — haut secus dicendum mihi est — quam 723—755 tristis merensque remansi. Non tamen incolomitate corporis pristina robustisque membrorum artubus huius pestis valitudinem evasi; sed — gratia et laus pio flagellatori — omnibus membrorum conpaginibus quassatis et contritis, anhelans fatigatus resto. . . . . quod mihi per usum et novum et vetus est, nullam repperisse me istic habitantium feminini sexus personam fideliorem in omnibus, non adolationis causa sed veritatis firmitate contestans; dum me ammodum ante quinquies quina mensium volumina, toto vexatum corpore, febris anhele frigus et calor decoquerent, benigna caritatis humanitate memini susceptum. Quod utique iuxta preceptum Domini tunc vos infirmo aegrotoque non ignoro egisse[b] ob[c] aeternae retributionis mercedem. Eandem quoque actenus parum pigrae fraternitatis affectus dilectionem divini amoris obtentu conplentes observare dinoscimini.

Qua de re scribendi vobis materiam nequaquam incongruam[d] nanctus[e], qua amabilem vestrae germanitatis spiritalem necessitudinem caraxando alloquerer, cum me Christus, cunctorum bonorum largitor, preeunte clementia sua, discentiae[f] caelesti gratiae suae rore aliquantulum versuum[g] participem efficeret. Ideo vobis dirigere versiculos metrica[h] ratione conpositos, diu fixum mente tenui, corde simul dulce habui, quia nullos legentium novi, quibus libentius mitterem; ubi pro certo scio nullam dirae fraudis suspicione mentem distinantis mordere nec dictantem hostili vituperatione lacerare, licet vitiosa pagina scabraque scedula repperiatur. Hanc itaque nuper metrice artis peritiam domini nostri omnium generalis meique specialis, presulis venerandi Bonifacii, sub magisterio didiceram; quo mihi — post inluminatorem celestem, cui secreta cordis patent et quem occulta et abdita non latent — mentis obtutus aperitur et arida pectora mea imbre superni nectaris cotidie caelesti inrigantur.

Hos namque versus iocistae[1] more caraxatos repperietis,

a. merui *V.* b. gisso *V.* c. ab *V.* d. incongruum *V.* e. sum *excidisse videtur.* f. discentium *V.* g. per suum *V.* h. metrice *V.*

1. hominis iocosi.

723—755 si diligenter non dedignemini litterarum perscrutari capita, hoc est quaternis versibus ceteros in medio positos velut ambitu quodam cingentes[a]. Illi[b] autem[c], quos tuo nomine proprie pretitulavi, ceu spiritalis matris, a principio incipiunt regulariter ad finem usque decurrentes. Discipulae vero meae a calce[d] tuorum inchoant, non inoportune, quia discipula magistram sicut ancilla dominam suam sequi debeat:

Esto ƒΛςĦVVƂ memor Domini regnantis in ede;

ita de fine inchoant:

ĦDKĦVXIV ÓĦISTO memor Domini caelorum in arcę.

Si quid autem huic operi minime congruum tortumque et contra regulam grammaticae artis insertum invenietis, hoc polire runcinando, sumpta lima ex officina grammaticorum, reminiscemini. Illud etiam subnixa prece flagito[e], et[f] per illam inmarcescibilem spiritalis amicitiae necessitudinem: ut nemini hoc opus ostendatis sine meo consensu, vel huius operis personam prodatis absque licentia mea; ne inde dira seges[g] invidiae crescat, unde verae pacis concordia pululare debuit. Sed potius pacti foederis germanitatisque, copulatae vicissim apud nos firmissima sponsione dextrarum, memores perenniter estote; meique laboris sudori purissimis orationum vestrarum precatibus favere, suppliciter posco, dignemini.*

* *Sequuntur in cod. (V) haec:*

1. metrohocangissitissignacohortem
   ɯǝʇɹoɥoɔɐuƃıssıʇıssıƃuɐɔoɥoɹʇǝɯ
2. asc. berc. can. donr. ehu. feli. gip. hagal. is. ker. lagu. man. not. os. pert. quirun. rat. suigil. tac. ur. ilc. ian. zar[1].
3. RRR rex (vel regnum) romanorum ruit.
   PPP pater patriae profectus est.
   FFF ferro frigore fame.
   MMM monitum monumentum mortuus est.
   VVV victor vitalis veniet.
   AAA aurum a nobis aufert.

a. *an* cingentibus *V.* b. Illos *V.* c. ł *V.* d. calcae *V.* e. flagitto *V.* f. ut *V.* g. reges *V.*

1. Haec sunt runarum nomina, de quibus cf. W. Grimm Ueber deutsche Runen p. 106.

96. *Bonifatius Denehardo presbytero Athalhere servum, uxorem ducturum, commendat*[a]. (S 30, W 99, G 88)

Bonifacius servus servorum Dei Denehardo presbitero in Christo salutem. c. 732-755

Mando tibi, carissime, de praesente[b] puero Athalhere[c]: si illi[d] necessitas in sua causa contingat, ut eum adiuvare studeas, sicut ingenuum hominem; et sic pro illo promittas amicis eius, non quasi pro[e] servo. Et ego sic conprobavi, quia disponsare[f] sibi disponit[g] coniugem; ut non timeat, quod servus sit. Vale in Christo.

---

97. *Lullus Leobgytham monet, ne de sua erga eam pietate dubitet. Qua re indigeat, per Gundwinum significari sibi vult*[h]. (S 46, W 102b, G 92)

Sorori in Christo carissimae Leobgythae[1] Lullus exiguus, servus autem domni Bonifacii discipulorum, in Domino salutem. c. 732-755

Non inmemorem tuae sagacitatis industriam estimo euangelicae sententiae, qua dicitur: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum*[2]. Illa paupertas patienter ferenda est, eodem euangelista testante, qui ait: *In patientia vestra possidebitis animas vestras*[3]. Illud Daviticum[i] [4] corde retinens[k], quia secundum multitudinem dolorum tuorum consolationes Dei laetificaverunt[l] animam tuam. Nec enim contemptui vel oblivioni tuam sinceram in Domino germanitatem deditam[m] arbitreris, quamvis per indutias[n] temporum corporali praesentia secernamur. Neque in tuis necessitatibus fessum me esse ullo modo autumes[o]; sed tantum diabolicae[p] fraudis astutia praeoccupatum atque ministrorum[q] eius subdola insectatione fatigatum scias,

a. *ex M* 104*v*—105, *C* 84*v*, *V* 19. *Lemma:* Item epistola Bonifacii archiepiscopi *MCV*. b. *corr. in* praesenti *C*. c. Athalere *C*. d. Athaleres illi *M*. e. perservo *C*. f. dispondi *MC*. g. disponet *MV*, disponet *C*. h. *ex C* 109—109*v*, *V* 30*v*. *Lemmata:* Epistola Lul ad Leobgidam *C*; Item epistola Lulli *V*. i. Daviticі cum *V*. k. *sic codd.* l. letificaverint *C*. m. debitam *C*. n. per interdutias *V*. o. autumus *V*. p. diabulicae *V*. q. ministrarum *V*.

1. s. Liobae, postea abbatissae Biscopesheimensi. 2. Luc. 6, 20. 3. Luc. 21, 19. 4. Ps. 93, 19: „Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuae laetificaverunt animam meam“.

c. 732-755 ut iuxta profetae dictum[1] tedeat[a] me vitae meae propter filios nequitiae. Quicquid autem necessitatibus tuis desit, per[b] Gundwinum[c] diaconum reversurum indicato. Suggere illi, ut in laboribus meis non lassescat[d]; quia valde rarus est, qui tribulationes meas mecum participare velit. Vale in Deo; intercedens pro me tanto enixius, quanto graviore angustia deprimor.

---

98. *Wiehtberht presbyter monachis Glestingaburgensibus significat, se in confinia Hessonum et Saxonum pervenisse et a Bonifatio bene receptum esse*[e]. (S 53, W 80, G 70)

c. 732-755 Dominis sanctis et in Christo desiderandis patribus ac fratribus in monasterio Glestingaburg[2] constitutis Wiehtberht[f] presbiter[3], vester utique servus ac servorum Dei supplex, in Domino salutem.

Benedictus Deus, qui vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem venire veritatis[4], qui etiam nostrum iter sua voluntate in has provincias, id est in confinia[g] paganorum Haessonum ac Saxonum, prosperum ultra mare et per huius mundi pericula sine merito nostro, licentia vestra et orationibus[h], ac misericordia sua direxit. Scitis, fratres, quia non nos terrarum spatia dividunt, quos Christi caritas nectit. Semper ergo fraternitas vestra ac reverentia, simul et orationes pro vobis ad Deum in me manent. Vos autem volo scire, carissimi: quod archiepiscopus noster Bonifacius, cum adventum nostrum audisset, per semet ipsum dignatus est longa via in obviam nobis venire ac suscipere valde benigne. Nunc autem[i], dilectissimi, credite, quod labor noster nobis non sit inanis in Domino, sed vestrae sit mercedis. Deus enim omnipotens per misericordiam suam ac merita vestra sufficientiam operis nostri bonam perficit; licet

a. tedet *V.* b. per *om. C.* c. Gundwino *C.* d. lasescat *V.* e. *ex C* 110*v*, *V* 32*v* — 33. *Lemmata:* Epistola Wiethberti fratribus in monasterio Glestingaburge constitutis *C;* Item epistola *V.* f. Wiethberbt *C.* g. confinio *V.* h. orationis *V.* i. *om. V.*

1. Iob. 10, 1. 2. Glastonbury in pago Somersetensi. 3. Wiehtberhtum presbyterum eundem esse ac Wigbertum I abbatem Friteslariensem (cf. Mabillon Acta SS. ord. Ben. saec. III P. I 675 n. a), non confidam. 4. 1 Tim. 2, 4.

valde sit periculosum ac laboriosum pene in omni re, in fame c. 732-755
et siti, in[a] algore et incursione[b] paganorum, inter se degere. Idcirco, rogo, diligenter orate pro nobis, ut detur nobis[c] sermo in apertione oris et permanentia in opere ac fructus. Valete in Domino. Salutate fratres in giro, primo Ingeldum abbatem et congregationem nostram. Ac mandate matri meae Tettan[1] atque congregationi eius prosperum iter nostrum. Commoniter omnes obnixis precibus flagito, vicem instantiae orationis nostrae inpendere. Orantemque pro nobis beatitudinem vestram divina tueatur clementia, opto.

---

99. *N. Bonifatium rogat, ut studiorum causa sibi licentiam diutius in Thuringia manendi concedat*[d]. (S 98, W 96, G 85)

☧ Domino meo desiderantissimo et in litterarum studio de- c. 732-755
votissimo eruditori[e] Bonifacio, summi[f] pontificatus infula praedito, .N., ex multis quoddam pietatis vestrae[f] emolumentum, amabilem devotae caritatis in Christo salutem.

Sacra scriptura admonemur[g], ne sine consilio inconsulte aliquid agamus; sicut scriptum est: *Omnia cum consilio fac*[2] et cetera. Ideoque fore ratum aestimans, rusticitatis meae litteras sagacitatis vestrae celsitudini dirigere hisque occasionem petitionis, quin petitionis meae desiderium intimare; quatenus, utrisque[h] perspectis, providus praeceptor meus decernat, quod sibi optimum videatur, famuloque suo suae voluntatis nutum placidus indicet; cui subnixus[i] libenter optemperem. Fateor itaque tibi, magistrorum carissime: postquam vestrae sanctitatis licentia lectionis scrutandique causa — si quid tamen ingenioli[k] mei parva scintilla intellegere vel investigare valet, bonitatis vestrae mercedi primitus post Deum inputo — Thiringiam[l] perrexi,

a. et in *C.* b. *cetera desunt C.* c. ut detur nobis *addidi. Cf. Ephes.* 6, 19: „et pro me, ut detur mihi sermo in apertione oris". d. *ex M* 119—120, *C* 94*v*—95*v*, *V* 61*v*—62*v*. *Sine lemmate.* e. summo *add. C.* f. *om. C.* g. admonetur *C, corr. in* admonet *M;* admonemur *V.* h. utriusque *M.* i. subnixius *M.* k. ingeniolii *V.* l. Thuringiam *C.*

1. abbatissae Winburnensi (coenobii Wimburn in pago Dorcestrensi, a Dorchester inter orientem et septemtrionem); de qua v. Vit. Liobae ap. Mabillon Acta SS. sacc. III P. II 247. 2. Cf. Eccli. 32, 24.

c. 732-755 diligentiam lectioni[a] adhibere tam studiose me non posse, quam indiguisse sciebam; duabus quippe causis resistentibus, oculorum scilicet caligine et capitis dolore, tertioque in visceribus vitio[b] praecipue, id est torpore mentis. Idcirco paulo diutius manere mihi paternitas vestra hic concedat, ut, qui iuxta apostolum[1] siticulosum[c] filium vestrum lacte potatis[d], nec adhuc solido panis esui suetum, oportuno tempore servitutis vestrae ad officium, larga Christi clementia preeunte[e] et vestris orationibus intercedentibus, robustiorem recipiatis. Sin vero aliud discretioni vestrae placuerit, si ille vires dederit, cui[f] nihil infinita saecula addere vel adimere valebunt[g], ipso quo[h] iubebitis tempore promptus redibo. Inter ea per misericordiam Dei obsecro, cuius totus orbis terrarum plenus est[2], velut flexis genibus ac curvato[i] poplite supplex sublimitatis vestrae vestigia amplectens: ut pro meis innumeris facinorum criminibus apud misericordem et iustum iudicem intercedere dignemini. Nec tamen ex hoc serenitatis vestrae gratiam perturbem, cum Iesus noster, gloria caeli salusque mundi, cui cuncta patent et quem occulta non latent, imperat dicens: *Petite et dabitur vobis*[3] et reliqua. Quia, nec tam ex hoc[k] ventosae temeritatis tiphum[l] mihi subripere posse, quam remedium salutis arbitror inveniri[m]; dum et ipse me aegrotum agnosco et medicum quaero. Hos tibi versiculos, pater amande, subter scriptos correctionis causa direxi; cupiens industriae vestrae scripta promereri, quatenus erroris mei anfractus[n] ex ipsis certus[o] cognoscam[p]. Sancta et individua Trinitatis divinitas excellentiae vestrae dignitatem iugiter, longe lateque[q] catholicis ecclesiarum plebibus presidentem, usque[r] ad suppremum vite cursum, contra omnia proficientem adversa, custodiat.

a. dilectioni *M.* b. viciae *M.* c. sitiaculosum *M.* d. potatis *M,* potastis *C,* potestatis *V.* e. *corr. in* percunte *V.* f. cum *V.* g. valebant *MV, corr. in* valebunt *C.* h. ipsoque *M.* i. curbato *V.* k. ex hoc *om. MC.* l. ventos et meritatis difum *M.* m. invenire *C.* n. anfractas *MV, corr. in* anfractus *C.* o. certis *MV, corr. in* certus *C.* p. *cetera om. MC.* q. latequae *V.* r. usquae *V.*

1. 1 Corinth. 3, 2: „lac vobis potum dedi, non escam; nondum enim poteratis, sed nec nunc quidem potestis; adhuc enim carnales estis“. 2. Cf. Ps. 118, 64. 3. Matth. 7, 7.

☧ Crescere te Deus omnipotens in opus pietatis c. 732-755
Perpetuo faciat lucro multarum animarum,
Dives opum celi; auscultare Dei merearis
Ut tandem vocem laetam: *Bone*[a] *serveque fide,*
Summa tui dominique Dei nunc gaudia scande;
Pauca super fidus fueras quia, multa super te
Constituam[1]. Requies tibi sit haec certa salusque
Spesque, favente Deo, pariter, qui cuncta creavit
Ac regnans vivit, saeclis prior omnibus idem,
Calce carens et principio. Clementia cuius
Me miserum te larga monebat adire magistrum,
Mole gravi noxae pressus, sine lumine cordis;
Otia dum vagabundus amabam; dulcia credens,
Quae constant cunctis animabus noxia semper.
Pectoris obtusi[b] tenebras sed gratia dempsit
Salvantis Christi, gratis pia sensibus augens
Dona meis stolidis. Cui laus et honor sine fine.
Atque tui tibi crescat in arce laboris olimpi —
Directi callis ductor! — mercesque, corona
Ingeniique[c] tui, quo[d] sum pars ultima magni.

---

100. *Bonifatius Ecberchto archiepiscopo Eboracensi de muneribus gratias agit. Petit, ut pro se precetur commentariosque Bedae sibi mittat. De sacerdotibus fornicariis percontatur. Vinum mittit*[e]. (S 85, WG 38)

Caritatis lacertis amplectendo amico immo spiritali germanitate copulando fratri, summi pontificatus infula praedito, Ecberchto[f] archiepiscopo[g 2] Bonifatius exiguus episcopus, legatus Germanicus catholicae et apostolicae Romanae[h] ecclesiae, florentem in Christo immarcescibilis caritatis salutem. 735—755

a. bonae *V.* b. obtunsi *V.* c. ingenique *V.* d. quod *V.* e. *ex M* 116*v*—118, *C* 92—93*v*, *V* 55—56. *Sine lemmate.* f. Ecberto *MC.* g. archiepiscopi *M.* h. *om. M,* Romanae *C,* Romae *V.*

1. Matth. 25, 21. 2. Ecbertus, creatus a. 732 episcopus Eboracensis, a. 735 archiepiscopus factus, obiit a. 766. V. Bedae chronologia continuata, Opp. ed. Giles III 323. 325.

735—755 Dona ac libellos dulcissimae beatitudinis vestrae a vobis directa gratanti animo gaudentes suscepimus. Suspensis ad ethera palmis supernum regem obsecravimus, ut vobis in superna angelorum[a] curia florentia mercedis praemia restituat. Modo autem sanctitatis vestrae clementiam intimis postulamus precibus, ut pro nobis laborantibus et periclitantibus pietas vestra exorare dignetur; quia grandis nobis necessitas inminet iustorum adiuvamina expetere; quia scriptum est: *Multum valet deprecatio iusti adsidua*[1]. Enarrare autem omnia mala, quae nos extrinsecus et intrinsecus patimur, epistolaris brevitas[b] prohibet.

Modo enim inhianter desiderantes[c] flagitamus, ut nobis ad gaudium meroris nostri eo modo, quo et ante iam fecistis, aliquam particulam vel scintillam de candela aecclesiae, quam[d] inluxit Spiritus sanctus in regionibus provinciae vestrae, nobis destinare curetis; id est: ut de tractatibus, quos spiritalis presbiter et investigator sanctarum scripturarum Beda reserando conposuit, partem qualemcumque transmittere dignemini; maxime autem, si fore possit — quod nobis praedicantibus habile[e] et manuale et utillimum[f] esse videtur — super lectionarium anniversarium[2] et proverbia Salomonis[3]. Quia commentarios[g] super illa eum condidisse audivimus.

Inter ea maxima nos cogit necessitas, vestri consilii iudicium inquirere. Nam dum invenero presbiterum iam ante multa tempora lapsum in fornicationem — et[h] post poenitentiam in officium gradus sui a Francis iterum restitutus est, et nunc, habitans in latissimo pago fidelium[i] sed errantium populorum, sine aliis sacerdotibus solus ministrat baptismum, et solemnia missarum celebrans — modo autem, si talem secundum iustissimos canones abstulero, morientur sine sacro regenerationis fonte infantes propter raritatem sacerdotum, si meliorem ad re-

a. anglorum *M.* b. brebitas *V.* c. desideranter *M.* d. quem *C.* e. abile *V.* f. *sic codd.* g. commendarios *V.* h. et *om. M.* i. filium *M.*

1. Iacob. 5, 16. 2. i. e. Bedae homilias, quae leguntur in opp. ed. Giles T. V. 3. Super parabolas Salomonis, Bedae opp. ed. Giles IX 53 squ.

staurandum prioris lapsum non habuero. Iudicate ergo inter me et inter populum erroneum: utrum melius sit vel saltim minus malum, utrum talis ministerium sancti altaris inpleat an ut pagana moriatur multitudo populi, quia castiorem ministrum[a] adquirere nequiverit. Vel si inter multitudinem sacerdotum invenero in eodem peccamine lapsum et iterum per[b] penitentiam priori gradui restitutum — de quo omnis multitudo sacerdotum et populorum bone[c] opinionis confidentiam habuerunt — et si ille modo degradatus fuerit; secretum[d] peccatum revelatum fuerit et scandalizaverit[e] multitudo plebium, et per scandalum plurimae peribunt animae, et detestatio[f] erit maxima sacerdotum et diffidentia ministrorum aecclesiae, ut omnes perfidos, nulli credentes, despectui[g] habeant. Quam ob rem audacter praesumsimus patientes et consentientes, illum in ministerio divino persistere; existimantes, levius esse dubium unius hominis periculum et audaciam, quam ruinam et perditionem animarum pene totius populi. De istis autem universis quid mihi sustinendum sit, necessitate cogente scandala vitandi, quidve refutandum, sanctum consilium vestrum per scripta videre et audire omnino desidero. 735—755

Praeterea celsitudini vestrae vice osculi duas vini cupellas per hunc portitorem litterarum transmisimus; petentes, ut caritatis inter nos precibus nostris inde laetum diem cum fratribus vestris faciatis. Obsecramus igitur, ut de istis petitionibus nostris[h] faciatis, ut mercedis vestrae praemia[i] in caelorum culmine clarescant.

---

101. *Torhthelmus episcopus Leicestrensis Bonifatio respondet. Gaudet, quod laboret, ut Saxones ad Christi fidem adiungantur. Munus mittit*[k]. (S 43, WG 28)

Domino meo dulcissimo et sincerissimo, caritatis cultu et praecipue Dei gratia copioso semperque in Christo pastoralis 737—755

a. ministris *M.* b. per *om. V.* c. bene *V.* d. *corr. in* secretumque *C.* e. scandalizaverit *M, corr. in* scandalizabitur *C;* scandalizavit *V.* f. destatio *M.* g. despectus *M,* despectui *C,* dispectus *V.* h. satis *superscriptum est in C, ut legatur* satis faciatis. i. praemiae *V.* k. *ex M* 112*v* —113, *C* 90 — 90*v*, *V* 25*v* — 26. *Lemma:* Item epistola Torthelmi episcopi *MCV.*

737—755 curae regimina gubernanti[a] Bonifacio, qui et Wynfrithus[b], archiepiscopo Torhthelmus episcopus[1] servus servorum Dei in Domino salutem.

Desiderabiles litteras excellentiae vestrae suscepimus[c]. Quas relegentes, cognovimus tuam piissimam devotionem ferventissimumque amorem, quem habes propter beatam vitam: ut[d], dextera[e] Domini protegente, meditaris die ac nocte, ad fidem catholicam atque apostolicam pro tuae animae redemptione corda paganorum[f] Saxonum converti[g]. Quis enim, audiens haec suavia, non laetetur? Quis non exultet et gaudeat in his operibus, quia gens nostra Christo omnipotenti deo credat? Per gerulum vero apicum tuorum modicum tibi munusculum sed magni affectus pignus transmitto; simul et indicans, quod omnia, quae[h] a parvitate nostra petere dignatus es, libentissime suscepimus[i], hoc est, quod in sacris missarum celebritatibus[k] et in cottidianis precibus tuae sanctitatis memoria celebratur; optantes[l] et obnixe deprecantes, nostrae fragilitatis conscii: hoc idem a vestra parte, quanto meritis excellentiores estis, tanto circa nos perfectius observari. Festinet igitur vestra celsitudo[m], novum Christo populum coacervare et dedicare. Profecto enim habetis protectorem humani generis redemptorem dominum nostrum Iesum Christum[n]. Fraterno itaque affectu[o] salutantes vestram excellentiam, et divinam deprecamur iugiter clementiam, quae vos vestrosque omnes in omnibus bonis[p] operibus auxiliare[q] dignetur, ut cum Christo in futuro regnet[r] saeculo.

a. gubernante *MCV.* b. Wynfridus *M.* c. suscipimus *V.* d. *corr. in* et *C.* e. dexterae *MV, corr. in* dextra *C.* f. paganarum *V.* g. *corr. in* convertere *C.* h. q:· *M.* i. suscipimus *V.* k. celebritatibus — memoria *om. C.* l. optanter *M.* m. *sequitur* uti in *MV;* uti *deletum est in C.* n. *om. M.* o. affecto *M.* p. *om. MC.* q. *corr. in* adiuvare *C.* r. *corr. in* regnetis *C.*

1. Leicestrensis, 737—764. V. Simeon. Dunelmensis hist. (Mon. hist. Brit. I 659) 737: „Hwicca et Tocca Mercis et Midil Anglis sunt consecrati antistites“; (p. 663) 764: „episcopus Merciorum gentis nomine Totca defunctus est“. Cf. Nomina praesulum Leogerensium in Florentii Wigorn. chronici appendice, unde Tottam et Torthelmum eundem fuisse liquet. „Torhthelm episcopus“ apparet etiam in tabulis annorum 742 et 749 ap. Kemble Codex diplom. aevi Saxon. I 106, 120 cf. p. 109.

102. *Bonifatius Gemmulo archidiacono Romano, se desiderio eius teneri, scribit*[a]. (S 18, W 97, G 86)

Reverentissimo et dilectissimo filio Iammulo[b 1] archidiacono 746—755
Bonifacius exiguus servus[c] servorum Dei amabilem in Christo aeternae caritatis salutem.

Sepe spiritaliter caritas iungit, quos corporaliter longa intercapedine[d] disiungit[2]. Et haec non minima peregrinationis erumna esse dinoscitur: quod amicus amicum, quem ardenter[e] diligit, longe disiunctum tristis et merens memorat; et adversantem inimicum prope, tribulatorem et molestum difficulter patitur. Utinam te, frater, peregrinationis huius consolatorem prope habeam, tuo sancto consilio utar, consolatione gaudeam, aspectu care faciei laeter et sancta exhortatione reficiar. Sed quia hoc fieri vitae, mortalis vitae[f] condicio et rerum ratio non permittit, faciat vera caritas solum et maximum, quod concedit et precepit Deus dicendo: *Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem*[3] et cetera. Amet in Deo veraciter absentem, quem corporaliter praesentem tenere nequit. Et, sicut sanctus Augustinus dixit, licet unus sit in oriente et alius in occidente, conglutinata caritate numquam ab invicem separantur[4]; et salvator mundi: *In hoc cognoscent* usque *ad invicem*[5]. Ergo iuxta Iacobum, qui dixit: *Oratio fidei salvabit infirmum*[6], et post pauca: *Orate pro invicem, ut salvemini*[7], oremus pro invicem, ut salvemur et pietas Domini, quae nos in terra separavit, gaudentes in caelorum culmine congreget.

a. *ex M* 89—89*v*, *C* 70*v*—71, *V* 9—9*v*. *Lemma:* Item epistola Bonifacii archiepiscopi *MCV*. b. *corr. in* Gemmulo *C*. c. *om. M*. d. *corr. in* intercapedo *C*. e. amicumque ardentem *M*. f. vitae *deletum est in C*.

1. s. Gemmulo; v. ep. 53 et 54 supra p. 154 et 156. 2. Cf. infra: „et pietas Domini, quae nos in terra separavit". 3. Ioh. 15, 12. 4. Augustinus in appendicis serm. 107, antea serm. de tempore 42, Opp. ed. Benedictini (Antwerpiae 1700) T. V 136: „etiamsi unus sit in oriente alius in occidente, ita caritate conglutinante iunguntur, ut numquam ab invicem separentur". 5. Ioh. 13, 35: „In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem". 6. Iacob. 5, 15. 7. Iacob. 5, 16.

103. *Aethilbertus II rex Cantiae Bonifatium hortatur, ut ex promisso, Buggae abbatissae facto, pro se ad deum precetur. Munera mittit. Falcones postulat*[a]. (S 40, W 84, G 73)

748—755 Domino beatissimo et pontificali infula merito decorato archiepiscopo Wynfritho, cognomento Bonifatio, Aethilbertus[b][1] rex Cantiae in domino dominorum salutem.

Ante paucos namque annos venerabilis abbatissa Buggę[c] — postquam Romane urbis loca sacratissima, orationis videlicet obtentu, adierat; et exinde huc rursus remeando[d] ad propriam[e] pervenit patriam et ad monasterium sanctimonialium feminarum, quod antea sub iure ecclesiastico bene regebat — statim cum venissem rogatus ad eius conloquium, inter alia desiderabilia haec vel maxime auditui nostro inculcare curavit: quod dedisses ei licentiam familiariter loqui, de rebus scilicet sibi necessariis, apud tuam affabilem amabilemque sanctitatem; dum ambo videlicet Romae estis et limina beatorum apostolorum frequenter visitando trivere non praesedistis. Deinde continuo intulit, quia diligenter paternitatem tuam similiter pro me supplex precibus obnixis conpellare curaret, utpote consanguinitate propinquitatis nostrae admonita[f]: quatenus, sicut illa meruit praesens tuis[g] salutaribus inbui praeceptis et orationum tuarum benedictione confirmari, ita et ego quoque, quamvis absens et ignotus corporali praesentia, tamen ut spiritu presens, hoc eodem munere mihi necessario a tua solita beneficentia[h] ditarer. Cumque te hoc facturum promisisse indubitata fide diceret, vere fateor, quod non facile verbis explicare valeo, quantum gaudii quantumque consolationis ex hoc habuerim. Eoque multo magis ut assolet exhilaratus sum, quod[i] ex inopinata spe subito tam preciosa dona protulit.

Quocirca utile mihi omnino ac conveniens esse[k] videtur, ut

a. *ex M* 110*v* —112*v*, *C* 88*v* — 90, *V* 24 — 25*v*. *Lemma:* Item epistola Aethilberti regis ad Bonifatium *CV*, Item Ethiltibaldi ad Bonifacium *M*. b. Ethilbertus *M*. c. Bugge *M*. d. remeandi *M*. e. proprium *MV*, *corr. in* propriam *C*. f. admonitat *M*. g. praesentius *M*, presens tuus *corr. in* presens tuis *C*. h. *corr. in* beneficientia *C*. i. quode ex *V*. k. ēēt *M*.

1. II 748—760.

prefulgidam[a] longe lateque beatitudinem tuam amicalium litterarum lectione seu fidelium legatorum allegatione alloquar. Quod quidem alio quolibet in tempore melius efficatiusque adimplere me posse non arbitror, quam modo nunc, cum adsunt[b] excellentiae vestrae viri relegiosi, qui a vobis huc in Brittaniam utpote prudentes et fideles legatarii transmissi sunt et nunc videlicet ad visionis[c] vestrae placidam praesentiam Deo adiuvante quantotius optant pervenire. Unde igitur mihi optime placuit, hunc praesentem portitorem litterarum istarum nomine Ethelhun[d], relegionis scilicet habitu monachum, cum praedictis vestris hominibus quasi cautiore et tutiore[e] cursu ad vos dirigere ac per eum haec salutaria caritati vestrae seu precatoria scripta porrigere. Per que nos primo declaramus, omnes in commune omnipotenti Deo gratias uberiores rependere; qui tantam in vos misericordiae suae gratiam contulit, ut innumerosam multitudinem gentilium, idolatriae vetustissimo[f] errore miserabiliter deceptam, ad christiane fidei normam praedicationis vestrae verbo et labore convertit. Unde plurima adhuc auxiliante Domino speramus et optamus; certi, quia, qui per vos coepit operari, maiora perficere de die in diem non desinit. 748—755

Per hunc quoque baiulum harum[g] apicum reverentiae vestrae direxit devotio mea magna cum caritate nonnulla munuscula, id est caucum[1] argenteum intus deauratum, pensantem libras tres et semis, et duo repte[h][2]. Et haec exenia[i] vobis non ea intentione neque occasione direximus, ut terrestre lucrum aliquod aut retributionem quampiam temporalem pro eis recipere desideramus[k]. Sed multo magis genuclientes[l] — quod multo magis necessarium est — totis visceribus efflagito mentis: ut, quoniam dies mali sunt et multiplicantur cotidie variae et inprovisae perturbationes in hoc saeculo scandalis[m] pleno, multis nos ac crebris orationum tuarum suffragiis adiuvare di-

a. perfulgidam *MC*. b. sunt *MC*. c. iussionis *M*. d. Etheldun *C*. e. dutiore *M*. f. idolatria vetussimo *M*. g. *sic codd.* h. repta *M*, repte *V*, rep[tia]te *C*. i. *corr. in* xenia *C*. k. *corr. in* desideremus *C*. l. *corr. in* geniculantes *C*. m. scandalibus *V*.

1. pateram. 2. Cf. „repti“ in Ducangii glossario.

748—755 gneris. Et ad hoc[a] ipsud[b] agendum alios, quoscumque vel iubendo vel suggerendo possit, provocare auctoritatis tuae veneranda dilectio semper sit vivaci memoria plena, tam dum[c] advixisse me in hac mortali carne audias, quam etiam post obitum meum, si tecum promerear habere superstitem.

His itaque breviter[d] summatimque prelibatis, unam rem preterea a vobis desidero mihi exhiberi, quam vobis adquirere valde difficile esse, iuxta quod mihi indicatum est, nullatenus reor; hoc est duos falcones, quorum ars et artis audatia sit: grues velle libenter captando arripere et arripiendo consternere solo. Ob hanc etenim causam de harum adquisitione et transmittendarum[e] ad nos avium vos rogamus, quia videlicet perpauci huius generis accipitres in nostris regionibus, hoc est in Cantia, repperiuntur, qui tam bonos producant foetus et ad supradictam artem animo agiles ac bellicosi[f] educantur et edomantur ac doceantur. Postremo autem in fine epistulae precor, ut ad scribentem te[g] rescribas; et litteris tuis mihi manifestare digneris, ut ea, quae tibi direxi, bene sint reddita. Orantem pro nobis beatitudinem tuam longevum[h] divina pietas faciat[i].

---

104. *Bonifatius Optatum abbatem Casinensem de ineunda secum fraternitate spirituali hortatur*[k]. (S 106, W 93, G 82)

750—755 Reverentissimo fratri immo dilectissimo consacerdoti Optato abba[1] et universae sanctae congregationi, sub cura illius regularis vitae normam custodienti, Bonifatius, sine praerogativa meritorum nominatus episcopus, obtabilem in Christo caritatis salutem.

Venerandam sanctitatis vestrae clementiam intimis obsecramus praecibus: ut nos indignos vobiscum in unitate fraternae dilectionis et societatis spiritalis suscipere et habere dignemini;

a. huc *M.* b. *corr. in* ipsum *C.* c. diu *M.* d. p̄viter *M.* e. transmittarum *codd.* f. bellicos *M.* g. *sic codd. pro* tibi. h. longevum *corr. in* longevam *C.* i. facit *V.* k. *ex V* 71—71*v*. *Sine lemmate.*

1. Casinensi, 750 post Mai. 6 — 760 Ian. 4. V. Leonis chron. monast. Casinensis ed. Wattenbach in Mon. Germ. SS. VII 585, 586.

ut una sit inter nos et fides mentium et pietas actionum, et sicut princeps apostolorum Petrus hortatur dicens: *Ante omnia mutuam in invicem caritatem habete, quia caritas operit multitudinem peccatorum*[1]. Et ipsa veritas dixit: *In hoc cognoscent omnes, quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem*[2]. Et similiter Paulus apostolus admonet dicendo: *Alter alterius honera portate, et sic adinplebitis legem Christi*[3]; et alibi: *Finis enim precepti est caritas de corde puro et conscientia bona et fide non ficta*[4]. Et ut vestra fraternitas, in spiritali regulariter vita vivens[a], in pacifica tranquillitate fraterne concordiae pro nostra fragilitate exorare dignetur: ut sermo Domini currat et clarificetur[5], ut iuxta dictum apostoli liberemur ab inportunis et malis hominibus[6] et a temtationibus malignorum spirituum et tribulationibus adversariorum, ut lux euangeliorum gloriae Christi et via vitae, quam populis et gentibus ostendere et ipsi pergere debemus, nobismet ipsis non obtenebrescat nec abscondatur. Diligenter quoque deprecamur: ut familiaritas fraternae caritatis inter nos sit, et pro viventibus oratio commonis et pro migrantibus de hoc saeculo orationes et missarum[b] sollemnia celebrentur, cum alternatim nomina defunctorum inter nos mittantur. Inter ea, si quid fraternitas vestra nobis mandare ad perficiendum vel ad dicendum dignata fuerit, voluntatis vestrae desiderium in omnibus adinplebimus. Agite ergo de ac[7] petitione nostra, ut in alto[c] caelorum culmine mercedis vestrae premia in superna curia angelorum clarescant et crescant. Longevam ac valentem et almis viribus proficientem et suavissimis operum et verborum floribus odorantem[d] beatitudinem vestram perenniter salvator mundi custodiat +.

750—755

a. regulariter vitavens *V.* b. misarum *V.* c. alta *V.* d. adorantem *V.*

1. 1 Petr. 4, 8. 2. Ioh. 13, 35. 3. Galat. 6, 2. 4. 1 Timoth. 1, 5. 5. 2 Thessal. 3, 1. 6. 2 Thessal. 3, 2. 7. hac.

105. *Bonifatius Pippino regi, quod precibus suis indulserit, gratias agit. Interrogat, num ad placitum venire debeat. De Ansfridi mendaciis*[a]. (S 104, W 91, G 80)

753—755 Domino excellentissimo Pippino regi Francorum Bonifacius episcopus in Domino salutem.

Celsitudinis vestrae clementiae magnas gratias agimus, et[b] dominum Iesum Christum precantes, ut vobis in regno caelorum aeternam mercedem[c] retribuat; eo quod petitiones nostras clementer exaudire dignati estis et senectutem meam atque infirmitatem consolari. Nunc autem, gloriose[d] fili, cognoscas: quia per misericordiam Dei credo, quod possim in vestro servitio iterum esse. Propter ea[e] petimus vos, ut nobis indicetis, si ad placitum istum debeamus venire, ut[f] vestram voluntatem perficiamus. Quidam servus ecclesiae nostrae, et ipse mendacissimus, qui nos arte[g] fugiebat, Ansfrid nomine, veniens[h] ad nos cum indiculo vestro, rogans, ut ei iustitiam faceremus. Misimus illum ad vos cum ipsis litteris cum misso[i] nostro, ut cognoscatis, quia mentitus est vobis; petentes, ut nos[k] pro mercede vestra defendatis contra tales falsarios, et eorum mendaciis non credatis. Valete in Deo semper.

---

106. *Bonifatius Stephanum III deprecatur, ut sibi ignoscat, quod tam tarde demum nuntium et litteras ad eum mittat*[l]. (S 91, W 89, G 78)

755 + Domino excellentissimo et prae[m] ceteris pontificibus praeferendo et amando et[n] apostolatus privilegio praedito Stephano[o] [1] papae Bonifatius exiguus episcopus, discipulus Romanae ecclesiae, optabilem in Christo caritatis salutem.

Sanctitatis vestrae clementiam intimis ac visceratis[p] obnixe flagito[q] precibus: ut familiaritatem et unitatem sanctae se-

a. *ex M* 122—122*v*, *C* 97*v*, *V* 66*v*. *Sine lemmate.* b. et *deletum est in C.* c. aeterna mercede *V.* d. gloriosae *V.* e. *corr. in* Preterea *C.* f. ad *M.* g. ate *M.* h. *corr. in* venit *C.* i. miso *V.* k. ros *V.* l. *ex M* 65*v*—66, *C* 50—50*v*, *V* 58—58*v*. *Sine lemmate MV;* Epistola Bonifatii episcopi ad Stephanum papam *C.* m. *om. C.* n. sancti *C pro* et. o. Stefano *V.* p. visceralibus *C.* q. obnixae flagitto *V.*

1. III 752—757.

dis apostolicae ab almitatis vestrae[a] clementia[b] impetrare et habere merear; et in discipulatu pietatis vestrae, sedi apostolicae serviendo, servus vester fidelis ac devotus permanere possim eodem modo, quo ante sub tribus praecessoribus vestris apostolicae sedi serviebam, venerabilis memoriae duobus Gregoriis et Zacharia; qui me semper hortatione et auctoritate litterarum suarum muniebant et adiuvabant. Quod et pietatem vestram agere deprecor, ut praeceptum paternitatis vestrae eo melius perficere et implere possim. Nam si quid in ista legatione Romana[c], qua per triginta et sex annos fungebar[1], utilitatis ecclesiae praefate peregi, adhuc implere et augere desidero. Si autem minus perite aliquid aut iniuste a me factum vel dictum repperitur, iudicio Romanae ecclesiae[d] prumpta[e] voluntate et humilitate emendare me velle spondeo. 755

Interea deprecor, ut pietas domini mei non indignetur, quia tam tarde missum meum et litteras ad praesentiam vestram direxi. Sed hoc idcirco contigit, quia praeoccupatus fui in restauratione ecclesiarum, quas pagani incenderunt; qui per titulos et cellas nostras plus quam 30 ecclesias vastarunt[f] et incenderunt. Et haec fuit occasio tarditatis litterarum et appellationis paternitatis vestrae, et non aliqua neglegentiae[g] incuria[2].

---

107. *Bonifatius Stephanum III papam rogat, ut de episcopatu Traiectensi iudicet inter se et episcopum Coloniensem*[h].

(S 97, W 105, G 94)

Venerando ac diligendo[i] domino apostolatus[k] privilegio praedito Sephano papae Bonifatius exiguus, legatus vel missus Germanicus catholicae et apostolicae Romanae ecclesiae, optabilem in Christo caritatis salutem. 755

Nam tempore Sergii[3] apostolicae sedis pontificis venit ad

a. *om. MV.* b. clementiam *MV.* c. Romanae *MV.* d. *om. MV.* e. prumpta *MV, corr. in* prompta *C.* f. vastaverunt *M.* g. neglegentia *MV.* h. *ex M* 66—67*v, C* 50*v*—51, *V* 60*v*—61*v. Sine lemmate MV;* Item epistola Bonifatii ad Stephanum papam *C.* i. duligendo *M.* k. apostulatus *V.*

1. Itaque ineunte anno 755 scripta haec epistola est. Cf. infra verba haec: „tam tarde — litteras ad praesentiam vestram direxi". 2. Exitum epistolae abesse patet. 3. I, 687—701.

limina sanctorum apostolorum presbiter quidam mirae abstinentiae et sanctitatis, generis Saxonum, nomine Wilbrord[a] et alio nomine Clemens vocatus; quem praefatus papa episcopum or-
696 dinavit[1] et ad praedicandam[b] paganam gentem Fresorum transmisit in littoribus[c] oceani[d] occidui. Qui, per 50 annos praedicans, praefatam gentem Fresorum maxima ex parte convertit ad fidem Christi, fana et dilubra[e] destruxit et ecclesias[f] construxit, et sedem episcopalem et ecclesiam in honore sancti Salvatoris constituens in loco et castello quod dicitur Traiectum. Et in illa sede et[g] ecclesia[h] sancti Salvatoris, quam construxit, praedicans usque ad debilem senectutem permansit. Et sibi corepiscopum[i] ad ministerium implendum substituit; et finitis
739 longevae vitae diebus, in pace migravit ad Dominum.

Princeps autem Francorum Carlmannus commendavit mihi sedem illam ad constituendum et ordinandum episcopum. Quod et feci[2].

755 Nunc autem Colonensis[k] episcopus illam sedem praefati episcopi Clementis, a Sergio papa ordinati, sibi usurpat et ad se pertinere dicit propter fundamenta cuiusdam destructae a paganis ecclesiolae[l], quam Wilbrordus derutam usque ad solum[m] in castello Traiecto repperit, et eam proprio labore a fundamento construxit et in honore sancti Martini consecravit. Et refert: quod ab antiquo rege Francorum Dagobercto[3] castellum Traiectum cum destructa ecclesia ad Colonensem[n] parrochiam donatum in ea conditione fuisset, ut episcopus Colonensis[o] gentem Fresorum ad fidem Christi converteret et eorum praedicator esset. Quod et ipse non fecit. Non praedicavit[p], non convertit Fresos ad fidem Christi; sed pagana permansit gens Fresorum, usque quod venerandus pontifex Romanae sedis Ser-

a. Wilbrod *C.* b. praedicandum *C.* c. litoribus *M,* littoribus *CV.* d. ociani *V.* e. *corr. in* delubra *C.* f. exclesias *V.* g. in *add. C.* h. et exclesia *V.* i. *sic codd. omnes.* k. *corr. in* Colonieusis *C.* l. ecclesiola *M,* exclesiolae *V.* m. solam *MV, corr. in* solum *C.* n. *corr. in* Coloniensem *C.* o. Colonenses *M, corr. in* Coloniensis *C.* p. praeiudicavit *V.*

1. 696 Nov. 22. V. Regesta pont. Rom. p. 172. 2. Bonifatium „chorepiscopo Eoban iniunxisse episcopium in urbe Trehct", tradidit Willibaldus in vita Bonifatii. 3. I.

gius supra dictum servum Dei Wilbrordum episcopum ad praedicandum supra dictae genti transmisit; qui illam gentem, ut praefatus sum, ad fidem Christi convertit. Et modo vult Colonensis[a] episcopus sedem supra dicti praedicatoris Wilbrordi sibi contrahere, ut non sit episcopalis sedis[b], subiecta Romano pontifici, praedicans gentem Fresorum. Cui respondebam, ut credidi: quod[c] maius et fortius[d] fieri debeat praeceptum apostolicae sedis et ordinatio Sergii papae et legatio venerandi praedicatoris Wilbrordi, ut et fiat sedis[b] episcopalis, subiecta Romano pontifici, praedicans gentem Fresorum — quia magna pars illorum adhuc pagana est — quam destructae ecclesiolae fundamenta deruta[e] et a paganis conculcata et per neglegentiam episcoporum derelicta. Sed ipse non consentit. 755

Sed modo paternitatis vestrae iudicio[f] mihi intimare dignemini. Et si hoc iustum sit responsum et vobis placeat, quod illi Colonensi[g] episcopo reddidi, vestra auctoritate roborate: ut praeceptum Sergii papae et sedis[b] illa stabilis permaneat. Sic enim potestis nos si vobis placet adiuvare, si de scrinio aecclesiae vestrae exemplare iubetis et mihi transmittere, quidquid praefato episcopo Wilbrordo ordinato sanctus Sergius[h] praeciperet et conscriberet; ut ex auctoritate sanctitatis vestrae contradicentes convincere et superare valeam. Si autem aliter iustius sanctitati[i] vestrae videatur, consilium paternitatis vestrae insinuare mihi dignemini, ut sequar.

---

108. *Cuthberhctus archiepiscopus Cantuariensis Lullo et eius sociis scribit de glorioso Bonifatii obitu. Cuius diem funestum in Anglia agitatum iri, nuntiat. Preces mutuas et aemulationem Bonifatii suadet*[k]. (S 70, W 114, G 103)

+ Reverentissimo fratri et in amore Christi karissimo Lullo coepiscopo, simulque cooperatoribus tuis episcopis et sacerdotibus Dei, quorum nomina in libro vitae scripta teneantur, Cuth- 755 exeunte anno

a. *corr. in* Coloniensis *C.* b. *corr. in* sedes *C.* c. quia *C.* d. porcius *C.* e. *corr. in* diruta *C.* f. *corr. in* iudicium *C.* g. *corr. in* Coloniensi *C.* h. Sergus *MV.* i. sanctitatis *MV*, *corr. in* sanctitati *C.* k. *ex V* 42*v* — 44*v*. *Lemma:* Incipit epistola Gutberti archiepiscopi.

755 exeunte anno berhctus[1] servus servorum Dei cum aliis consacerdotibus Christi et presbiteris seu abbatibus aeternae prosperitatis ac pacis in Domino salutem.

Profitemur igitur, karissimi, sincerissima intentione coram Deo et electis angelis eius: quia, quandocumque vestram dilectionem pacis ac prosperitatis proventum et sanctae religionis in Christo profectum sacraeque exortationis fructum de aliorum conversatione abundantius habere rumigerulis[a] referentibus audimus, quod, inde satis gaudentes et pro vobis obnixius orantes, laeti gratias agimus largitori bonorum omnium Deo. Quando autem[b] aliqua religioni vestrae iniuria facta aut[c] aliquod inrogatum narratur damnum, meror[d] et tristitia nos cruciat; quia nimirum, sicut gaudio vestro in Christo congaudemus, ita et adversitate pro Christo contristati conpatimur. Non enim aliquando in memoria nostra obliterari possunt diversarum atque indefessarum[e] tribulationum angores, quos, ut viscera nostra, vos ipsi cum Deo dilecto patre nostro beate memoriae Bonifatio martyre inter persecutores paganos et hereticos atque scismaticos seductores in tam periculosa ac ferocitate plena peregrinatione pro amore aeternae patriae longo tempore sustinebatis; et quia — illo scilicet per agonem martyrii cum suis plurimis domesticis ad aeternam caelestis patriae quietem gloriose feliciterque migrante — vos, qui superstites talium estis, forsitan eo periculosius ac[f] difficilius inter diversa temptamenta conversamini, quo tanto patre et[g] doctore ad presens vos orbatos esse constat.

Et quamvis hinc quaedam maesticiae amaritudo nostra discruciat valide precordia, tamen huiusce doloris gemitum quaedam saepius ad memoriam rediens nimiae ac nove exultationis hilaritas iucundat ac mitigat; dum frequentius recolentes ammirabili vel potius ineffabili Dei pietati tripudiantes gratias agimus: quod tam praeclarum speculatorem caelestis bibliothecae[2]

a. rumigerulus *V.* b. h̃ *V.* c. aud *V.* d. memor *V.* e. diversas atque indefessas *V.* f. ad *V.* g. e *V.*

1. archiep. Cantuariensis, 740—762. 2. bibliorum.

tamque[a] egregium Christi militem cum multis bene educatis et optime instructis discipulis gens Anglorum advena e[b] Brittania meruit palam omnibus ad spiritales agones et ad multarum per Dei omnipotentis gratiam salutem animarum de sese procul laudabiliter emittere; ut longe lateque ferocissimas nationes, per devia diutius errantes, de lata ac spatiosa voragine perditionis perpetuae ad splendifluas semitas supernae patriae per sacrae exhortationis incitamenta et per exempla pietatis ac bonitatis ipse ductor et signifer, antecedendo et adversa quaeque opitulante Deo fortiter expugnando, feliciter perduceret. Quod ita actitatum[c] veraciter fere[d] etiam rerum effectus gloriosius quam dicta demonstrant, et in illis quoque locis, quos ante eum nullus aliquando euangelizandi causa doctor adire temptabat. Unde igitur — post incomparabile toto orbe apostolicae electionis et numeri mysterium aliorumque tunc temporis euangelizantium discipulorum Christi ministerium — hunc inter egregios[e] et optimos orthodoxae fidei doctores et amabiliter habemus[f] et laudabiliter veneramur. 755 exeunte anno

Unde in generali synodo nostra — ubi et de ceteris omnibus, quae vestrae modo sanctitati paucis depromimus, plenius inter nos conferebamus — eius diem[1] natalicii illiusque cohortis cum eo martyrizantis insinuantes statuimus annua frequentatione sollemniter celebrare; utpote quem specialiter nobis cum beato Gregorio et Augustino et patronum quaerimus et habere indubitanter credimus coram Christo domino, quem in vita sua semper amavit et in morte, ut ipsius meruit gratia, magnifice clarificavit.

Praeterea quippe, ut prediximus, vestrae sollicite speculationis curam et quasi taedio absentati patris familias, ut ita dicam, quodammodo confectam nec non et generalitatem subiectorum vobis servorum Dei paternis affatibus fraternisque solaciis relevare[g] et consolare, ubicumque et in quocumque ne-

a. tumque *V.* b. e *addidi.* c. actitum *V.* d. fieri *V.* e. egregior *V.* f. *sequitur lacuna septem fere litterarum in V.* g. revelare *V.*

1. d. 5 m. Iunii.

755 exeunte anno gotio prevalemus, fatemur nos semper esse paratos. Unde in primis ad confirmationem dilectionis, quam erga vos habent penetralia cordis nostri, sermone affectuque apostoli utamur et cum apostolo simul dicamus: *Gratia vobis et pax; gratias agimus Deo semper pro omnibus vobis, memoriam facientes in orationibus nostris sine intermissione; memores operis fidei vestrae et laboris et caritatis et sustinentiae spei domini nostri Iesu Christi ante deum et patrem nostrum*[1]. Quod enim iam olim, vivente venerandae memoriae Bonifacio, per scripta nonnulla et per fideles internuntios aeque conditum esse constat, id ipsum semper renovare ad invicem, satis necessarium ducimus; hoc est: ut mutuae pro nobis notrisque et hic viventibus et hinc obientibus interpellationes orationes[a] missarumque remedia ad viventem Deum et iudicem omnium suppliciter agantur, iuxta apostolica monita: *Orate* inquid *pro invicem, ut salvemini*[2] reliqua. Hoc enim modo nobis divinam clementiam conplacare dinoscimur, offerentes ei orationum pura libamina; sic nobis eandem prosperantem inveniemus in adversis. Etenim, ubi Domini iuxta ipsius promissa praesto est adiutorium, cuncta fugatur malignorum adversitas. Ipse enim dixit: *Si duo ex vobis consenserint super terram de omni re, quamcumque*[b] *petierint, fiet illis a patre meo, qui in celis est*[3].

Hoc enim sagaci sollertia studiosius ideo agendum esse iudicamus, quia[c], iuxta apostolica presagia, instant nunc tempora periculosa[4] et reliqua, quae ipse in eadem prosequitur epistola. Et quia non est opus, scribere vobis de exterioribus calamitatum incursibus, quas frequenter ut reor passi estis, id est persecutionibus rapinis odiis et scandalis et his similibus, ceterum ecce[d] quam plurimis in locis christianae religionis valide status vacillat; dum pene undique exterius interiusve rerum ecclesiasticarum perturbatur ordo, novellarumque conversationum prave ubique pene succrescunt sectae[e]. Nec mirum, dum, post vide-

a. orationes, orationes *V*. b. quacumque *V*. c. qui *V*. d. et ce *V*. e. saectae *V*.

1. Thess. 1, 2. 3. 2. Iacob. 5, 16. 3. Matth. 18, 19. 4. 2 Timoth. 3, 1.

licet positis antiquorum patrum decretis ac legibus ecclesiasticis 755
relictis, multi iuxta proprias adinventiones prava et plurimorum exeunte anno
nociva saluti sentiunt adfirmant atque agunt; ut scilicet transacto anno a quodam magnae auctoritatis viro dictum et[a] gestum esse constat. Ad haec autem nos, ut timeo pusillanimes et minus zelo iustitiae accensi, quid aliud in primis agere debemus, quam ut indesinenter suffragia sanctorum postulemus[b] apostolorum martyrumque Christi ac venerabilium antistitum ecclesiarum Dei; ut in hoc, quod vocati ac constituti sumus, continuis excubiis Christi gratia nos faciat perseverare; et ut non simus reprobi sed magis accepti, non desides sed sollertes, non dispergentes sed congregantes, quoscumque valeamus, ad unanimitatem christianae religionis et unitatem ecclesiasticae conversationis; quatenus ministerium nostrae dispensationis et laboris sollertia ad laudem et gloriam Dei omnipotentis proficiat, ut cum bene servientibus ac placentibus Deo quandoque mereamur audire: *Beatus servus, quem, cum venerit Dominus, invenerit vigilantem*[1]; *Amen dico vobis, quod super omnia bona sua constituet eum*[2].

Et ad haec frequentius ad memoriam exempli causa revocemus: recordande memoriae egregrius magister et martyr beatus Bonifatius quomodo vel quanta sollertia laboraret in doctrina Dei, quanta pericula atque difficultates pro amore Christi et animarum lucro etiam usque ad ipsam mortem libenter tolleraret. Et quia Omnipotentis modo familiaris factus est, prudentia vestra sollerter attendat: si eius vos oporteat sacris ammonitionibus consentire et pietatis illius exempla pro viribus sequi. Ille enim, quantum illius domesticus factus est, quem amavit ante omnia, tantum maiora apud eum poterit optinere. Unde quippe, si aliqui subiectorum illius, quibus eum quondam divina dispensatio magisterii loco prefecit, ab eius documentis spiritalibus dissentiunt vel prava conversatione recedunt, qui defensor illorum in eterno iudicio esse potuit, fit potius accusator et ratio-

a. e *V*. b. postulamus *V*.

1. Matth. 24, 46; Luc. 12, 37. 2. Matth. 24, 47.

755 exeunte anno nes ab eis cum ipso iudice dictrictius requirit. At vero e diverso, quicumque illius sacrae institutionis ac doctrinae normulam rite consequuntur, pro certo se sciant et ipsius Romanae atque apostolice ecclesiae, a qua legatus eis et doctor directus est, ac deinde pariter cum ea omnium nostrum habere et viventes et morientes in oratione et missarum celebratione, ut supra diximus, perpetuam communionem; si tamen usque ad finem firmam vobis, dehinc doctoribus et rectoribus suae salutis, humiliter atque amabiliter pro Deo et aeterna mercede non dedignantur obaedire; non deficientes aliquando, ut indevoti vel subdoli, sed semper ut bonae indolis discipuli proficientes et fideliter adherentes suae milicie in Christo magistris ad palmam supernae vocationis Dei et gloriam regni caelestis.

Haec salutatoria vestre sanctitati scripsimus verba, non quasi ignaris aut indigentibus[a] nostrae rusticitatis normula, sed caritatis[b] atque communitionis mutuae gratia; contestantes et obsecrantes per omnipotentem Deum et filium eius Iesum Christum et adventum ipsius et regnum eius[1]: ut vos, o karissimi, cuncti generaliter cum subiectis vobis in Christo per omnia sitis semper ad invicem fideles adiutores et unanimes cooperatores contra omnes orthodoxae fidei inimicos atque hereticos et scismaticos ac nequissimae conversationis homines. Per hoc enim eritis bonis hominibus amabiles seu laudabiles et Deo omnipotenti acceptabiles atque cari. Et ita cum ipso praefato beato patre et prodecessore vestro felicem in futuro vocem a iudice cunctorum Christo singuli mereatis audire: *Euge* inquiet *serve bone et fidelis; quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam; intra gaudium Domini tui*[2]. Amen.

+ Omnipotens Deus vos omnes diu incolumes in suo sancto amore et timore custodire dignetur, dilectissimi fratres ac filii +.

+ Cuthberhctus archiepiscopus
+ Lullo coepiscopo.

a. indientibus *V.* b. sedicaritatis *V.*

1. V. 2 Timoth. 4, 1. 2. Matth. 25, 21.

109. *Milret episcopus Wigorniensis Lullo episcopo scribit de Bonifatii obitu deque caritate inter se gerenda*[a].

(S 78, W 117, G 106)

Domino amantissimo et in Christo carissimo Lullae episcopo Milret[1] servus Deo servientium. 755 exeunte anno

Postquam a tua praesentia et a conspectu corporali sanctissimi praesulis et beatissimi patris Bonifatii, nollens vellens, tristis abscedebam[b] et per varios casus et multa discrimina rerum vestris almis orationibus ad terram nostrae pervenimus nativitatis, ibi necdum integro expleto anni curriculo[c], nuntium ad nos perlatum est triste: beatissimum patrem de ergastulo[d] carnis ad superna migrasse. Si tamen id triste dicere fas est; cum talem ad caeli patronum[e] meruimus praemittere regna, cuius nos sacris intercessionibus Deo auxiliante ubique esse suffultos, certa credulitate confidimus. Et quamvis praesentis vitae amissum[f] solacium multis et amaris luximus lacrimis, tamen ille, qui suo sanguine fuso Christo consecratus est martyr, decus et columen[g] omnium, quos praesens protulit patria, suo beatissimo agone optimo labore consummato, gloriosissimo fine peracto, nostra valde mesta maiore letitia mitigat[h] et demulcit pectora. Nos nostram dolemus vicem, in valle lacrimarum et in hac vita, quae tota temptationum, manentes. Ille, peregrino labore magno cum sudore expleto, ad gloriosissimam Christi martyr pervenit mortem et — pro nostris, ut credo, excessibus, si Domini sinit pietas, fidelis intercessor — in caelesti Hierusalem cum Christo, beatissima sorte sanctis coniunctus civibus, superna laetus consistit in arce. Haec de amantissimo patre; cuius venerabilem vitam et gloriosam finem ut mihi in notitiam venire facias, totis viribus exopto.

Aliud ex sodali colligio dicere mente occurrit, tuamque dulcissimam caritatem intimis obsecro praecordiis et, tamquam tuis pedibus praesentialiter prostratus, humiliter inploro[i]: ut

a. *ex V* 50*v* — 51. *Sine lemmate.* b. obscedebam *V.* c. circulo curriculo *V.* d. argastulo *V.* e. patronem *V.* f. amisum *V.* g. columem *V.* h. mittigat *V.* i. inploro *V.*

1. ep. Wigorniensis, 743—775.

755 exeunte anno fraternam dilectionem, quam inter nos communis pater beatae recordationis et sanctae memoriae Bonifatius Christi annuente caritate sacris conciliavit verbis, almis unavit oraculis, non transitoria sed fixa recordatione tua recondas[a] in corde. Quia mihi et tibi valde profuturum omni ambiguitate postposita scio, si tam egregii doctoris praecepta implere conamur. Meque[b], omnium fratrum tuorum minimum in meritis, fraterna caritate instruere, sacris munire[c] praeceptis, almis orationibus fulcire[d], o amantissime presul, non pigiat. Unde fateor et fida promissione[e] spondeo, vestris sincerissimis iussionibus iuxta qualitatem virium in omnibus libenter me esse secuturum; et firma dilectione fidam amicitiam, quam diu spiritus hos regit artus vitalisque flatus his moribundis inhabitat membris, tecum servare intima caritate Deo teste profiteor et totis viribus medullitus admodum exopto; ut fiat Christo tribuente[f], quod scriptum est: *Erant illis omnia communia*[1]. Sed haec omnia, quae[g] breviter a nobis dicta sunt, si Deus omnipotens prosperum concedit iter, per gerulos istarum litterarum plenius et verbialiter tibi indicare curavi. Misimus preterea parva munuscula, quae optamus ut ea[h] dilectione accipiatis, qua a nobis Deo teste destinata sunt. Vestram dilectionem, pro nostris excessibus intercedentem, Christus tuere dignetur.

Librum pyrpyri metri ideo non misi, quia Gutbertus episcopus[2] adhuc reddere distulit. Emmanuel.

Epistola Milredi episcopi offerenda Lullae episcopo.

---

110. *Cineheardus episcopus Vintoniensis Lullo episcopo respondet de mutuis precationibus et subsidiis. Rogat, ut libros sibi mittat. Munera addit*[i]. (S 74, W 115, G 104)

c. 755-756 Domino dignissime venerando et merito insigni ac prestantissimo, longe lateque pro christianae religionis praedicanda doctrina diffamato et pro conversatione vitae probatissimae cele-

a. recondis *V.* b. neque *V.* c. monire *V.* d. fulcere *V.* e. promisione *V.* f. tribuenti *V.* g. qui *V.* h. ae *V.* i. *ex V* 48 — 48*v*. *Lemma:* Epistola Lullae.

1. Act. apost. 4, 32. 2. Cantuariensis, 740—758.

berrimo, nobis quoque non inmerito ob cognationis nostrae semper memorande necessitudinem karissimo Lullae episcopo Cineheardus[1], indignus ut vereor, episcopus Wentanae civitatis ex intima visceralium medullarum affectionę[a] aeternaliter in Christo salutem. c. 755-756

Perlectis litterarum a tua sanctitate directarum dulcissimis ac nimium placabilibus periodis[b], in quibus amicabiliter nostram parvitatem conperimus salutatam ammonitamque, ut eandem unitatis observantiam custodiret, quam antecessores nostri fideliter fine tenus observarunt — domnus Bonifacius archiepiscopus Christique[c] confessor beatificandus et Danihel[2] doctissimus Dei plebis famulus, simul et successor eius Hunfrithus[3], episcoporum mitissimus, — et cetera, quae te melius recoluisse credimus in caraxatis[d] commendata, mentis diligentissima indagine didicere curavimus. Et gratiarum actiones condignas, in quantum sufficimus, persolvendo gerimus, quod nostri memoriam, interpositis tantarum spatiis terrarum marisque magni interluente latitudine, facere dignemini. Et hoc profitemur, quod omnia quae, tua sanctitate suggerente, mandata sunt, studiosissime Domino favente conplere satagimus, non tantum in spiritali orationum solatio exhibendo et missarum sollemnitate celebranda pro vobis et pro illis, qui in vestris regionibus in Christi confessione obeunt; sed etiam, si qua saecularis substantiae solatia vestris usibus profutura in his regionibus adipisci poterimus, vestrae participationi parata erunt.

Et hoc petimus, si qua apud vos solamina, nobis necessaria vel ignota, spiritalis quidem scientiae sive in libris antiquis, qui a nobis non habentur, sive in aliis ecclesiasticis administrationibus, ut nobis libenter participare non negetis[e]. Nec non et, si quos saecularis scientiae libros nobis ignotos adepturi sitis — ut sunt de medicinalibus, quorum copia est aliqua apud nos, sed tamen sigmenta[f] ultramarina, quae in eis scripta con-

a. afectionę *V.* b. perhiodis *V.* c. xp̄itique *V.* d. maraxatis *V.* e. non egetis *V.* f. *an* pigmenta?

1. ep. Vintoniensis, 754—780. 2. 705—746. 3. 745—c. 754.

c. 755-756 perimus, ignota nobis sunt et difficilia ad[a] adipiscendum — vel si qua in aliis quibuslibet negotiis vel speciebus nobis necessariis providetis, communicare dignemini, ut fecistis villosam mittendo.

Nomina quoque presbyterorum vestrorum diaconorumque ac monachorum vel monacharum[b] sive ceterorum, que misistis, per monasteria et per ecclesias nostrae diocesis direximus ad celebranda[c] pro eis missarum sollemnia et orationum suffragia. Id ipsum facere vestram sanctitatem suppliciter exoramus pro eis, quorum nomina vobis habemus dirigenda, et nominatim cum personis suis scribenda, eorum scilicet, qui mihi proprie atque huic ecclesiae, cui servio, amicissimi vel subditi fiebant vel prelati.

De nostro quoque vili vestitu parva exseniola direximus tuo cultui, quanquam indigna, tamen petimus accommoda; hoc[d] est: tonica lanea aliaque linea, sicut mos est apud nos habendi, caligas; et peripcemata[1]: orarium et coculam[2] et gunnam[3] brevem, nostro more consutam, ad indicium plenissimae dilectionis nostrae. Quae te suscipere pro tua humilitate, obnixe[e] precamur, habereque ad memoriam mei nominis saltim aliquod spatium temporis. Ceterum si qua sunt tuae sanctitati insinuanda, portitor huius epistiunculae viva voce valet enarrare.

✝ Opto te, o karissime frater, orantem pro me, orante[f] pro te, in Domino bene valere felicemque evo longiore vixurum, ad coronam celestis gloriae postea perventurum, domine insignis et pater prestantissime. Amen.

---

111. *Lullus Gregorio, abbati Traiectensi facto, gratulatur. Mutuum amorem servari vult. Varia suadet*[g].

(S 45, W 103, G 93)

755—757 Clarae Christi ecclesiae lampadi luciferae meoque in doctrina divinae legis devotissimo adiutori Gregorio, duplici pres-

a. ad *om. V.* b. monachorum *V.* c. celebrandam *V.* d. hęc *V.* e. obnixae *V.* f. orantem *V.* g. *ex V* 29—30*v. Lemma:* Item epistola Lulli.

1. tricas, nugas. 2. „sagum Hibernicum villosum absque sutura“ Ducange. 3. tunicam pelliciam, Angl. „gown“.

biteratus abbatisque[1] honore cum precedente propriorum meritorum suffragio decorato, Lullus, extremus orthodoxae matris videlicet ecclesiae alumnus, inmarcescibilis caritatis in angulari lapide utriusque testamenti[2] salutiferam salutem. 755—757

Fido gestante gerulo, munera largitatis tuae ad me usque delata pervenerunt; sed et suavissimas benivolae[a] caritatis tuae salutationes, omne munus vincentes, more solito pariter comitabantur. Quibus auditis et perceptis, uberes Deo piissimo primitus egi gratias, ut decuit. Et deinde fraternitati tuae debitas[b] reddidi grates; quia te in minore potestate fidelem sciebam, in maiore citius fideliorem conprobavi.

Conperto autem[c] prosperitatis tuae successu, eger animus[d] utrumque egit: gaudebat de ascensione cari[e] sodalis, sed contristabatur de divisione. Quia hoc intollerabile apud homines videtur, dum is, qui pre ceteris plus diligitur, repente subtrahitur; quamvis pro certo sciam, quod nulla terrarum spatia illos dividere possunt, quos verus Christi amor indisrupto[f] germanitatis vinculo nectit. Teste Deo — ne videar adolando fallere — quia te, pater, quantum mentis possibilitas adtribuit, interni affectus amore diligo.

Hoc autem subnixa prece humiliter obsecro: ut numquam semel in Christo ceptam[g] caritatem desidia torporis in nostro pectore frigescere sinamus velut parvam scintillam tenuis ignis, fulva cinerum favilla suffocatam; ne in derisum veniamus a pretereuntibus ceptum aedificium considerantibus turris[3]. Dicit scriptura: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*[4]; nec quilibet artifex de cepto opere laudatur, sed de perfecto. Hoc autem meam mediocritatem, quamlibet aetate iuniorem, merito graduque minorem, scientia inferiorem, absque ullo du-

a. baenivolae *V*. b. debitus *V*. c. h' *V*. d. aninus *V*. e. cur *V* (cari *scripsit Serarius*). f. indisripto *V*. g. ceptum *V*.

1. V. Vita S. Gregorii Traiectensis abbatis c. 14 ap. Mabillon Acta SS. ord. Ben. saec. III 2 p. 329: „post martyrium sancti magistri (Bonifatii) ipse quoque b. Gregorius a Stephano (III 752—757) apostolicae sedis praesule et ab illustri rege Pippino suscepit auctoritatem seminandi verbum Dei in Fresonia“. 2. V. Ephes. 2, 20. 3. Cf. Luc. 14, 29. 4. Matth. 10, 22.

755—757 bitationis scrupulo et servasse et servaturam esse, scito. De tua vero vitae gravitate mentisque stabilitate nihil dubito. Muniamus nos spiritali armatura[1] iuxta apostoli preceptum, orantes pro invicem, ut salvemur; quia multum deprecatio iusti adsidua, Iacobo[2] attestante, apud Deum valet. Et eo diligentius huic insistamus, quo vehementius nos variis temptationum telis inpugnari non ignoramus. Dextera scilicet fortior levam infirmiorem adiuvare non cesset[a]; et leva dexterae sicut ancilla domine deservire non desinet. Id est — meam instabilitatem bonae vitae tuae exemplis castigando, corrigendo, admonendo — quamvis absentem corpore, spiritu tamen presentem, sicut tibi moris est, ad melioris vitae perfectionem deducere non desinas; et ego tibi humili devotione, quantum vires subpeditant, fidelem famulatum in omnibus prebebo.

Exhortatoria mediocritatis meae[b] verba, quamvis fatua et superflua videantur, obsecro, ut non moleste a tuae caritatis collegio recipiantur. Que sola caritas exigebat scribere sine dictandi materia, quae omnia vincit, sicut scriptum est[3]:

Omnia vincit amor[c]; et nos cedamus amori,

ablata omni tumoris superbia.

Haec sunt suasoria verba, que sine meo periculo dicere non possum: ut in hac temporali potestate et terrestri dicione, qua auctore Deo iam nunc uteris, dominicae sententiae semper memor sis tonantis: *Regnum meum non est de hoc mundo*[4]. Et illud apostoli: *Nolite diligere mundum neque ea, quae in mundo sunt*[5]. Quibus verbis quid[d] aliud innuitur, nisi aperte dixisse illos intellegamus: *In illum nolite oculum mentis vestrae figere, quem cotidie ipsa ruina sua cernitis cadere; sed in illum tota mentis intentione aspicite illumque totis viribus diligite, qui ante omnia saecula est et per omnia saecula inmutabilis manet, qui futuro et preterito tempore caret, sed esse sibi*

a. cessat *V.* b. maee *V.* c. Amor omnia vincit *V.* d. quod *V.*

1. Cf. Ephes. 6, 11. 2. Iacob. 5, 16: „orate pro invicem, ut salvemini; multum enim valet deprecatio iusti assidua“. 3. Virgil. Ecl. 10, 69. 4. Ioh. 18, 36. 5. 1 Ioh. 2, 15.

semper essentialiter est. Quid[a] est enim huius mundi fugitiva felicitas et caduca prosperitas nisi vapor et fumus? Inter temporalem prosperitatem[b] et aeternam felicitatem multum distare, quis peritorum ignorat? Discamus igitur hac temporali potestate frui preter eternam felicitatem, et in cuius conparatione nobis omnia vilescant. 755—757

Vestimenta preciosa, caballos farre pastos, accipitres[c] falconesque cum curvis unguibus, latrantes canes, scurrarum[d] bacchationes, cibi potusque exquisitae dulcedinis sapores, argenti aurique rutulantis pondera spargantur; ut sit mollis culcite pausatio. Molliaque cervicalia a viris potius exibeantur quam a flammeis puellis. Ante omnia incauta familiaritas extranearum feminarum[1] abscidatur; quia sepe seducimur incauta securitate peius, quam aperta temptatione. Tumultuosam ministrorum multitudinem clandistina divinarum scripturarum eloquia expellant. Quia illa fovea omni custodia cavenda est, per quam plurimos miserabili ruina conspicimus corruisse. Nam sepe robustus miles infestissima telorum iaculatione eo fortius inpugnatur, quo invictus videtur. Quamvis hoc inisse te negotium liquido noverim occasione lucrandarum animarum et pro studio multiplicius serviendi Deo, tamen memento: quia mollem manum durus capulus exasperat. Quapropter, care collega iam dudum, et nunc pie preceptor, *in omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis*[2].

Festinatio autem ad te veniendi propter multiplicem tribulationem, quam iugiter Deo gratias sustinemus, mihi undique denegata est. Huius muneris magnitudinem noli intendere, sed devotam mentem dirigentis intuere.

Antique familiaritatis fiducia fretus, libet mihi: hac aepistiuncula quandam sententiam, frequenter apud nos habitam quando limpida dicta Dei communiter[e] rimabamur, breviter tangere; nequaquam tamen ad tuae purae relegionis personam

a. Qui *V.* b. prossperitatem *V.* c. accipitros *V.* d. scarrarum *V.* e. commoniter *V.*

1. Cf. Gratiani decr. I D. 81 c. 27. 2. Eccli. 7, 40.

755—757 pertinentem — cuius[1] bene recordaris, dum legitur — sed ad quendam scismaticum nefandissimum pertinebat. Qui semper iurare solebat, nihil se terreni accepturum, cum subito ex inproviso velut novum fantasma episcopus apparuit.

Hoc iam maxima ex parte futurum esse formidabo, longioris sermonis prolixitas legenti fastidium ne gignat[a]. Nam sapiens paucis utitur verbis; stultus autem multis fatuatur[b], sicut et ego. Obsecro, istius epistulae rubiginem emendando absterge, meique erroris indulgentia detur. Deus tibi, quod ad salutem tuam pertineat, clementer inspirare dignetur; et cum grege tibi commisso[c] incolumem pastor pastorum te custodiat. Propria manu scribsi haec: Observa, quae precipiuntur, et salvus eris.

---

112. *Quidam monacho cuidam de visione feminae cuiusdam refert*[d]. (S 71, W 147, G 137)

post 757 .... aliae usque ad ascellas et usque ad collum; et aliis supra caput ebulliens tormentum ascendebat ignis et atramenti. Ibi abbatum[e] abbadissarum comitum et omnis sexus multitudo visa est varie torqueri. Et multis adhuc viventibus, universae dignitatis et ignobilitatis, loca pro meritis peccatorum parata. Et omnes animas in puteis quandoque solubiles esse, vel in die iudicii aut ante. Et narrabat unam feminam redemptam de aliquo puteo missarum sollemnitatibus[f]. Et hoc maximum bonum animabus, egredientibus de corpore, dixit. Et omne genus humanum et totum mundum per[g] animas collectum ante conspectum suum; ut discernere, quid quisque vel boni vel mali egisset, nominatim in corpore vivens ea hora, et pene omnium vivorum merita narrare potuisset. Et postea terram viventium et gaudentium, plenam odoriferis floribus, et multas animas notorum et ignotorum nobis hominum sicut et in omnibus locis

a. gignet *V.* b. fatuatur *scripsi pro* fatigatur *V.* c. commiso *V.* d. *ex V* 45—46. *Deest initium huius epistolae; nam quod praecesserat folium excisum est.* e. abbatuum *V.* f. sollemnitatibuus *V.* g. per *addidi.*

1. sc. sententiae.

se vidisse ibi, testabatur. Deinde ab ipsa terra tramitem usque ad caelum primum in specie arcus caeli, inde alium ad secundum, a secundo ad tertium; et albatorum conventicula vivorum et mortuorum; et superius celum semper pulchrius inferiori aspexisse, ferebat. Et in ipso monasterio universis manentibus Ingedrage demandatum est ei a iudice pandere delicta atque peccata omnia; ceteris hominibus nec preceptum nec interdictum est. Et cetera plura sunt, que nominatim singillatimque nobis indicavit. Longum est mihi explicare; et maxime dum reminisci ordinaliter nullatenus valeo. Nisi hoc adhuc recordor, quod demones[a], in tres turmas ultra modum magnas divisos[b], unam in aere, aliam in terra, et in mari tertiam ad penalia loca parare[c] tormenta vidit. Primam namque turmam ad decipiendum homines in hac communi[d] vita contendere; secundam egredientes de corporali ergastulo animas in aere continuo inhianterque persequi et ad tormenta trahere[e] aspexit. post 757

Et in ipsis poenalibus puteis Cuthburgam[1] simulque Wialan, quondam reginali potestate fruentes, demersas. Alteram usque[f] ad ascellas, id est Cuthburg, capite autem[g] humeroque praeclaram, ceteris membris maculis consparsam; alteriusque, id est Wialan, supra caput flammam se[h] extendere, totamque animam simul cremari intuebatur. Ipsos autem poenarum ministros in facies illarum proprias carnales voluptates[i] quasi lutum ferventem inicere[k]. Et horribilem ululatum quasi[l] per totum mundum resonasse miserabiliter vocibus earum, audiebat.

Hic quoque ipsum exulem aliquando comitem, qui dicitur Ceolla Snoding, incurvato dorso, capite pedibusque uncis ad . . . . . . infixum; abbatem quoque tuum in ipso de supra dicto duplici fumo; Aethilbealdumque[2] quondam regalem tyrannum,

a. quod demones *scripsi pro* demones quod *V.* b. divisas *V.* c. parere *V.* d. commoni *V.* e. trachere *V.* f. usu. *V.* g. ħ *V.* h. se *addidi.* i. volumptates *V.* k. iniecere *V.* l. quem quasi *V.*

1. Ea non videtur fuisse Cuthburga, Aldfredi regis Northanhumbrorum (685—705) uxor, quae monasterium Winburnense condidit. De qua v. Chronicon Anglosaxonicum ad 718. 2. regem Mercionum qui a. 757 occisus est. V. Bedae chronologia continuata, Opp. ed. Giles T. III 324; cf. Lappenberg Gesch. v. Engl. I 221 n. 2.

post 757 simulque infantium numerosam multitudinem, sub Danielo episcopo[1] maximę sine baptismo morientium, tristem et merentem aspexit; formulam unius cuiusque, secundum specialem effigiem animae, pristinis conparem membris, speciebus vero diversis: alias claritatę solis, alias lunae, alias stellarum radiis proprie communiterque[a] fulsisse cognovit.

De ipsis autem vivis, qui supersunt adhuc, contemptoribus tam profuturae revelationis, Danielo milite[b] Breguulfo collegiisque, eorum stupris communibus[c] emeritisque poenis, qualia se vidisse testabatur, nobis silendum reor.

In fine autem huius visionis inenarrabilem sonitum, quem[d] trina illa caelestium luminum spatia et omnes animarum multitudines in his manentium resultabant[e], superius, tamquam vocem tubarum multarum in inferiora discendentem mirabiliterque vincentem, audivit. Statimque post haec recedente oromate[2], angelicis ducibus et germana simul monentibus, ... atque memoriter amorem creatoris mente fideli retenuisset, corpori reddita est. Tamen intra[f] carnales augustias aliquandiu innumerabilem multitudinem spirituum inmundorum lugubriter gementem vidit, quia detectas suas nequitias hominibus, quas exercuerunt, divino munere esse cognoverant.

Ad confirmationem autem huius ostensionis aegritudinis suae salutem — quae prius, pene toto corpore simul conligato, per biennium extensa est — quod factum nunc cum misericordia Dei late cognoscimus, predixit. Non hoc solum, sed et confamiliaribus singillatim specialia ceterisque incognita, et non ipsis tantum, sed regi reginaeque episcopisque et multis, quorum nomina longum est scribto[g] continere[h], manifeste innotuit. Ieiunium quoque pro communibus[i] totius familiae predicte[k] reatibus, 40 dierum spatium continentem, ex ipsius Iudicis imperio indixit. Venturamque vindictam hominibus propriis communi-

a. commoniterque *V.* b. milito *V.* c. commonibus *V.* d. qui *V.* e. resultantem *V.* f. inter *V.* g. scripto (b above p) *V.* h. contenere *V.* i. commonibus *V.* k. predicate *V.*

1. Vintoniensi. 2. oroma (ὅραμα) est visio.

ter[a] corporibus pro neglegentia extranearum forinsecus per creaturam monitionum Dei[b], ceteraque his similia multa, predixit. Et antea hanc miseram vitam, dum ex superiore contemplatione reversa fuerat, vitiis superbie invidiae cupiditatis[c] detractionis ceterisque, quasi nigerrimo peplo, contectam et sine lumine remansisse aeternae claritatis, conspexisse se, lugens protestabatur. post 757

Vale in Christo, et mei sine intermissione[d] in orationibus fraterno amore . . .

---

113. *Bregowinus archiepiscopus Cantuariensis Lullo episcopo Hildeberhtum nuntium mittit. Addit de muneribus per Ishardum missis, de amicitia inter se gerenda, de Buggae abbatissae morte*[e]. (S 103, W 130, G 120)

Reverentissimo et in Christo karissimo fratri Lullo episcopo Bregowinus[1] servus servorum Dei perpetuam in Christi nomine salutem. 759—765

Dies multi elapsi sunt, ex quo sollicitus praeoptabam, ut Deo favente tandem aliquando prosperum iter legatarii nostri perveniendi ad beatitudinem vestram invenire potuissent. Quia per hos, scilicet proxime decurrentes priores, annos plurimae ac diversae inquietudines apud nos in Brittaniae vel in Galliae partibus audiebantur existere; et hoc videlicet nostrum desiderabile propositum saepius inpedivit et perterrendo valde prohibuit de nostris aliquos ad vos dirigere per tam incertam tamque[f] . . . . crebris infestinationibus inproborum hominum in provinciis Anglorum seu Galliae regionis. Nunc vero pace ac tuitione nobis a principibus indubitanter undique promissa, misimus[g] ad vestram venerabilem fraternitatem hunc praesentem fratrem, istarum presentium litterarum baiulum, Hildeberhtum nomine; reminiscens videlicet, qualiter inter nos in civitate Romana de amicitiae conventione conloquium habuimus; quod etiam nos servare omnimodis confitemur. Quapropter et ego

a. commoniter *V*. b. *sic*. c. cupuditate (is *superscr.*) *V*. d. intermisione *V*. e. *ex V* 65*v* — 66*v*. *Sine lemmate*. f. *sequitur litura quatuor fere litterarum*. g. missimus *V*.

1. archiepiscopus Cantuariensis, 759—765.

759—765 nunc, in tuae beatitudinis amicitia confisus, ut secundum quod antecessores nostri inter se facere non cessarunt, ita etiam et nos facere similiter adoptamus, mittentes verba suavissima salutationis et pacis; ut euangelicus sermo impleatur in nobis: quod eius esse discipuli mereamur, si dilectionem habuerimus ad invicem[1].

Idcirco tibi indicare curavimus, nos misisse vestrae beatitudini parva quedam munuscula, non parva siquidem caritate — id est capsam unam ad officium quidem sacerdotale, ex ossibus fabricatam[a] — salutationis tantummodo ac benedictionis causa, per Ishardum religiosum presbyterum; ut ea, quae[b] nostra sunt, benigne suscipiatis. Similiterque et nos a vobis bona recipere optamus.

Insuper etiam, omnium fratrum carissime, pro certo hoc nosse tuam amabilem devotionem Deo teste desidero: quod tuae sanctitatis dilectionem in eundem caritatis locum et fraternae societatis consolacium libenter suscipio atque tenacius contineo, in quo videlicet beati patris et prodecessoris tui Bonifatii semper inconcussa mansit et permanet iugiter reposita dilectio; ut inter nos quoque et nostros deinceps familiaris ac spiritalis amicitia tam ad animarum nostrarum remedia in orationibus et missarum celebrationibus quam ad huius vitae quaeque conpetentia fraternaque suffragia fideliter persistat. Et ad haec quoque, quae praemisi, magnopere tua perfici dilectione desidero: ut omnes quippe sacerdotes Dei et familias benedicti ac beati Bonifatii martyris Christi diligenter atque amabiliter ex meo salutes nomine horterisque pro nobis, quod et pro ipsis facere non desistamus, omnipotentis Dei clementiam obnixis exorare precibus. De redditione vero praefatae rei sive per verba fratris nostri sive etiam per litteras tuae fraternae pietatis nos certiorare iubeto. Omnipotentis[c] Dei pietas sua vos protectione muniat, et ad utilitatem plurimorum sanctitatis vestrae sincerissimam caritatem iugiter in perpetuum conservare et custodire dignetur.

a. fabricatum *V.* b. *an* quia? c. omnipopentenis *V.*

1. Ioh. 13, 35.

Diem vero depositionis religiosae Christi famulae Buggan celebramus, quae fuit honorabilis abbatissa: cuius etiam dies depositionis fuit 6 Kal. Ianuarias. Rogavit me obnixe, dum adviveret, ut hoc vestrae beatitudini transmitterem. Et[a] sicut speravit et credidit, ita facere curate; quoniam illius pater atque patronus fuit in Christo Bonifacius episcopus. 759—765

---

114. *Lullus episcopus pontifici*[1] *Romano scribit contra Willefrithum et Enraed presbyteros*[b]. (S 100, W 112, G 101)

Sancta et regularia instituta, canonica auctoritate confirmata tam episcoporum nostrorum venerabilium quam etiam domni nostri regis Pippini consiliatorumque eius, manifesta ratione scimus conservanda. Quapropter caritati vestrae reticere non audemus: quod in parrochiam nostram contra ius canonicum a Willefritho presbitero[c] quidam adductus est presbiter[d] in alia ordinatus parrochia, non consentiente antecessore meo sancto Bonifatio archiepiscopo neque me, successore eius. Qui, et institutionis vestrae decreta contemnens et in parrochia nostra constitutus, nostrum sprevit magisterium. Cognita enim canonum auctoritate, decrevistis: ut omnes presbiteri, qui in parrochia sunt, sub potestate episcopi esse debeant; et ut nullus eorum praesumat in eius parrochia aut babtizare aut missas celebrare sine iussione episcopi; et ut omnes presbiteri ad concilium episcopi conveniant. Quae omnia facere contemsit praedictus ille presbiter nomine Enraed, et ideo secundum quod definistis, increpationis a me sententiam sortitus est. Sed cum nec ita emendatus penitere de praeteritis voluit, novissime secundum canonicam institutionem vestram excommunicatus est a me. Et exinde a supradicto Willefritho susceptus est ac defensus. Vestra autem nunc de his caritas, quod rectum sit ac iustum, iudicet; et non solum de his, sed de omnibus quae perverse, male vivendo, peregit et hic manifestata reperiuntur: 755—768

a. ut *V*. b. *ex V* 63—63*v*. *Sine lemmate*. c. prbi *V*. d. presbi *V*.

1. aut Stephano III (752—757), aut Paulo I (757—767), aut Constantino II (767—768).

755—768 Abstulit enim mancipia et servos de ecclesiis sibi commissis[a]: Faegenolfum servum nostrum et duos filios eius Raegenolfum et Amanolfum et uxorem eius Leobthruthe et filiam eius Amalthruthae; tradidit eos in Saxoniam contra equum unum homini nomine Huelp, quod ipse eos duxisset in Saxoniam. Willefrith vero, supra dicti Raegenolfes filium, transmisit ultra mare[b] cum Aenredo; et ipse eum dedit matri suae in servitutem. Servum vero et ancellam, quos Aohtrich dedit ad aecclesias nostras supra dictas pro anima filii sui, Willefrith abstulit atque rapuit furtim; nomen servi Theodo et nomen uxoris eius Aotlind. Liudo vero servum nostrum Aenraed presbiter tradidit puero Aldberchtes[1] de Aefternacae, nomen Upbit, contra equum unum. Et Erpwine servum nostrum, aliis nescientibus, furtim nocte abstulit cum nonaginta et quatuor porcis; quem Hredun dedit ad ecclesiam nostram. Et altera vice abstulit duos servos nostros Zeizolf et Zeizhelm; et primo quatuor boves nostros, secundo tres, et novissime octo vaccas cum septem bobibus, iumentas vero septem optimas, aetate quatuor annorum, quas dedit Wenilo ad ecclesias supra dictas. Willefrith abstulit et multos alios equos inde nutritos, quos minavit ad Hamulanburg[2]. De auro vero et de argento, quod dedit Raegenthryth filia Athuolfi ad ecclesias nostras, duas armillas aureas et quinque siglas aureas, valentes praetio trecentorum solidorum, et aliorum fidelium virorum ac mulierum pretia Enraed abstulit ab ecclesiis supra dictis non solum in auro et argento, sed etiam in vestimento et armis et equis.

Sed quia longum est, ut per ordinem replicemus omnia, quae rapta sunt ecclesiis supra dictis ac spoliatis, nec quae facta contra canonica instituta sunt, vestro sanctissimo iudicio adscribimus emendanda.

a. commisis *V*. b. marae *V*.

1. abbatis Epternacensis, c. 744—777. V. Gallia Christiana XIII 577.
2. Hamelburg ad Salam fl., a Wirziburgo ad septemtriones.

115. *Pippinus Francorum rex Lullo episcopo mandat de gratiis deo pro fertili anno agendis*[a]. (S 96, W 109, G 98)

Pippinus gratia Dei rex Francorum vir inluster domino 756—768
sancto patri Lullo[b] episcopo.

Cognitum scimus sanctitati vestrae, qualem pietatem et misericordiam Deus fecit presenti anno in terra ista. Dedit tribulationem pro delictis nostris, post tribulationem autem magnam atque mirabilem consolationem sive habundantiam fructus terrae, quae modo habemus. Et ab hoc atque pro alias causas nostras opus est nobis, illi gratias agere, quia dignatus est servis suis consolare per eius misericordiam. Sic nobis videtur, ut absque ieiunio indicto unusquisque episcopus in sua parrochia letanias faciat, non cum ieiunio, nisi tantum in laude Dei, qui talem nobis habundantiam dedit; et faciat unusquisque homo sua ęlimosina et pauperes pascat. Et sic previdere faciatis et ordinare de verbo nostro, ut unusquisque homo, aut vellet aut nollet, suam decimam donet. Valete in Christo.

---

116. *Lullus Denehardo aliisque scribit de sacris propter imbres in Thuringia faciendis et de mortuorum quorundam memoria sollemniter celebranda*[c]. (S 62, W 107, G 96)

Carissimis filiis Denehardo, Eanberhto, Winberto, Sigeherio, 757—772
Sigewaldo Lullus antistes in Domino salutem.

Admonemus vos, ut rogetis omnes ubique[d] Deo servientes, tam servos Dei quam ancillas Christi, in provincia Thyringorum universamque plebem, ut in communi misericordiam Domini deprecentur, quatenus ab inminenti pluviarum flagello liberemur; id est: ut unam ebdomadam abstineant se ab omni carne et ab omni potu, in quo mel sit; secunda feria quarta feria et sexta feria ieiunetis usque ad vesperum. Et unusquisque servorum Dei et sanctimonialium quinquaginta psalmos cantet omni die in illa septimana. Et illas missas, quae pro tempestatibus fieri soleant, celebrare, vos presbiteri[e], recordamini.

a. *ex V* 60*v*. *Sine lemmate.* b. Lul̄ *V*. c. *ex V* 34*v*. *Lemma:* Item epistola Lulli. d. ibique *V*. e. pbr̄ *V*.

757—772 Misimus vobis nomen[a] domni Romani episcopi[b] [1], pro quo unusquisque vestrum triginta missas cantet; et illos psalmos, et ieiunium iuxta constitutionem nostram. Similiter pro duobus laicis nomine Megenfrith et Hraban decem missas[c] unusquisque vestrum cantet.

Valete in Deo semper.

---

117. *Eanwulf abbas Lullo episcopo de epistola missa gratias agit. Addit de mutuis precibus faciendis*[d].

(S 93, W 125, G 115)

773 Mai. 24 + Domino desiderabili ac iure venerabili episcopo Lullo Eanwlf servus Christi Iesu una cum conservis, qui mecum his in locis suavissimum euangelii iugum pro invenienda in caelis requie[e] trahere gaudent, perpetem in Domino salutem.

Multo quidem gaudio delectatum est cor nostrum, magna exultatione lingua insonuit, nam dum tante vir eruditionis ac sanctitatis ad[f] nos litteras transmiserat. Quapropter paternam tuae caritatis reverentiam obsecramus[g], ut, semper nostri memor, supplices pro nobis Domino preces offerre non refrageris; nos tui quoque sciens semper existere memores, si quid tam vilium apud Dominum valet deprecatio servorum. Quantum enim de omni vestro provectu gavisi sumus, quantamque super his, quae in peregrinis locis vobis prospera cesserunt, laetitiam haberemus! Teque nosse volumus, quod hoc perpetualiter studium caritatis, tuis meritis impetrantibus, observemus. Tuamque per omnia desideramus amicitiam mereri, volentes ipsi per omnia tuae iustae voluntatis obtemperare decretis. Etiam Domino procurante, quando ingrediente te viam universae terrae atque ad premia vitae aeternae perducto, tunc tuum venerabile nomen disponimus scribere cum nominibus episcoporum nostrorum et

a. nomina *V.* b. episc̄ *V.* c. misas *V.* d. *ex V* 59—59*v*. *Sine lemmate.* e. requiae *V.* f. et *V.* g. obsecr̄ *V.*


1. Lullo episcopatum gerente, pontifices Romani obierunt hi: Stephanus III a. 757, Paulus I a. 767, Stephanus IV a. 772.

cum nominibus omnium precedentium fratrum huius monasterii 773 Mai. 24

Ꝑ Orantem pro nobis almam paternitatis vestrae coronam caelestis gratia custodiat, dilectissime in Christo antistes

Scripta indictione 11, 9 Kalendas Iunias

Ꝑ Ad Lul epistola episcopum.



118. *Eanwulf abbas Carolum regem Francorum hortatur, ut fidem Christi propaget*[a]. (S 81, W 140, G 130)

Domino gloriosissimo atque precellentissimo Ceorlo regi 773 Mai. 25
Francorum Eanwlf humilis abbas obtabilem sospitatem.

Propter hoc omnipotens Deus bonos quosque ad populorum regimina perducit, ut per eos omnibus, quibus praelati fuerint, dona suae pietatis inpendat. Quod in Francorum gente factum cognovimus; cui vestra[b] gloria idcirco est preposita, ut per bona, quae vobis concessa sunt, etiam subiectae vobis genti superna beneficia prestarentur. Et ideo, gloriose[c] rex, eam quam accepisti divinitus gratiam, sollicita mente custodi. Christianam fidem in populis tibi subditis extendere festina; zelum rectitudinis tuae in eorum conversione multiplica; idolorum cultus insequere; fanorum aedificia everte; subditorum mores et magna vitae munditia, exhortando terrendo blandiendo corrigendo et boni operis exemplo monstrando, aedifica; ut illum retributorem invenias in caelo, cuius nomen atque cognitionem dilataveris in terra. Ipse enim vestrae quoque gloriae nomen etiam posteris gloriosius reddet, cuius vos honorem quaeritis et servatis in gentibus. Preter ea scire vestram gloriam volumus, quia nos obnixe[d] et indesinenter depraecaturi supernam pietatem pro incolumitate tua[e] et gentis tuae; propterea sublimita-

a. *ex V* 53*v* — 54. *Sine lemmate.* b. uam *V.* c. gloriosae *V.* d. obnixae *V.* e. tua *addidit Serarius.*

773 Mai. 25 tem tuam humiliter deprecantes: ut nostri memor esse nosque loco amicorum suscipere digneris; ut, qui te in orationibus crebris Domino commendare satagimus, ipsi te protectorem habere valeamus et patronum.

Ꝑ Omnipotens itaque Deus in vobis gratiam suam, quam coepit, perficiat atque vitam vestram et hic per multorum annorum curricula extendat et post longa tempora in caelestis vos patriae congregatione recipiat.

Ꝑ Incolumem excellentiam vestram gratia superna custodiat, domine dilectissime. Scripta indictione 11, 8 Kalendas Iunias.

Ꝑ Epistula ad regem.

---

119. *Alhredus rex et Osgeofu regina Northanhumbrorum Lullo episcopo respondent. Petunt, ut pro se suisque precetur. Suos ad Carolum Francorum regem legatos commendant. Munera mittunt*[a]. (S 90, W 108, G 97)

769—774 Ꝑ Alhredus rex[1] et Osgeofu[2] regina Lullo venerabili episcopo, nobis[b] perpetuali amicitia copulato, in Christo salutem.

Scripta beatitudinis tuae simul cum muneribus, litteris adsignatis, debita gratulationis reverentia suscepimus. Maximasque omnipotenti Deo egimus gratias, quod te, in tam longa peregrinatione desudantem et in Christi agonibus decertantem, optatae conservavit[c] sospitati. Et ideo, revertentibus venerabilibus viris, gaudium nostrum sacrorum apicum adtestatione signamus. Ac petimus: uti cotidianis orationibus episcopatus tuus studium ac votum suum circa salutem nostram dignetur inpendere; nos quoque simul cum nominibus nostrorum amicorum et propinquorum, quae hic subscripta sunt[d], litterarum cu-

a. *ex V* 57v—58. *Sine lemmate.* b. in nobis *V, sed* in *inductum esse videtur.* c. conservabit *V.* d. *in cod. subscripta non sunt.*

1. Northanhumbrorum, 765—774. 2. quam quidem anno 768 in matrimonium duxit Alhredus rex, teste Simeone Dunelmensi ad a. 768 (Monumenta hist. Brit. I 663): „Alcred rex eodem tempore accepit reginam Osgearn".

stodia facias contineri; orationibusque et missarum[a] celebrationibus perpetuis Dei patrociniis commendemur. Eodemque modo de vobis et de nominibus ad nos delatis secundum vestram petitionem facere curavimus[b]; et in cunctis monasteriis, nostris dicionibus subiunctis, perpetuis litterarum monumentis commendantur et orationum subsidiis Deo cotidie presentantur. Illudque pietati nostrae satis placuisse cognosce, quod sanctimonia tua de ecclesiarum aut populi perturbatione sollicita est; quae etiam ut fierent, Dei aliquo dispensationis consilio credimus esse provisa. 769—774

Nostris quoque, dilectissime frater, legationibus ad dominum vestrum gloriosissimum regem Carl[1] obsecramus consulendo subvenias, ut pax et amicitia[c], quae omnibus conveniunt, facias stabiliter inter nos confirmari.

+ Divina magestas indefesso certamine pro Christi ecclesia desudantem te conservare dignetur. Parva munuscula tuae dignitati admisimus, id est duodecim sagos cum anulo aureo maiori dono ad dotem.

---

120. *Aeardulfus episcopus Roffensis Lullum episcopum rogat, ut pro se suisque ad deum precetur. Munera mittit. Litteras poscit*[d]. (S 77, W 116, G 105)

+ Reverentissimo nobisque omnium episcoporum carissimo Lullo coepiscopo Aeardulfus, Hrofensis ecclesiae antistes[2], cum sanctae ecclesiae filio Aeardvulfo[3] rege Cantiae sinceram in Christi nomine salutem. 760—778

Veracium igitur sociorum inter alia amicalis memorialisque mos esse dinoscitur, cum sese ob interiacentium terrarum spatia seu provinciarum exterarum regiones presentialiter[e] nequeunt invisere ac salutare, certe per suos fideles nuntios sive etiam

a. misarum *V.* b. curabimus *V.* c. amiticia *V.* d. *ex V* 49*v* — 50. *Lemma:* Incipit epistola Aeardulfus. e. presentaliter *V.*

1. regem factum die 9 Oct. a. 768. 2. c. 747—778. V. Monasticum Anglicanum (London 1846) T. I 154. 3. qui, ab avunculo suo Alrico rege (760—794) in societatem regni acceptus, ante annum 794 obiit. V. Lappenberg Gesch. von England I 241.

760—778 per litteras ad invicem salutationis dirigere verba et de rebus dignis atque utilibus tractare; ne mens scilicet sollicita, quid de statu amici divina dispensatione et iudicio agatur, vel taedio diutius adficiatur vel anxia rerum incertitudine cotidie gemat. Quocirca[a] in primis diligentius salutantes per hunc gerulum visitans eminentiam vestram — desiderium quippe habentes: audire et nosse eandem gloriosissimum prosperumque per omnia profectum habere, hoc modis omnibus optantes — ut nos ipsos nostrosque carissimos vestrae beatitudini[b] subnixis commendamus precibus; ut, in vestris[c] sacris ac Deo placitis orationibus et suffragio vestrae paternae pietatis undique auxiliante Deo muniti atque muro protectionis vestrae circumdati, contra omnes infestationes[d] inimici in hac vita, quae tota temptatio est, defensi, et ad illam, quae morte vacans et fine carens, vestris almis intercessionibus pervenire mereamur.

Misimus vobis parva exenia, id est reptem ruptilem unam; deprecantes obnixę, ut amorem mittentis magis quam censum perpendatis ob spem meliorum; quod celerius fit orantibus vobis, si Dominus vitam et vires concesserit. Memores enim sumus verborum omnium, quae, ex abundantia cordis vestri prolata[e], nostris auribus sonuerunt adimplenda; que, quantum ames amantes te, ex omni parte declarabant. Quid ergo prolate[f] aliud nobis agendum est, nisi quod, quoad[g] Deo disponente et finem cunctorum considerante omnes advixerimus, fideliter ad invicem custodiamus. Preterea nihilominus et deinceps, dum aliquis e nobis alterius vite vias, ut opto felices, prior ingrediatur, en superviveus sine mora missis et elemosinis itiner illius hinc et inde, quantum valeat tuere ac prosperum facere saepius reminiscat ac studeat; obsecrantes obnixe[h], ut per hunc fratrem nostrum fidelissimum presbyterum nomine Laearoredum scripta pietatis tuae ad nos dirigere digneris, quatenus per haec earum, quae tibi placita sunt, rerum cognitio clarescat. Quia habetis sine dubio in eodem praefato presbytero veredicum fide-

a. Quocirco *V.* b. beatitudinis *V.* c. ventris *V.* d. infestinationes *V.* e. prolatę *V.* f. *sic.* g. quoad *addidi.* h. obnixae *V.*

lemque inter nos legatarium; et ideo per illum valebis, quae- 760—778
cumque[a] vis, vivae vocis attestatione nobis patefacere.

+ Precedentium quoque nomina propinquorum nostrorum, id est Irmigi, Noththry atque Duhchae — omnes Deo dicatae virgines — tibi direximus; postulantes: ut in oblationibus missarum et orationum suffragiis habeatis. Quia similia vobis ad vicem beneficii rependere parati sumus. Deus te incolumem custodiat et, in eius ministerio pollentem, longa per temporum spatia custodire dignetur.

Aeardulꝗ ρfus episcopus Lulloꝗ ρcoepiscopo.

---

121. *Cyneardus episcopus Vintoniensis Lullo episcopo de donis missis gratias agit. In angustiis versantem consolatur. Munera addit*[b]. (S 86, W 122, G 111)

+ Domino magnopere diligendo et nobis omnium peregrinan- 755—780
tium pro Christi amore karissimo Lullo antiste Cyneardus, indignus ut vereor, episcopus[1] in Christo salutem.

Libenter ergo suscipimus fratrem, a te ad nos usque directum cum dulcidine donorum vestrorum; et gratias agentes Deo et vobis, quod nostri memoriam ex tam remotis terrarum finibus facere dignimini. Et ideo, sicut vos velle conperimus, memores sumus vestri, in quantum Domino adiuvante permittimur, semper in orationibus nostris; obsecrantes, ut, quod fideli ac firmissimo coepistis animo, usque ad finem firmam retineatis, quanquam multis tribulationibus tundimini. Quae propemodum omnes sancti soliti sunt a saeculo perpeti[c]; nec tamen, Christo cooperante et confirmante illorum constantiam, deficiebant. Modici munusculi quantulamcumque parvitatem karitatis tantummodo intuitu direximus, hoc est de nostro vestitu indumentum, sicut solent prodecessores nostri prodecessoribus tuis destinare. Quod te pro humilitate et mansuetudine tua suscipere dignanter et uti, suppliciter prȩcamur. Valere te in Christo et vivere felicem semper optamus.

a. quaecumquae *V.* b. *ex V* 56. *Sine lemmate.* c. perpaeti *V.*

1. Vintoniensis, 754—780.

122. *Lullus episcopus Coenam archiepiscopum Eboracensem veteris amicitiae admonet. Queritur de novis principum modernorum legibus et de aegrotatione sua. Munera addit. Quaedam Bedae opera mitti sibi cupit*[a]. (S 109, W 131, G 121)

767—781 Fratri et consacerdoti et meritis domino carissimo Coena[1], summi pontificatus infula praedito, Lullus exiguus servus servorum Dei perennem in Christo salutem.

Sanctitatis tuae reverentiam humiliter obsecro: ut amicitiae inter nos olim in Christo copolate et semel coepte perpes reminisci digneris; ne veterescat et oblivioni tradatur, quam coram Deo fideli sponsione pepigimus. Pro nomine enim Christi in contumeliis et tribulationibus gloriari[2] et[3] exaltatione aecclesiae eius nos oportet, quae cotidie tunditur premitur atque fatigatur. Quia moderni principes novos mores novasque leges[b] secundum sua desideria condunt. Idcirco excellentiam tuam iugem precatricem pro animae nostrae salute subnixa prece flagitamus. Assiduis[c] enim corporis egritudinibus cum mentis ancxietate cogor ex hac[d] aerumnosa[e] et periculis plenissima vita exire, redditurus pio et districto iudici rationem.

Parva vero munuscula dilectioni tuae direxi, hoc est pallam olosericam optimi generis, per gerulum harum litterarum.

Obsecro, ut quemlibet horum librorum adquiras et nobis mittere digneris, quos beatae memoriae Beda presbiter exposuit, ad consolationem peregrinationis nostrae; id est: in primam[f] partem Samuelis usque ad mortem Saulis libros quattuor[4], sive in Esdram et Nehemiam libros tres[5], vel in euangelium Marci libros quattuor[6]. Gravia forte postulo; sed nihil grave verae caritati iniungo. Proficere sanctam excellentiam tuam ad utilitatem sanctae Dei aecclesiae semper optamus; nomina fratrum et amicorum nostrorum tuae sanctitati commendantes de hac luce migrantium. Haec sunt[g]:

a. *ex V* 72. *Sine lemmate.* b. legis *V.* c. asiduis *V.* d. hoc *V.* e. cerumnosa *V.* f. primum *V.* g. *nomina non sequuntur in V.*

1. archiepiscopo Eboracensi, 767—781. 2. Rom. 5, 3: „sed et gloriamur in tribulationibus". 3. *an* de? 4. in Bedae opp. ed. Giles VIII 1 squ. 5. ibid. VIII 360—463, IX 1—52. 6. ibid. X 1—264.

123. *Lullus episcopus Guthberto abbati Wiremuthensi et Girwensi de incommoda valetudine sua significat. Mittit munera. Bedae libros poscit*[a]. (S 111, W 133, G 123)

+ Sancto ac venerabili in Christo fratri Guthberto abbati[1] 767—781
Lullus exiguus servus servorum Dei perennem in Christo salutem.

Caritas, quae desinere nescit, numquam veterescit; quae interni ardorem ignis vix in se sola continere valet. Idcirco placuit nostrae mediocritati de tua sospitate cognoscere, ut tecum in Domino gratularer; et ut scires, quae circa fragilitatem meam iusto iudicio Dei geruntur. Cogor enim continua corporis egritudine de hac lucę fugitiva et valle lacrimarum, pio et districto iudici rationem redditurus, migrare. Idcirco subpliciter obsecro, ut pro animae meae salute enixius Dominum depreceris.

Misimus[b] etiam tuae dilectioni parva munuscula: unam pallam olosericam.

Petimus etiam, ut ad consolationem non solum peregrinationis sed etiam infirmitatis nostrae libros istos, a beate memoriae Beda expositos, mittere digneris: de edificatione templi[2], vel in cantica canticorum[3], sive epigrammatum heroico metro sive elegiaco conpositorum[c]; si fieri potest, omnes, sin autem, de edificatione templi libros tres. Fortassis difficilis petitio; sed nihil arbitror esse difficile vere caritati. Usque ad decrepitam valeas etatem cum omnibus, qui tecum domino Deo deserviunt. Nomina quoque fratrum et amicorum nostrorum de hac luce migrantium tue caritati commendantes; quae sunt reliqua[d].

a. *ex V* 73. *Lemma:* Epistola sancti Cutberti ad Lullum episcopum (*sic*). b. Missimus *V*. c. conpositum *V*. d. *sequitur locus rasus*.

1. S. Petri Wiremuthensi et S. Pauli Girwensi. 2. s. de templo Salomonis, Bedae opp. ed. Giles VIII 262—359. 3. ibid. IX 186—404.

124. *Gudberctus abbas Wiremuthensis et Girwensis Lullo episcopo de litteris muneribusque gratias agit. Mittit Bedae de aedificio templi librum*[a]. (S 95, W 127, G 117)

767—781 Domino in Domino dilectissimo et fidelissimo amico Lullo episcopo Gudberct abbas[1] salutem.

Multum gratanter accepi litteras sive etiam munera, hoc est villosam et sindonem, quae[b] tua fraternitas ad me mittere dignata est; et eo gratantius, quod ex intima caritate ea destinata esse non ambigo. Unde, reconpensationem beneficiis tuis reddens, et ipse tui cotidianis in precibus curam habere non cesso. Simul etiam nomina fratrum, quae[b] ad nos misisti, cum nominibus huius monasterii fratrum dormientium in Christo scripta continentur; ita ut pro illis nonaginta et eo amplius missas facere praecepi. Insuper etiam librum, quem clarissimus ecclesiae Dei magister Baeda de aedificio templi conposuit, ad consolationem tuae peregrinationi mittere curavi; tuam fraternitatem humiliter obsecrans, ut olim condicte inter nos amicitiae foedera usque ad finem firmum custodire digneris, in hoc videlicet maxime: quod cum tuis omnibus, quos tibi divina dispensatio voluit esse subiectos, pro infirmitatibus meis apud supernum iudicem sedulus intercessor existas[c]. Dominus omnipotens fraternitatem tuam in suo semper amore conservet.

Lullo episcopo[d].

---

125. *Koaena archiepiscopus Eboracensis Lullo episcopo de suo erga eum amore et de libris quibusdam respondet*[e]. (S 99, W 128, G 118)

767—781 Domino beatissimo omnique honore nominando Lullae episcopo Koaena[2], servus servorum Dei, perpaetuae gratiae salutem.

Acceptis tuae beatitudinis pater excellentissime litteris, multa sum laeticia delibutus, ita ut totis precordiarum intesti-

a. *ex V* 60—60*v*. *Sine lemmate.* b. q̄ *V*. c. existus *V*. d. Lullo episcopo *scriptum est in cod.* (*V*) *ante:* Dominus omnipotens — conservet. e. *ex V* 62*v*—63. *Sine lemmate.*

1. S. Petri Wiremuthensis et S. Pauli Girwensis. 2. archiepiscopus Eboracensis, 767—781. V. Monasticum Anglicanum (London 1846) T. VI P. III p. 1172.

nis gaudens lacrimavi; beatum mihi ac profuturum aestimans[a], tanti patris perfrui amicitia. Ideoque omni cordis aviditate tuam desiderabilem amplector pietatem, tua inhianter condilector caritate; ea potissimum causa, quia salutaria dilectionis precepta divinitatis indita nobis rememorans, nec non et aliquandiu fautorem sive consiliarium adoptans laboribus nostrae parvitatis; quem misericors omnium bonorum largitor nobis in te sua benigna providentia, ut credimus, preordinavit. Quapropter[b], dulcissime frater, in quascumque sanctae pacis diciones vocabis, libens festinus gaudensque totus pleno corde advenio. Insuper plurimis obsecrationum lacrimis deprecor, ut nostri quantulamcumque in tuis sanctis orationibus habere memoriam digneris semperque bene coeptae pietatis promissa custodias. Quia perseveranti gloriosa retributionis inpenditur corona[1], mercesque futurae felicitatis in fine cuiusque operis spectatur. 767—781

Illud vero, quod de libris inquisisti, marinis aestibus terram advectantibus, omnino incognitum — nisi quia falsum — est. Ceterum libros cosmografiorum, necdum nobis ad manum venerunt; nec alia apud nos exemplaria nisi picturis[c] et litteris permolesta. Iam sepius mihimet perscribere destinavi, sed non illorum potui scriptores adquirere; forte, tuis adiutus subplicationibus.

+ Sanctitatem vestram ad protectionem electae dominae rex salvator conservet in evum. Scio, pater, quod illa, que caritatis gratia misisti, a te visa non sunt.

Vive Deo felix, Christi laurate[d] triumphis,
Vita tuis saeclo specimen, carissimę caelo,
Iustitiae cultor, verus pietatis amator,
Defendens vigili sanctos tutamine mandros[e],
Pascua florigeris[f] pandens praedulcia campis,
Iudice centenos portans veniente maniplos.

Offe-	Lullo	vi-	claris-
renda	episcopo	ro	simo.

a. aestinans *V.* b. Quipropter *V.* c. pictoris *V.* d. lauratae *V.* e. *sic.* f. florieris *V.*

1. Cf. Matth. 10, 22.

126. *Lullus Suithan abbatissam excommunicat, propterea quod duas monachas parum caste vagari siverit*[a].

(S 47, W 113, G 102)

755—786 Lullus exiguus atque humilis antestis Suithan eiusque subiectis.

Apostolicum praeceptum est, o Suitha[b], ut gregem Domini sollicite servando pascamus[c], ne, absque ovili repertus, luporum morsibus pereat[1]. Hoc quidem te egisse[d] et acturam esse, confidens — quae a sanctissimo viro Bonifacio martyre Christi eiusque discipulis regularis vitae disciplinam suscepisti — putabam iuxta modulum intellegentiae tuae. Sed, quod tristis ac merens dicere cogor, longe aliter fecisse conprobaris; quae, neglectis animabus, pro quibus Christus mortuus est, de quarum vita redditura es rationem in die iudicii ante tribunal Christi, dum sacro velamine[e] palliatas[f] feminas .N. et .N. contra statuta canonum et sanctae regulae disciplinam, sine licentia et consilio meo, ad iniuriam Dei eiusque matris beatae Mariae semper virginis, cuius famulatum exhibere debuerunt, in laqueum diaboli, propter arrogantiam ac voluptatem laicorum explendam, ad perditionem animarum suarum liberas ire permiseras in longinquam regionem; non recolens illud euangelicum: *Si cecus ceco ducatum praebet, ambo in foveam cadunt*[2], et illud: *Anima, quae peccaverit, ipsa morietur*[3]. Sed ne forte hanc meam obiurgationem parvi pendens contempnas, apostolico te sermone percutiam, quo ait: *Peccantes coram omnibus argue, ut ceteri timorem habeant*[4]. Pro huiusmodi stultitia excommunicatam te esse scias cum omnibus tuis, qui hunc neglegentiae reatum consentiendo perpetraverunt; usque dum digna satisfactione hanc emendetis culpam. Illas autem vagas et inoboedientes supra dictas feminas intra cellam vestram non recipiatis. Sed foras monasterium, excommunicatae ab ecclesia Christi, sedeant, peni-

a. *ex C* 109*v*—110, *V* 30*v* — 31. *Lemmata:* Epistola Lul ad Swithan *C;* Item epistola *V.* b. Suuitha *V.* c. paschamus *V.* d. aegisse *V.* e. *om. V.* f. palleatas *V.*

1. V. Act. apost. 20, 28. 29. 2. Matth. 15, 14. 3. Ezech. 18, 4. 4. 1 Timoth. 5, 20.

tentiam agentes, dum venerint, in pane et aqua; et vos similiter, abstinendo ab omni carne et ab[a] omni potu qui melle indulcoratur; scientes, quia si spernitis istam increpationem, quod spernatis eum, qui a Deo missus est peccatores salvos facere, id est Christum, qui dixit in euangelio: *Qui vos spernit, me spernit; qui autem me spernit, spernit eum, qui me misit*[1], id est Deum patrem omnipotentem. Optamus in Christo, ad meliora vos converti. 755—786

---

127. *Traea et Aldbercht diaconus Lullum episcopum rogant, ut pro se deum invocet*[b]. (S 79, W 118, G 107)

☧ Domino in Domino venerabiliter diligendo et delectabiliter honorando Lullo, episcopatus infula fungenti, Traea supplex vernaculus[c] in Christo perennem salutem. 755—786

Tempore nuper transacto vestrae almitatis litteraturam, usque ad nostrae mediocritatis praesentiam fido gestante gerulo delatam, exultantibus pectorum praecordiis et laetis oculorum orbibus contemplantes satis libenter suscipimus. Et maxime in vestra sancta promissione, quam ordo apicum vestrorum innotuit: ut vestris assiduis ac sacris orationibus nostram fragilitatem defendere velle, ita et nostra inperfecta mediocritas undique pene in omnibus bonis vestram beatitudinem orationibus intimis, Deo ubique auxilianti[d], depraecando poposcere Deum prompta est. Nec non et dilectionem fraternitatis ergo vestram clementiam observare secundum vires velle demonstramus, Domino nostro Iesu Christo docenti ac dicenti: *Hoc est preceptum meum, ut diligatis invicem*[2]; et item: *In hoc cognoscent omnes, quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem*[3] et reliqua. Item de ęadem beatus Petrus, primus et princeps apostolorum, sententiam promulgavit dicens: *Estote itaque prudentes et vigilate in orationibus; ante omnia mutuam in vobismet ipsis caritatem continuam habentes, quia caritas coo-*

a. ab *om. V.* b. *ex V* 52*v* — 53. *Sine lemmate.* c. bernaculus *V.* d. auxiliante *corr. in* auxilianti *V.*

1. Luc. 10, 16. 2. Ioh. 15, 12. 3. Ioh. 13, 35.

755—786 *perit multitudinem peccatorum*[1] et cetera. Nostra ergo, ni fallor, parvitas non utcumque vestris est roborata oppido patrociniis. Idcirco audaciter rogare presuminus vestram beatam ac vere benedictam almitatem: ut nostram, viventes in hac lacrimarum valle tam etiam in gloriosissima praescientia Dei in Christo pausantes, assiduis ac sacris orationibus vestrarum studiis domino Deo commendare dignemini.

Ego quoque, minimus ecclesiae servus, supplici pro Domino deprecatione rogito: ut mihi cum mea familia, domino Deo cuncta dispensanti ac rite regenti, inter ceteros fideles vestros amicos in commune benigne suscipiatis, qui proprio dicor nomine Aldbęrcht, diaconatus officio fungens, licet indignus; ut, sancti gradus ministerium olim acceptum vestris saluberrimis[a] intercessionibus meliorando, de die in diem proficiam. Almitatem vestram, pro nobis orantem, summus arbiter orbis ab alta[b] caelorum arce tuere dignetur. Valete in Domino.

---

128. *Magingaoz episcopus Wirziburgensis Lullum episcopum interrogat de monasterio quodam post imminentem sororis suae abbatissae mortem constituendo*[c]. (S 80, W 111, G 100)

755—786 Domino in Christo summopere venerando Lullo episcopo Magingaoz[2] optabilem supplex in Domino sempiternae[d] beatitudinis salutem.

Scit plane sublimitatis vestrae prudentia: quia contra discrimina maxima consiliorum adiutoriis, et integris et ex omni parte solidatis, modis omnibus opus est. Notum vero fieri venerandae caritatis vestrae dignationi desideramus: quia exitum sororis nostrae, extremum spiritum agentis, meroribus ac timoribus undique depressi, praestulamur; mortem videlicet carnis illius instinctu naturalis condicionis velud propria dolentes; et pro animae illius eventu incerto et soli iudici piissimo noto, et insuper familiae loci illius tenerrime et propemodum sine ulla

a. saluberrimus *V.* b. alto *V.* c. *ex V* 53—53*v*. *Sine lemmate.* d. sempiterna *V.*

1. 1 Petr. 4, 7. 8. 2. ep. Wirziburgensis.

consilii firmitate discissionem vel, quod gravissimum est, animarum interitum pertimescentes. Quapropter magnitudinis vestrae pietati humili intentione supplicantes, obsecramus per Christum salvatorem resurrectionemque mortuorum: uti nobis, supra dictis cruciatibus afflictis, quid post obitum illius sit pro stabilitate salutari monasterioli[1] faciendum, prout Domino iuvante[a] colligere valeatis, litteris indicare per hunc nuncium non dedignemini. Sunt enim, sicut scitis, illic filiae fratris nostri velatae, in quas fortasse intentio ignorantium conversa est. Sed nulla ex his adhuc vel aetate vel sensus aliqua firmitate ad suscipiendum tale pondus congrua poterit iudicari. Et formidamus dispersionem inconsultam familiae, nisi celeriter ordo ac stabilitas per abbatissam collocetur. Nec tamen vel intra cellulam vel intrinsecus[b] nos posse repperire credimus, per quam vel verbo ac specie tenus valeat coherere, praeter puellulas quas diximus; quibus maximum periculum suscipientibus et nobis fortasse persuadentibus formidamus. Quaproter iterata supplicatione per Christum salvatorem obsecramus, ut nobis, quod saluberrimum inter huiusmodi necessitates[c] fieri credatis, nobis revelare celeritate, qua diximus, nec dedignemini nec gravemini. Valere beatitudinem vestram et in Christo magis ac magis, pro nobis intercedentes, proficere, integris certisque nisibus cordis optamus. 755—786

Offerenda[d] Lulloni episcopo.

---

129. *Botwinus abbas Riponensis Lullo episcopo de litteris gratias agit. De mutuis precationibus. Munera mittit*[e].

(S 82, W 119, G 108)

☧ + Venerande dignitatis Lullo episcopo Botwini abbas[2] optabilem in Christo salutem. 755—786

a. iubante *V.* b. *an* extrinsecus? c. necessitatis *V.* d. Offerenda *scripsi pro* officio *V*; *cf. epp.* 132 *et* 135 *infra p.* 299 *et* 303. e. *ex V* 54. *Sine lemmate.*

1. de quo cf. Rettberg Kirchengesch. Deutschlands II 331, Ussermann ep. Wirz. p. 10 sq., Dronke Codex dipl. Fuld. n. 87 et 88, p. 53. 54.
2. Riponensis; monasterii Rippon dioec. Eboracensis. V. Monasticum Anglicanum (London 1846) T. II 131.

755—786 Litterae auctoritatis tuae, quas cum divinae pietatis studio usque ad nos direxisti, laetificaverunt me valde. Quia tu, imbre caelestis roris inlectus, ultimum me servunculum servorum Dei cum tam magna fide divini amoris saeculariaequę dignitatis munere visitare dignatus fuisti, gratias ago Deo; petens cum intimae caritatis desiderio: ut fidus fautor mihi per celsitudinem sanctitatis tuae coram Christo Iesu existas in istoque saeculo serena mente amicus. Si rector rerum omnium istius vitae in itenere me longius super te sudare deiudicat, ploro indesinenter, praecans cum omni caterva quae Christo domino sub mea condicione deservit, divinae misęricordiae solacia animae tuae largiri; ut tu simili modo aecclesiarum tuarum subsidia mihi prestare dignaveris. Haec quoque modica munuscula, id est sex lacernas, almitati tuae mitto; optans, ut accepta sint. Omnipotens Deus incolumem beatitudinem tuam custodiat.

---

130. *Wicbertus abbas Lullum episcopum aegrotantem invitat, ut in monasterio suo curetur*[a]. (S 83, W 120, G 109)

755—786 + Sanctissimo et a Deo semper conservato domno Lullo episcopo Wicbertus servus servorum Dei, quamquam indignus, abbas et vester in omnibus — Deus scit — bene cupiens et fidelis in vinculo caritatis conligatus.

+ Suscepta vestra alemonia, sancta cuncta congregatio monachorum nostrorum pro vos singulos spalterios Domino decantaverunt, et sacerdotes quinas missas fecerunt per singulos: ut vobis Dominus pristinam sanitatem tribueret. Et dixi ad illos vestra voluntate, quomodo nobis mandastis, ut hic pro tempore devenire iubebatis. Sed omnes consona una concordia responderunt, quod nostra voluntas in omnibus est, ipsius infirmitati conpatescere et sicut proprium fratrem ita circa illum omni caritate inpendere. Sed vos modo, si vultis, sic venire potestis, quomodo in vestra propria casa; et nos in omnibus, in quantum possumus, caritate pristina exigente vestre volumus con-

a. *ex V* 54*v*. *Sine lemmate*.

patescere infirmitati. In orationibus tuis commendamus nos, sanctissime pater. 755—786

Sanctissimo domno Lullo episcopo Wicbertus indignus abbas.

---

131. *Doto abbas S. Petri Lullo episcopo scribit de mutuis precationibus faciendis*[a]. (S 84, W 121, G 110)

[b]Domino sancto, sanctorum quia meritis quoequando, et a nobis cum summa veneratione diligendo in Christo patre Lullono episcopo Doto[1] servus servorum Dei, etiam et omnes monachi sancti Petri apostolorum principi, degentium sub norma sanctae regulae, aeternam in domino nostro Iesu Christo ad sanctitatem vestram distinare curavimus salutem. 755—786

Ideo omnipotenti Domino gratias referimus, ut omnia, que circa vos sunt, prospera non solum habemus, sed et hoc indesinenter sedulas praecis Domini misericordiam inploramus: ut vita vestra longevis faciat hic gaudere temporibus et illic in aeterna beatitudine cum sanctis suis faciat pariter letare[c] triumphis. De cetero quamvis, amantissime[d] pater, terrarum[e] longitudo nos separatos videmur, tamen terrarum[f] longinquitas non dividit mente, quos caritas divina coniunxit in corde. Idcirco conpereat sanctitas vestra, quia nos omnes per obedientia[g] almi patris nostri Dodoni abbati et pro amore vestra omni sollicitudine pro vobis et devotissimam sanctam congregationem vestram, a Deo[h] vobis commissam, in nostris assiduis precis Domini misericordiam exorare non desinemus. Igitur cum salutationis officiis humili pręce deposcimus: ut ista familia Christi et sancti Petri in vestra commemoratione semper habeatis; et ipsa per omnes amicos vestros — tam episcopis et eorum clero quam abbatibus et eorum monachis seu et abbatissis vel Deo decatas — ista congregatione sancti Petri, oratores vestros, tam vivos quam

a. *ex V* 54v — 55. *Sine lemmate.* b. *praecedit in cod. signum, chrismi diplomatum simile.* c. lexare *V.* d. amanetissime *V.* e. aeterrarum *V.* f. tamen aeterrarum *V.* g. *manus posterior correxit in* obedientiam. h. addō *V.*

1. abbas S. Petri Luxoviensis, ut videtur Mabilioni (Annal. ord. S. Ben. II 189, 295).

755—786 defunctis, in vestra mercede commemorare faciatis; ut in sacris orationibus illorum eam assiduae memorare debeant, quatenus per illorum suffragiis olim optatam adire mereamur patriam paradisi. Similiter vobis deprecamur, ut omnium amicorum vestrorum nomina tam vivorum[a] quam defunctorum per praesente fratre nostro Saganaldo per breve ad nos diregere faciatis; ut ipsos, sicut de alios fratres nostros facimus, ita in nostris assiduis orationibus ipsos memorare debeamus. Gratia regis caelestis custodiat vos semper. Amen.

Ꝑ Indiculis directum ad Lullono episcopo.

Emmanuhel vobiscum sit.

---

132. *Magingoz episcopus Wirziburgensis Lullum episcopum de re matrimoniali consulit*[b]. (S 87, W 110, G 99)

755—786 Sacerdoti Christi magnifico[c], reverentia pariter et amore non mediocriter[d] amplectendo, Lullo episcopo Magingoz[1] servus servorum Dei perennem in Domino salutem.

Aperto scripturarum divinarum testimonio declaratur, veritatem esse dominum salvatorem[2] ac de ipso dictum esse per profetam: *Querite faciem eius semper*[3]. Quam ob rem solutionem questionis alicuius, quae videlicet infirmitatis nostrae cognitioni facilis non est, a dignationis vestrae largitate, id ipsum flagitantes multum, desideramus accipere. Itaque constitutio matrimonii christianorum in iungendo vel separando[e] a patribus tanta diversitate nobis videtur disponi, ut vix una et conpar sententia ipsorum nostrae pateat parvitati. Videntur namque concorditer Essidorus ac Hieronimus[4] adfirmare: non debere adulteram teneri a viro, cui sociata alteri se more meretricis adiungat; utpute quae, unam carnem nefarie[f] dividens, indignam se et alienam ab honore conubii divinitus instituti reddiderit; et hoc esse preceptum vel permissum[g] a salvatore, cum

a. virorum *V*. b. *ex V* 56 — 56*v*. *Sine lemmate.* c. magnico *V*. d. meliochriter *V*. e. superando *V*. f. nefariae *V*. g. permisum *V*.

1. ep. Wirziburgensis. 2. 1 Ioh. 5, 6: „quoniam Christus est veritas“. 3. Ps. 104, 4. 4. Commentar. in Matth. c. 19 Opp. ed. Vallarsius VII 144 squ. Cf. Gratiani decr. II C. 32 q. 1 c. 2.

uxorem non demittendum absque fornicationis causa preciperet[1]. Augustinus vero, cum sententiam eandem[a] salvatoris diuturna tractatione ventilasset, nihil plane elucędationis, certe nostrae omnino teneritudini[b] captabile, profert; sed hoc in extremo dicebat, quia, quomodo preceptum hoc salvatoris accipi debuisset, latebrosissimam[c] adhuc superesse questionem, commemorans vero mulierem ab accusatione[d] Iudeorum a Domino liberatam[e], dicit: non male illi viri mulieri licet in adulterium lapse conciliaretur. Beatus vero Leo papa[2]: feminam, capto ab hostibus marito, cogente solitudine inculpabiliter alteri posse copulari, cum desperaretur captus; et reverso forte priore, separatam a posteriore, principali restitui, dicens. Ibi[f] notandum videtur, quod statim destitutio coniugis nubendi licentiam tribuit; apud Essidorum vero vel Iheronimum proditio foederis coniugalis matrimonium separat. Quid ergo supersit coniugi, quem[g] vel quam solitudo perurguet, si et Hisidori vel Hieronimi ac Leonis decretum iustę creditur esse tenendum, nisi ut se matrimonio coniungat alterius, me fateor ignorare. Bonitatis igitur vestrae dignationem per caritatem, qua Christus Iesus semper ubique membra sua sibi copulare probatur, obsecramus, ut ignorantiam nostram ac[3] de re, sic Domino possibilitatem largiente, inluminare dignemini; ut audire a remuneratore perpetuo mereamini: *Euge serve bonę*[4] et cetera. Valere beatitudinem vestram[h], pro nobis intercedentem, et in Christo magis ac magis proficere, integris desideriis optamus. 755—786

Offerenda Lullo episcopo.

---

133. *Monachus quidam Lullum episcopum veteris amicitiae commonefacit*[i]. (S 88, W 123, G 112)

+ Sanctissimo atque venerabile episcopo Lullo servus servorum Dei visceralem in Domino salutem. 755—786

a. eundem *V.* b. teneritudine *V.* c. late prosissimam *V.* d. accussatione *V.* e. liberatum *V.* f. *manus posterior correxit in* ubi. g. qumque *V.* h. nostram *V.* i. *ex V* 56*v* — 57. *Sine lemmate.*

1. V. Matth. 19, 9. 2. in ep. ad Nicetam d. d. 21 Mart. 458, Leonis Magni opp. ed. Ballerinii T. I 1330. (Cf. Gratiani Decr. P. II C. 34 q. 1 c. 1.) 3. hac. 4. Matth. 25, 23.

755—786 Rogo te, o dilectissimae frater, sicut optimae in te credo, ut non inmemor sis, sed semper sagacissima mente ad memoriam reducas antiquam amicitiam[a] nostram, qui inter nos habuimus in Maldubia[1] civitate, quando Eaba abbas in amabile caritate nutrivit te. Et hoc signum recordor, quod pro nomine vocavit te Lytel[2]. Idcirco salutat te Hereca[3] abbas in salutatione sancta et omnis regimen, qui in suo caenubiale vita maneat; quia dignos nos in memoriam habuisti tecum. Qui autem perseveraverit in pace usque in finem, hic salvus erit[4]. Vale amabiles feliciter in evum; meus dilectus, Deo electus, quia caritas praecium non habet. Hoc signum[b] Hereca abbatem fecit.

---

134. *Gutberctus abbas Wiremuthensis et Girwensis Lullo episcopo de muneribus gratias agit. Mittit Bedae vitas S. Cudbercti. Addit de Hunvini presbytero. Rogat, vitrearium et citharistam sibi mittat*[c]. (S 89, W 124, G 114)

755—786 Desiderantissimo et suavissimo in Christi dilectione amico Lullo episcopo et omnium antistitum carissimo Gutberct[5], discipulus Beda presbiteri, salutem.

Gratanter quidem munuscula tuae caritatis suscepi; et eo gratantius, quo te haec intimo devocionis affectu mittere cognovi. Id est, olosericam ad reliquias beatae memoriae Baeda magistri nostri ob recordationem et illius venerationem destinasti. Et rectum quidem mihi videtur, ut tota gens Anglorum in omnibus provinciis, ubicumque repperti sunt, gratias Deo referant, quia tam mirabilem virum, praeditum in diversis donis tamque ad exercenda dona studiosum similiterque in bonis moribus viventem, Deus illis in sua natione donavit. Quia per experimentum, ad pedes eius nutritus, hoc, quod narro, didici. Similiterque mihimet ipsi coopertorium variatum, ad tegendum

a. amititiam *V.* b. *signum non est in cod.* c. *ex V* 57—57*v. Sine lemmate.*

1. Malmesbury. 2. Anglosaxonicum „lytel" valet idem quod Latinum „parvus". 3. Hereca abbas t e s t i s apparet in Cynewulfi regis Westsaxonum tabula, monasterio Maldubiensi data anno 758, ap. Kemble Cod. dipl. aevi Saxonici I 125. 4. Cf. Matth. 10, 22. 5. abbas S. Petri Wiremuthensis et S. Pauli Girwensis.

scilicet propter frigus meum corpus, misisti. Quod videlicet omnipotenti Deo et beato Paulo apostolo ad induendum altare, quod in eius ecclesia Deo consecratum est, cum magno gaudio dedi; quia et ego sub eius protectione in hoc monasterio quadraginta et sex annos vixi. 755—786

Nunc vero, quia rogasti aliquid de opusculis beati patris, cum meis pueris iuxta vires, quod potui, tuae dilectioni preparavi: libellos de viro Dei Cudbercto[1], metro et prosa conpositos[2], tuae voluntati direxi. Et, si plus potuissem, libenter voluissem. Quia presentia[a] preteriti hiemis multum horribiliter insulam nostrae gentis, in frigore et gelu et ventorum et imbrium procellis, diu lateque depressit, ideoque scriptoris manus, ne in plurimorum librorum numerum perveniret, retardaretur.

Sed et ante sex annos per Hunvini meum presbyterum, illuc ad vestra loca advenientem et Romam videre desiderantem, aliqua parva exenia, cultellos videlicet 20 et gunnam de pellibus lutrarum factam, tuae fraternitati misi. Ille quoque presbyter Hunvini, ad urbem que vocatur Beniventum perveniens, ibi de hac luce migravit. Quapropter neque per illum neque per tuorum aliquem, utrum ad te ista pervenirent, ulla responsio umquam mihi reddita est. Duo vero pallia subtilissimi operis, unum albi alter tincti coloris, cum libellis, et clocam, qualem ad[b] manum habui, tuae paternitati mittere curavimus[c].

Precorque, ut meam et[d] petitionem et necessitatem non spernas. Si aliquis homo in tua sit parrochia, qui vitrea vasa bene possit facere, cum tempus adrideat, mihi mittere digneris. Aut si fortasse ultra fines est in potestate cuiusdam alterius sine tua parrochia, rogo, ut fraternitas tua illi suadeat, ut ad nos usque perveniat. Quia eiusdem artis ignari et inopes sumus. Et si hoc fortasse contingit, ut aliquis de vitri factoribus cum tua diligentia Deo volente ad nos usque venire permittatur, cum benigna mansuetudine, vita comite, illum suscipio.

a. *an* perseverantia? b. had *V.* c. curabimus *V.* d. ut *V.*

1. episcopo Lindisfarnensi, qui obiit a. 687. 2. V. Bedae opp. ed. Giles IV 202 squ.

755—786 Delectat me quoque citharistam habere, qui possit citharizare in cithara, quam nos appellamus rottae[1]; quia citharum habeo, et artificem non habeo. Si grave non sit, et istum quoque meae dispositioni mitte. Obsecro, ut hanc meam rogationem ne despicias et risioni non deputes. De opusculis vero beatae recordationis Baeda, quae adhuc descripta non habes, promitto, me, si vixerimus, tuae voluntati adiuvaturum.

Abbas Gutberctus tete bis terque[a] salutat;
Te Deus omnipotens salvum conservet in evum.

Lul; Gl.

---

135. *Magingooz episcopus Wirziburgensis Lullo episcopo scribit de quodam impediendo, quominus monastico ordini se addicat*[b]. (S 94, W 126, G 116)

755—786 + Venerando sacerdoti Christi amore frursus ac reverentia pariter a nobis studio peculiari continendo Lullo episcopo Magingooz[2] servus servorum Dei perennem in Christo salutem.

In conloquio nuper venerandae fraternitatis tuae conperti sumus: quia consilium proximi nostri cuiusdam, minus caute saeculi inpedimento postposito viam relegionis ingredi cupientis, prudentiam vestram prevenire utiliore consulto voluisset. Qui, ut arbitror, his verbis velut nomine proprio designatur. Et re vera visum mihi est, non posse aliter conpleri circa illum officium debitae fidelitatis et caritatis, nisi cum pluribus de eadem re necessario sollicitis contendatur, ne hunc fortasse in ipso itinere[c], quo desiderium ducit, incauta presumptio supplantat. Sed necessarium existimo, ut diligentius provideatur, quo pacto vel quibus instrumentis peregrinationis illius, quam sicut scitis optimam[d], stabilitas et possibilis[e] et — si fieri potuerit — inexcusabilis hiis, cum quibus presens causa agenda est, omni rationis firmitate conprobetur. Quapropter nostre parvitati in-

a. terquae *V.* b. *ex V* 59*v* — 60. *Sine lemmate.* c. itinire *V.* d. *sequitur locus rasus septem fere litterarum.* e. *an* impossibilis?

1. de hoc organo v. glossaria Cangii s. v. rocta, et Dieffenbachii s. v. rutta. 2. ep. Wirziburgensis.

dicare per litteras non gravemini, utrum vobis videatur, ut communi sermone unius epistulae exortatio mittatur an uterque nostrum a se epistolam mittat. Quodsi profuturum iudicetis, ut commune et unum a nobis indiculum dirigatur, a vestra caritatis industria rogo ut conficiatur, si non fieri posse putaveritis, ut sine aliqua presenti sive nostra sive ceterorum servorum Dei conlatione consulto decenti et integra soliditatis valeat perpetrari. Quid itaque vobis profuturum videatur ut a nobis hac de re agatur, per litteras, huius epistiunculae portitori traditas, nobis indicare dignamini. Valere bonitatem vestram[a] et in Christo proficere, pro nobis intercedentem, integris desideriis[b] optamus. 755—786

Offerenda[c] Lullo episcopo.

---

136. *Vigberht presbyter Lullo episcopo refert, se domum feliciter revenisse. Consilia eius poscit*[d]. (S 102, W 129, G 119)

Domino vere beato atque omni officio caritatis venerando Lullae gratia Dei episcopo Vigberht presbiter[e], vester fidelis servus, optabilem in Christo salutem. 755—786

Vestris orationibus meritisque suffragantibus, ut credimus et pro certo scimus, prospera nobis terrae marisque itenera, postquam a vobis ieramus, Dei clementia concessit. Amicosque et propinquos sanos et incolomes invenimus benigneque suscipientes, omnia necessaria tam in possessionibus agnorum quam in iumentis et peccoribus aliisque[f] suppellectilibus sponte nobis tribuentes; quod usque hodie absque ulla contradictione habentes; tuam sanctam fraternitatem, quae nos semper et adiuvare et consulare consueverat, rogantes et obsecrantes, ut videas et consideras, quid nobis utilius agendum sit. Omnia enim tibi nota sint; et hoc et illud. Quicquid tibi bonum videtur, hoc me fateor laeto animo fecisse et tuum salubre consilium in nullo sprevisse. Si tibi videtur ut ad vos pergamus, utiles, ut credimus, viros et, ut aiunt, bonos in nostro desiderant esse

a. *sic correctum est* nostram *in V*. b. desideris *V*. c. off̄ *V*. d. *ex V* 65—65*v*. *Sine lemmate*. e. pr̄ *V*. f. alisque *V*.

755—786 comitatu; sin autem aliud magis placet, tamen cum nostro sermone et consilio, si vobis sic videtur, visitare vos desiderant. De qua re quicquid tibi videtur, faciamus. Sed quid magis moror? Cum litterae tuae usque ad nos veniunt — quas ut isti[a] presenti portitori[b] litterarum mearum tribuas, obsecramus — quicquid in illis iusseris[c] vel[d] suaseris, Deo permittente et vita comite[e] libenter faciamus. Multum iam vitae nostrae fluctuando et neglegendo, quasi extra nos fusi, peregimus. Tandem aliquando ut ad nosmet ipsos redeamus, necesse est; scientes scriptum: quod, qui seminat in lacrimis, in gaudio metet[1]. Et ideo vitae nostrae quod restat, cum vestro consilio transcurrere curamus.

De cetero autem si in regione gentis nostrae, id est Saxanorum, aliqua ianua divinae misericordiae aperta sit, remandare nobis id ipsum curate. Quam multi cum Dei adiutorio in eorum auxilium festinare cupiunt. Omnia ista, quae longo sermone perstrinximus, tu mente pervigili, quid melius agendo sit, pertracta, et litteris intimare tua sancta almitas non pigeat. Vale.

Ego Hrothuin, dudum aliquod vobiscum, nunc autem, pro, hic positus scribens legens docensque quod legi, multum vos saluto; obsecrans, ut eo animo erga me sitis, quo et ego circa vos sum positus. Saluta omnes, qui amant dominum nostrum Iesum Christum.

---

137. *Vigbereht presbyter Lullo episcopo de sospitate gratulatur. Se, domum reversum, mandata eius peregisse, narrat. Nuntium suum commendat. Ab amicis se detineri; sed eius imperio obtemperaturum esse*[f]. (S 110, W 132, G 122)

755—786 ☧ Domino sancto ac beatissimo mihique omni affectu semper carissimo Lullae gratia Dei episcopo Vigbereht, exiguus familiae Christi famulus, inmarciscibilem sempiterne sospitatis salutem.

Magno etenim repletus sum gaudio valdeque hilarescit ani-

a. ista *V*. b. portitore *V*. c. iuseris *V*. d. dō *V*. e. comitae *V*. f. *ex V* 72—73. *Sine lemmate.*

1. Ps. 125, 5.

mus meus, cognita a nonnullis tua beata sospitate. Quamque[a] Dei gratia concedente ut semper habeas, optamus, memoremque nostri esse in tuis sanctis orationibus. 755—786

Dei gratia concedente et vestris meritis ut credimus suffragantibus, sani et incolomes mare transivimus[b] nostramque patriam pervenimus. Vestraque dona episcopis abbatibus amicisque vestris, sicut mandastis, obtulimus; et iuxta modolum nostri ingenii sermones vestros voluntatemque vestram intimare curavimus[c]. Illi autem fecerunt, sicut erant edocti; humiliter gratanterque omnia suscipientes; magnas gratias Christo domino referentes, quod vestra sublimitas eorum parvitatem per dona simulque et litteras visitare dignata est; vestramque commonionem et familiae vestrae instantiam orationum semper se habituros esse promittentes; nomenque tuum ut carissimorum suorum in ecclesiis suis scribentes; memoriamque tui, tam vivente quam defuncto, iugiter se facturos esse dicentes; epistolasque suas missuros[d], scriptas ut eis placet, promittentes. Quae[e] omnia — quae longis sermonibus protrahimus — iste portitor harum litterarum melius tibi verbis intimare potest. Quem vobis presbiterum transmittere curavimus; credentes et confidentes, quod utile vas sit in domo Domini. Quem ut benigne et honorifice, si dignus sit, vestra sanctitas accipere et habere, quod noster et amicus et propinquus est, dignata sit, obsecramus.

Nos autem[f], quod celare non possumus, amici et propinqui nostri isto anno a se relinquere nolentes; et ideo nuntios meos ad vos direxi, obsecrans vos humili supplicatione per Domini misericordiam: ut et vota et sermones, quibus me vobis constrinxi, vestra clementia dignata sit absolvere; et per epistolam tuam per nuntios meos revertentes, quid agere debeam, insinues. Fateor enim tibi per Deum, quod contra voluntatem tuam nulla dignitas seculi, nulla secularis amicitia[g] me hic ullo modo retinere potest; maxime quod te super omnes homines

quiaque *V.* b. transibimus *V.* c. curabimus *V.* d. misuros *V.* e. quę. f. ħ *V.* g. amititia *V.*

755—786 diligo, Deus testis est. Si autem tibi bonum videtur et tua voluntas sit, ut ad vos citius redeam, ecclesiae et ministerio, cui ante deservivi, me dimittas, dignum rogo et obsecro. Amici mei et propinqui et terram et hereditatem suam mihi promittunt et dare disponunt, si hic cum eis permanere dispono; sin autem, alienis permittere debent. Et ideo, mi domne, per prudentiam tuam et cor intellegibile pertracta et considera, quid tibi bonum videtur et rectum, et illud — et ut dixi, per litteras — intima. Vita etenim comite et Deo concedente, quod iubes, facere dispono. Orantem pro nobis[a] beatitudinem vestram divina misericordia in perpetuum custodire dignetur. Amen.

Ego Hrothuin, quondam cognatus tuus, saluto te; multum rogans, ut, quicquid reprehensibiliter scriptum repperiet, indoctae ineptiae[b] ignoscas. Utinam si fieri potest et si Dei voluntas sit, ut facie ad faciem videamus nos. Vale et memento nostri. Macharius polaris aulae pantocrator clemens diu vos incolomes custodire dignetur.

---

138. *Cynewulf rex occidentalium Saxonum et eius episcopi Lullo episcopo scribunt de mutuis precationibus faciendis*[c].

(S 112, W 134, G 124)

755—786 + Domino beatissimo et speciali amore venerando Lullo episcopo ego Cynewlf rex occidentalium Saxonum[1] una cum episcopis meis nec non cum caterva satrapum aeternam sospitatis in Domino salutem.

Tibique testificantes, quod iuxta modum nostrae possibilitatis, quicquid tua sanctitas desideraverit sive iusserit, libenter agere parati sumus, ut cum reverentissimo et sanctissimo viro Dei prodecessori tuo Bonifatio pepigimus, sive in orationibus Deo devotis seu in aliis quibuslibet rebus, in quibus humana fragilitas, Deo disponente, mutuis alterutrum solaciis egere con-

a. vobis *V*. b. inp'tiae *V*. c. *ex V* 73—73*v*. *Lemma:* Epistola Cynewulfi regis ad Lullum episcopum.

1. de quo cf. Lappenberg Gesch. von England I 265.

probatur. Te pariter obsecrantes, ut pro nostra parvitate proque pace congregationis nostrae Domino supplicare cum eis, qui tecum invocant nomen domini Iesu, memineris. Istarum vero litterarum portitorem a vobis ante destinatum vestrae almitati committimus, quia fideliter nobis oboedire in omnibus curabit. Omnipotens Deus, qui dispersa congregat et congregata custodit, ipse vos sua gratia protegat et vestri laboris fructum in aeterna patria nos videre concedat. 755—786

---

139. *Quidam quandam hortatur, ut propter imminens mundi exitium, promissi memor, pro se precetur*[a].

(S 34, W 165, G 151)

Intimae dilectionis amore quamvis indignus[b], .N. in Domino, triquadri[1] orbis quadrifaria regna[2] magno moderamine[c] disponente, .N. sospitatis salutem.

Puto enim cognoscere, amantissima soror, quod in divinis sepe cautum legitur oraculis: adpropinquante iam mundi fine et statua ex quaternis metallorum generibus quondam fabrefacta[3] ruitura, hydram[d] quoque semper novis hiantem[e] sibilis[f] et scillam cum hereditariis catulis non cessantem latrare. Milvus quoque ad ima columbaque ad fenestras suas volitat. Quam ob rem, carissima, licet longeuscule alta marium[g] equalitate distam, vicinus tamen circa tuam frequens memoriam cotidie conor adesse. Obsecro: ut sis memor verborum nostrorum, quae pariter pepigimus, quando profectus fueram. Vale, vivens aevo longiore et vita feliciore, interpellans pro me. Haec pauca ad te scripsi, non arroganter mea commendans, sed humiliter tua deposcens et ceu propriae germanae nuper nanctae. Vale.

In caelo flagrans iam iustis vita perennis,
Qua sancti semper fulgebunt lumine pulchro

a. *ex V* 20 — 20*v. Lemma:* Item epistola. b. indignis *V.* c. modoramine *V.* d. *super* hydram *scriptum est* serpens *V.* e. hiantem *scripsi pro* inantem *V.* f. sibillis *V.* g. marium *scripsi pro* meritorum *V.*

1. in tres partes (Europam, Asiam, Africam) divisi. 2. regnum aureum, argenteum, aereum, ferreum. V. Daniel 2, 38 squ. 3. V. Daniel 2, 31 squ.

In regno Patris, ceu clarus Titan in orbe,
Atque per augustam Hierusalem voce Tonantem
Sic dominum semper laudant sine fine dicantes[a],
Et sanctas pariter concinnant ore per auras.
Hic iugiter celebrant excelso carmina Christo;
Quem chorus martyrum sic simul omnis orabit[b],
Multum de Domino gaudens, de pectore[c] multas
Effundens laudes gratans[d] hominique Deoque,
Laetior ora modis attollens placida miris.
Crede mihi, quia te summo conplector amore.

Vale Christo virguncula, Christi nempe tiruncula,
Mihi cara[e] magnopere atque gnara in opere,
Tibi laudes contexero atque grates ingemino.
Teque rogo cum tremore, agna, Christi pro amore:
Vota redde cum fervore Altissimo in aethere.
Quae pepigimus pariter, memorare vivaciter[f].

---

140. *Quidam Si. aegrotantem consolatur*[g]. (S 48, W 162, G 150)

Reverentissimo fratri Christique emerito militi[h] .Si. in aetherio Deo gloriosam divinae sospitatis salutem.

Quorumdam venerabilium servorum Dei relatione dedici, quod acerba morborum valitudine graviter affectus, diu cruciatus, laboriose fatigatus sis, non tamen lugubriter defectus. Ut autem hoc mihi conpertum est, grates spiritali patri agens, celesti gratia te visitatum, divino munere ditatum, spiritali specimine ornatum esse, intellexi. Ista, inquam, visitatio flagellantis Domini te invitat, ut ei inhiante desiderio et inmarciscibili caritate iungeris. Ideo numquam de memoria oblitterandum, quod dictum est: *Concupivit rex speciem tuam*[1]. Et sollerti meditatione non ignores te, licet ad tempus manu flagellantis et amantis Domini infirmatum, tamen aeternaliter ad animae salutem preparatum; quia flagellat Deus omnem filium, quem

a. dicentes *V.* b. *sic est versus in cod.* c. pectore *scripsit Serarius pro* auctore *V.* d. gratans *scripsit Serarius pro* gratulans *V.* e. cura *V.* f. minaciter *V.* g. *ex V* 31—31*v. Lemma:* Item epistola. h. milite *V.*

1. Cf. Ps. 44, 12.

recipit[1]. Et gratulabundus laetusque dicas cum Paulo apostolo: *Quando infirmor, tunc potens sum*[2]; et: *Virtus in infirmitate perficitur*[3]; ut inbecillitas corporalis fortitudo sit spiritalis, ut mereris esse filius Altissimi, qui te ad thalamum regis aeterni invitat. Valere te iugiter prosperis successibus in Christo opto.

---

141. *Quidam cuidam foris valenti gratulatur*[a].

(S 50, W 161, G 149)

In Dei nomine acceptis litteris, frater carissime .N., de tua presentia nobis adlatis, cum gaudio suscepimus; gratias Deo agentes, quia audivimus, quod, longe te agente in peregrinatione, Dominus benignitatem suam tecum exhibuit; salutantes te in Christo omnis cognatio tuorum consanguineorum et obsecrantes, ut diligenter in Deo bonis operibus proficere studeas; nostris adiunctis precibus, ut ille qui est omnis consolationis dator, qui nos in huius miserabilis vite itinere corporaliter separavit, in suo regno semper mansuro sine fine coniungat. Vale semper, salutatus supplicibus tuorum amicorum cum vocibus. Protegatur a Domino vita tua a modo et usque in sempiternum.

---

142. *Wietberht N. presbyterum, ut pro se precetur, rogat*[b].

(S 54, W 159, G 147)

Dilectissimo[c] fratri et conpresbitero .N. Wietberht exiguus in Christo aeternae caritatis salutem.

Intime caritatis obnixis precibus flagito, ut mei in tuis sacrosanctis orationibus memor esse digneris; quia mundanae temptationis malleo, vanis rebus turbantibus, percutior.

---

143. *Quidam cuidam scribit, se de eius in se amore non dubitare. Membranas poscit*[d]. (S 55, W 158, G 146)

Venerando ac diligendo fratri in Christo optabilem sempiternae sospitatis salutem.

Fateor caritati tuae: quod numquam falsis verborum fri-

a. *ex V* 32. *Lemma:* Item epistola. b. *ex V* 33. *Lemma:* Item epistola Wiehtberhti. c. Dilecti *V*. d. *ex V* 33—33*v*. *Lemma:* Item epistola.

1. Hebr. 12, 6. 2. 2 Corinth. 12, 10. 3. 2 Corinth. 12, 9.

bulis[1] fidem accommodare volui, nec de tuae devotae caritatis fidelitate aliquas dirae derogationis aristas[a] acrescere credebam; sed magis tuae dilectionis benevolentiam meminisse reor sententiae Salomonis[b], qua dicit: *Ne moliaris amico tuo malum, cum ipse fiduciam habuerit in te*[2]. Et nunc credula cordis precordia gesto de tuae devotionis perseverantia[c]. Gratias tibi refero pro adminiculo divinae scripturae, quod mihi benigne transmittere curasti. Idque obsecro, ut, quando potueris me adiuvare in membranis scribendis, transmittas. Et quodcumque mihi mandaveris tibi necessarium in corporali solatio, libenter ac fideliter faciam. Et licet locorum spatio longe separemur, tamen spiritali caritate adunati simus. Vale semper in Domino, meaeque[d] parvitatis memor in tuis sacris orationibus esse digneris.

---

144. *H. monacha N. fratrem obiurgat, quod tam diu venire cesset*[e]. (S 56, W 157, G 145)

Fratri unico atque amantissimo .N. H., ultima ancillarum Dei, in Christo salutem.

Quid est, frater mi, quod tam longum tempus intermisisti, quod venire tardasti? Quare non vis cogitare, quod ego sola in hac terra; et nullus alius frater visitet me neque propinquorum aliquis ad me veniet? Et si ideo facis, quia adhuc[f] nihil potui, secundum quod mens mea diligenter voluisset, aliquid beneficii[g] inpendere, tamen caritatis atque adfinitatis iura nullo alio suadente, aut mens tua mutando, debes obliviscere. O frater, o frater mi, cur potes mentem parvitatis meae adsidue[h] merore fletu atque tristitia die noctuque caritatis tuae absentia adfligere? Nonne pro certo scies, quia viventium omnium nullum alium propono tuae caritati? Ecce non possum omnia per litteras tibi indicare. Iam ego certum teneo, quod tibi cura non est de mea parvitate.

---

a. aristus *V*. b. Solomonis *V*. c. perseverantiam *V*. d. meae quae *V*. e. *ex V* 33*v*. *Lemma:* Item epistola. f. quiadhuc *V*. g. beficii *V*. h. adsiduae *V*.

1. i. e. frivolis. 2. Prov. 3, 29.

145. *Abbas quidam concedit, ut monachus in id, cuius sodalis antea fuerit, monasterium revertatur*[a].

(S 59, W 154, G 143)

In nomine domini nostri Iesu Christi. Ego huic fratri nomine .... libentissimae concedo, ut ad monasterium venerandi abbatis, in quo primitus predictus frater Deo debitam[b] servitutem devovit, cum pace congregationis nostrae revertatur ibique Christo fideliter servire nitatur.

---

146. *Quidam quendam rogat, ut libellis mittendis auxilio sibi sit*[c]. (S 60, W 153, G 142)

Reverentissimo fratri atque carissimo in Christo .N. sine fine salutem.

Deprecor te ergo, ut mihi minimo digneris solatium prebere atque necessitatibus meis piissima mente subvenire libellis, de quibus mentio facta fuerat, id est, quod necesse habet.

---

147. *Monachus quidam N. hortatur, ut iter cogitatum perficiat. Addit de paupertate sua*[d]. (S 61, W 152, G 141)

Reverentissimo atque sanctissimo .N. ego minimus, nomine latito, sine fine salutem in Domino.

Audio de te, quod iter vis incipere; ortor, ut non deficeris. Eia fac, quod incipisti. Memento Saxonicum verbum:

Oft dædlata dôme[e] foreldit[f],
sigisîtha gahvem; swyltit thî âna[1].

Sed tamen tale quid in te haud scio. Non est hic operandum; sed tende ubi messis est, Deo adiuvante; sicut Salvator dicit: *Messis quidem multa, operarii autem*[g] *pauci*[2] et cetera. De

a. *ex V* 34. *Lemma:* Item epistola. b. debitum *V.* c. *ex V* 34. *Lemma:* Item epistola. d. *ex V* 34 — 34*v*. *Lemma:* Item epistola. e. dômę *V.* f. forępldit *V.* g. ħ *V.*

1. Hos versus Saxonicos Carolus Müllenhoff in usum meum recensitos convertit sic:

Saepe ignavus gloriam amittit,
victoriam quamcunque; moritur ideo solus.

2. Matth. 9, 37.

me quid dicam minimo? Qui sub regula alterius vixero[a]; nihil habens lucri, sicut omnium moris est hic habitantium; nihil habentes nisi cotidiana stipendia? Sed tamen non doleo propter nimiam paupertatem, quoniam Dominus consolavit nos dicens: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum regnum caelorum*[1].

---

148. *Berthgyth fratri suo Balthardo scribit, se desiderio eius teneri*[b]. (S 63, W 151, G 140)

Dilectissimo fratri in Domino et in carne carissimo Balthardo Berthgyth in Christi nomine salutem.

Tedet animam meam vitae meae[2] propter amorem fraternitatis nostrae. Ego enim sola derelicta et destituta auxilio propinquorum. Pater enim meus et mater mea dereliquerunt me, Dominus autem adsumpsit me[3]. Multae sunt aquarum congregationes[4] inter me et te, tamen caritate iungamur; quia vera caritas numquam locorum limite frangitur. Sed tamen dico, quod umquam non recessit tristitia ab anima mea, neque per somnium mente quiesco; quia fortis est ut mors dilectio[5]. Nunc ergo rogo te, dilectissime frater mi, ut venias ad me aut me facias venire, ut te conspiciam antequam moriar; quia numquam discedit dilectio tua ab anima mea. Salutat te in Christo, frater, soror tua unica. Oro pro te sicut pro me diebus ac noctibus, horis atque momentis, ut sanitatem semper habeas cum Christo.

Vale vivens feliciter, ut sis sanctus simpliciter,
tibi salus per saecula tribuatur per culmina.
Vivamus soli Domino vitam semper in seculo.
Profecto ipsum precibus peto profusis fletibus[c]
solo[d] tenus sepissima, subrogare auxilia:
ut simus digni gloria, ubi resonant carmina
angelorum laetissima aethralea laetitia[e]

a. fixero *V*. b. *ex V* 34*v* — 35. *Lemma:* Item epistola. c. flectibus *V*. d. sola *V*. e. laetititia *V*.

1. Matth. 5, 3. 2. Iob. 10, 1. 3. Ps. 26, 10. 4. Cf. Genes. 1, 10. 5. Cant. cant. 8, 6: „quia fortis est ut mors dilectio“.

clara Christi clementia celse laudis in secula.
Valeamus angelicis victrices iunge[a] milibus,
paradisi perpetuis perdurantes in gaudiis.
Elonqueel et Michael, Acaddai, Adonai, Allevatia, Alleluia.

---

149. *Berthgyth fratrem suum Baldhardum obsecrat, ut ad se veniat*[b]. (S 64, W 150, G 139)

In nomine domini nostri Iesu Christi et in sancta Trinitate dilectissimo fratri unico Baldhardo (Berthgyth[c]) perennem in Christo salutem.

Notum sit tibi, quod venerunt ad me verba legationis tuae per fidelem nuntium nomine Aldraed; similiter et munera, quae cum intima caritate amplexi. Et nunc fateor tibi, quod implere desidero auxiliante Domino omnia, quae praecepisti mihi, si dignetur voluntas tua venire ad me; quia ullo modo fontem lacrimarum adquiescere non possum, quando video et audio alias ituros ad amicos suos. Tunc recolo, quod a parentibus in iuventute derelicta fui et sola hic permansi. Et tamen a Domino derelicta non fui; sed gratias ago Deo de inmensa eius pietate, quam sepe non merentibus per misericordiae suae viscera donare consuevit, et sic nos incolumes servavit. Et nunc, frater mi, adiuro te atque deprecor, ut auferas tristitiam ab anima mea; quia valde nocet mihi. Dico enim: quamvis unius diei spatium sit, et iterum perrexeris iuvante[d] Domino in voluntate tua, tamen recedit tristitia ab anima mea[e] et dolor[f] de corde meo. Sin autem displicet tibi, inplere petitionem meam, tunc Deum testem invoco, quod in me numquam fit derelicta dilectio nostra. Et nunc vere dico tibi, quod meliora nescio, si me[g] venire vis illuc, quam hic maneam. Sin autem aliut aliter tibi melius[h] placet, tunc indicare possum: quod mens mea desiderat, ut eveniam illuc, ubi requiescunt corpora parentum nostrorum, et temporalem vitam ibi finire et pervenire, ubi per-

a. *an* victores iuncti? b. *ex V* 35 — 35 *v*. *Lemma:* Item epistola. c. Berthgyth *addidi; ab ea enim hanc epistolam esse, docet ep.* 148 *supra p.* 312. d. iubante *V*. e. amę *V*. f. dolo *V*. g. me *addidi*. h. melior *V*.

fecta mansio esse[a] cernitur et regio vivorum et gaudia angelorum sine fine laetantium. Vale in Christo. Munuscula quamvis parva, tamen cum maxima caritate honerata, quod tibi direximus per fidelem nuntium nomine Aldraed, id est wittam unam.

Pro me quaero: oramina precum pandent precipua
tua formosa famina, tuae sophae ....[b] entiae;
uti nova ac vetera uti dira discrimina
Christus abolet crimina[c] cum inmensa clementia,
ut armata[d], angelicis vallata legionibus
dextro ac levo latere dialique maiestate.
Have, crucicola[e] care, salutate[f] a sorore[g];
fine tenus feliciter famam serva[h] simpliciter.

---

150. *Precationes sollemnes* [i 1]. (S 73, W 145, G 135)

Oratio pro semet ipso.

Domine Iesu Christe, propitius esto mihi peccatori; quia tu es inmortalis et sine peccato solus. Domine Deus noster, tu es benedictus, qui benedicis omnia; tu es sanctus, qui sanctificas. Domine Deus noster, indulge mihi famulo tuo, quia peccator sum et indignus, quia presumerim[k] ad sanctum altarem tuum invocare, quia peccavi coram te et coram angelis tuis; sed tribue nobis indulgentiam delictorum. Et confirma sancta ecclesia tua in fide ortodoxa[l]; et doce nos facere voluntatem tuam omnibus diebus vitae nostrae per Dominum.

Secreta.

Suscipe, clementissime pater, hostiam placationis et laudis benignus, quas tibi offero indignus famulus tuus pro famulis et famulabus tuis. Quia tu scis[m] figmentum meum[2]; tu scis[m] omnia, quae[n] egi in conspectu tuo et in conspectu sanctorum tuorum;

a. esset *V.* b. *lacuna.* c. cremina *V.* d. *an* et Maria? e. care crucicola *V.* f. salutata *V.* g. sorere *V.* h. serve *V.* i. *ex V* 47–48. k. presumeris *V.* l. orto *V.* m. tuescis *V.* n. qui *V.*

1. His precationibus et in codice (V) et in editionibus praefixum est fragmentum libelli cuiusdam sic incipiens: „Interdum enim et iuxta“, quod vide supra p. 11 n. 4. 2. Cf. Ps. 102, 14.

qui non vis mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat[1]. Et respice in me et miserere mei. Quia tu es clemens et misericors Deus, qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Domine, concede mihi pacem et sanitatem, fidem et castitatem, victo et vestito. Et tu, Domine, de limo terre fecisti me, ossa et nervos firmasti me, Spiritu sancto tradidisti me. Tuus sum, Domine; custodi me. Domine Iesu Christe, filius Dei vivi, qui me creasti, ex toto corde meo, ex tota anima mea et ex tota fortitudine mea te adorare presumo. Post baptismo sancto accepi et feci contra voluntatem tuam verbo, in cogitatione, in operatione; indulge peccata mea. Et qui in me peccavit, ante conspectum Dei et omnes virtutes angelorum his demitto. Domine Deus omnipotens, confiteor tibi peccata mea, que feci et gessi; presta mihi veram penitentiam, domine excelsi. Peccavi, Domine, in somnium et pegritia. Peccavi, Domine, miser in sacramenta; heu, miser, mea voluntate pollui; heu miser, tanta sunt in me peccata. Deus, miserere. Qui nullum vis perire, presta mihi veram penitentiam et digna me exaudire.

---

151. *Monachi quidam praeposito cuidam de agitanda fratrum mortuorum memoria scribunt*[a]. (S 108, W 144, G 134)

Precatorium memorandi fratrum defunctorum.

Sanctis et venerabilibus fratribus, illi preposito omnibusque sibi in Christo subiectis, fratres ex monasterio illo in Christo salutem.

Dreximus itaque fratrum nostrorum nuper defunctorum nomina, ut eorum in vestris sanctis orationibus solito more memoriam habeatis, et ad cetera deinceps monasteria eadem nomina scripta dirigatis; sicut et nos facimus, quoties de vobis sive de ceteris monasteriis defunctorum fratrum nomina veniunt. Hoc est . . . reliqua[b].

a. *ex V* 71*v*. b. rl̄ *V*.

1. Ezech. 33, 11.

EPISTOLAE MOGUNTINAE.

Bonifatii et Lulli epistolis cum epistolas Moguntinas adiciendas statuerem, omnes, quaecunque eius generis reperiuntur, conglobare litteras minime cogitavi. Ut enim supersedendum sane fuit iis epistolis ad Moguntiam pertinentibus, quae iam superioribus bibliothecae huius voluminibus comprehenduntur inter Wibaldana et Gregoriana monumenta, sic neque earum quidquam placuit afferri, quae aliis inhaerent epistolarum corporibus posterius plene proponendis. Continui me etiam a litteris vel omnino confictis vel ita mendose vulgatis, ut eas satis emaculare adhuc usque non liceret. Attamen haud mediocris epistolarum et ineditarum et editarum numerus concurrit. Quarum partem Leopoldus Delisle, Augustus de Druffel, Holzer reverendissimus ecclesiae Trevirensis praepositus, Willelmus Scherer ex codicibus bibliothecarum Parisiensis, Berolinensis, capituli Trevirensis, Vindobonensis in meum usum aut descripserunt prorsus aut correxerunt. In reliquis litteris proferendis adhibui praeter epistolarum Bonifatianarum libros manu scriptos[1] etiam codices Guelferbytanum et Wirzeburgensem, a Ludovico Bethmann et Antonio Ruland missos, atque Monacenses, Francofurtensem, Pommersfeldensem, qui mihi iter facienti in ipsis bibliothecis tabulariisque patebant.

Berolini 11 Kal. Ianuarias a. 1865.

1. v. supra p. 10 n. 3 et p. 12 n. 1.

1. *Leo III papa Riculfo episcopo Moguntino de munere litterisque gratias agit expetitasque S. Caesarii reliquias mittit*[a][1].

Leo episcopus servus servorum Dei reverentissimo et sanctissimo Riculfo episcopo. 810

Cum ad limina beatorum principum apostolorum Bernharius venerabilis episcopus[2] una cum Adalhardo[3] relegioso abbate, missi filii nostri domni Caroli serenissimi imperatoris, coniunxissent[4] et omnia prospera ac salubria de predicto filio nostro seu de eius sublimissima prole[5] vel omnibus fidelibus suis nobis nuntiassent, inmensas omnipotenti Deo gratiarum actiones retulimus. Interea offeruit nobis praelatus Bernharius episcopus sanctitatis vestrae pulcherrimum munus et litteras. Quas vero litteras relegantes, gratias reverendae almitati vestrae retulimus; quia nostri memores in vestris Deo acceptis orationibus[b] non pretermittitis. De tantis autem muneribus, quibus[c] nos assidue[d] pro amore beati Petri apostoli ditatis, credimus in omnipotentem Deum, quia dignam retributionem hic et in futuro ab ipso clavigero regni caelestis percipietis. De reliquiis vero sancti Cesarii, sicut petistis, per eundem Bernharium venerabilem episcopum sanctitati vestrae direximus.

Leo episcopus servus servorum Dei reverentissimo et sanctissimo Riculfo episcopo.

---

2. *Amalardus abbas et monachi Hornbacenses Riculfum archiepiscopum rogant, ut monasterii ecclesiis in dioecesi Moguntina sitis Macharium presbyterum praeesse sinat*[e][6].

Domno et patri Riculfo archiepiscopo, quem gratia aeterni 803—813
regis perpetualiter ad salutem multorum et aecclesiae catholicae

a. *ex S. Bonifatii epistolarum cod. Vindobonensi* (*v. supra p.* 11) *fol.* 49. *Sine lemmate.* b. esse *excidisse videtur.* c. quibus *om. V.* d. assiduae *V.* e. *ex S. Bonifatii epistolarum cod. Vindobonensi fol.* 73*v. Lemma:* Epistola Amalradi ad Riculfum episcopum.

1. Hanc epistolam, in S. Bonifatii epistolarum serie positam, signavit Serarius n. 75, Würdtweinius n. 135, Gilesius n. 126. 2. Wormatiensis. 3. I abbate Corbeiensi. 4. Cf. Einhardi annales 809, Mon. Germ. SS. I 196. 5. Ludovico, postea imperatore. 6. Signata est haec epistola ap. Serarium (Epist. S. Bonifatii) n. 113, ap. Würdtweinium n. 136, ap. Gilesium n. 125.

803—813 defensionem conservare dignetur, Amalardus[1] et Wido omnisque congregatio sancti Petri ex monasterio Horbach[2] in domino Deo salvatori nostro salutem presumpsimus mittere.

De cetero notum sit pietati vestrae: quia, in quantum Deus nos exaudire dignatur, oratores vestri incessanter sumus et adtencius esse cupimus. Conperiat siquidem magnitudinis vestrae: quia misimus presbiterum nostrum Macharium nomine ad nostras aecclesias, quae[a] in vestra parrochia sitae esse videntur, ut ibidem solito more officium perageret. Sed dictum nobis et eodem[b] presbitero fuit: quod auctoritatis vestrae magnitudo iuberet, non ibidem eum esse officium divinum caelebraturum; quia nescimus, si aliqua suggestio auribus pietatis vestrae a Bernario episcopo[3] pervenisset; quia idem domnus Bernarius episcopus misit ei unum caballum pascere de nostra stipendia, unde nos vivere debemus. Nescimus, si pro hac causa factum non sit. Nunc deprecamur: ut, accepta licentia idem presbiter a vobis, liceat ei domino Iesu Christo et sanctorum eidem in loco reliquiis officium solito more persolvere; ne et domus Dei et reliquie illius honor sic remaneant sine sacerdote lumine et officio. Nec nos non habemus illis in partibus sacerdotem, qui illud officium ibidem peragere possit, nisi iste. Ideo deprecamur vobis: ut tale preceptum et licentia ei a vobis tribuatur, nec tam diu, sicut deprecati sumus, domus Dei et reliquie illius honor sic sicut modo remaneant. Gratia domini nostri Iesu Christi vos in presenti faciat pollere et in aeterna beatitudine feliciter secum regnare. Obteneant obteneant, queso, preces nostrae auribus pietatis vestrae, electe Dei; quatenus et aliorum profecta merces vobis magna reddatur a domino Iesu Christo.

---

3. *Riculfus archiepiscopus Moguntinus Bernario episcopo Wormatiensi Gerbertum clericum epistola formata commendat*[c].

803—813 Riculfus misericordia Dei Maguntiae civitatis archiepiscopus

a. qui *V.* b. *sic pro* eidem. c. *Ediderunt ex ms. Morbacensi Martene et Durand Thes. anecd. I,* 17.

1. abbas Hornbacensis. 2. s. Hornbach prope Zweibrücken, dioec. Mettensis. 3. Wormatiensi, 803—823.

Bernario fratri ac Wormacensis civitatis episcopo in deo patre 803—813
et domino Iesu Christo et praesentis vitae felicitatem et futurae etiam optamus beatitudinem.

Notum sit almitati vestrae, quia Gerbertus, clericus ac fidelis filius noster, cum omni humilitate a nobis petiit, ut ei visitationis seu devotionis gratia tam religionem vestram quamque et loca sacra, vobis a Deo ad gubernandum commissa, visitare licuisset; ea scilicet conditione: ut, si propter causas quasdam — a nonnullis occultandas, vobis autem manifestandas — utrisque vobis videretur, ut ad salutem animae suae vobiscum maneret ac vestrae vestrorumque se sollicitudini committeret, ita facere licuisset; sin autem, absque ulla noxia vagatione interposita ad nos remearet. Unde ei hanc epistolam, ecclesiastico more numeris ac supputationibus congruis astipulatam, fieri iussimus, ut scire valeat Deo digna fraternitas vestra: eum nec fuga lapsum nec fraude profectum, sed nostra spontanea voluntate ad vos fuisse destinatum. ī. D. xxx. Valete in Domino. XCVIIII.

---

4. *Quidam Ludovicum I imperatorem orat, ut sibi suaeque sorori hereditatem paternam restitui iubeat*[a][1].

Incipit reclamatoria epistola.

Piissimis auribus vestris, clementissimę ac gloriose impe- c. 815
rator, non praesumptionis audatia sed pro magna necessitate mea suggerere conabor, qualiter a me peccatore et mea sorore paterna hereditas nostra erat primo elongata et adhuc etiam abstracta. Et ideo, piissime imperator et omnium indigentium misericordissime suffragator, multum indigemus patrocinio vestro: quatenus per misericordiam ac elymosinam vestram ad ipsam hereditatem pervenire valeamus; eo quod ullo modo aliter nobis ea restitui non valet, nisi per vestram devotissimam semperque benivolam iuste faciendi clementiam. His ita, domine

a. *ex cod. Vindobonensi epistolarum S. Bonifatii fol* 74v—75.

1. Hanc epistolam signavit Serarius (Epistolae S. Bonifatii) n. 115, Würdtweinius n. 142, Gilesius n. 132.

c. 815 mi, utcumque praedictis, audire dignetur excellentia vestra reclamationem miseriae nostrae.

Fuit namque nobis, serenissime imperator, pater nomine Richart[a] et patruelis nomine Richolf[b], ambo Saxones, et hereditas eorum in ipsa extiterat Saxonia. Dum autem in servitio patris vestri, felicis memoriae domni Caroli imperatoris, extiterunt, propinqui eorum atque pagenses, causa christianitatis furore se super eos turbantes, omnia quae in domibus propriae elaborationis habuerunt, cuncta raptim diripuerunt; eo quod in fide christianitatis velle eos persistere senserunt, et eam negare ullo modo noluerunt. Postea vero contigit, ut domnus impera-
798 tor patruelem meum Richolf misit in missaticum super Elbam cum his inferius scriptis, id est Rorih[c] comite, Gotesscalc[d] comite, Had[e] comite et Garih[f]; qui omnes una ibidem fuerunt occisi[1] propter christianitatis stabilimentum. Quo audito, perrexit pater meus Richart nuntiare hoc domno imperatori Carolo. Et dum in illa via fuit, adprehensa est ipsa mater mea ab eisdem viris, qui illos praefatos missos antea interfecerunt, et inter manus fideiussorum commendatam reliquerunt; ceteraque omnia, quae ibidem in sumptibus vel aliis quibuslibet rebus reperta sunt, secum per rapinam priserunt. Quod cum compertum fuit patri meo, transivit latenter et eam quasi furtim arripuit; fugitque cum ea in pagum, qui vocatur Marstheim, in maternam hereditatem suam. Et sic mansit ibi, donec ex iussione domni im-
804 peratoris Saxones, facta transmigratione de Saxonia, per partes educti sunt; et tunc etiam temporis cum eisdem pater meus et mater educti fuerunt. Quibus vero eductis et in ipsa transmigratione per quanta qualibet spatia commorantibus, a propria

a. Richart *erasum est.* b. Richolf *erasum.* c. Rorih *erasum est.* d. Gotesscalc *erasum.* e. Had *erasum.* f. Garih *erasum.*

1. Einhardi annales 798 (Mon. Germ. SS. I 185): „Saxones transalbiani — legatos regis, qui ad eos ob iustitias faciendas missi erant, conprehensos interficiunt, paucis eorum quasi ad redimendum reservatis; trucidantes cum ceteris et Godescalcum, regis legatum, quem ille ante paucos dies ad Sigifridum regem Danorum miserat. Is cum eodem tempore reverteretur, ab huius seditionis auctoribus interceptus atque occisus est“.

abalienati terra, de hac luce pater meus interveniente extremo die substractus est. Et remansit sola mater mea et ego sororque mea; et adhuc Deo miserante nos tres superstites existimus. c. 815
Non tamen pervenimus ad paternam hereditatem nostram.

Ideoque, piissime imperator, qui omnibus pauperibus et iam cunctis indigentibus stabile refugium pro Dei amore misericorditer inpendere non cessatis[a], nobis quoque, paterna hereditate despoliatis, pro vestra elymosina auxiliari sub hac reclamatione nostra utcumque faciatis; et per fideles vestros id ipsum investigare dignemini, utrum iuste ad nos pertinere debeat an non; si tamen apud vestram sanctissimam decretum fuerit excellentiam. Multi enim testes de ipsis pagis super hac ipsa re adhiberi possunt, qui hanc rem bene sciunt et eam detegere veraciter valebunt. O clementissime ac serenissime imperator.

---

5. *Moguntini a Ludovico I imperatore petunt, ut Otgerus archiepiscopus post absentiam diutinam ad sedem suam revertatur*[b 1].

Epistola reclamatoria ob episcopum impetrandum Otgerum.

Domino in domino dominorum obtimo victorique maximo 825—829
Hludoico, imperatori gloriosissimo, virtus vita victoria salusque continua, longevis temporibus per omnipotentem Dominum haec omnia vobis stabilita.

Litteras quidem humillimas summae magnitudini vestrae adpresentare suppliciter conamur et probatissimam clementiam vestram appellamus totus clerus omnisque plebs, sub clarissima dominatione vestra degens in parrochia Mogontiensis ecclesiae; non haec faciens per audaciam neque per presumptionem, sed propter nimiam necessitatem, quae cotidie in ipsa parrochia grassatur, absente diu et procul versante suo pastore. O domine piissime, nonne vestra clarissima potestas sanctissimaque

a. cessabis *V.* b. *ex S. Bonifatii epistolarum cod. Vindobonensi fol.* 76—77.

1. Hanc epistolam signavit Serarius (Epistolae S. Bonifatii) n. 117, Würdtweinius n. 139, Gilesius n. 129.

825—829 voluntas in hoc se studio semper exercuit, ut Christi nomen clarificetur coletur[a] atque ametur et eius divina potestas per fortitudinis vestrae constantiam multis terrarum locis innotescat? Unde et probatissima sollicitudo vestra laborare non cessat, ut ecclesia Christi domini nostri custodiatur adunetur regatur tueatur et a perfidorum doctrinis intrinsecus purgetur; et ad hoc studium cum magna devotione satis prumpti exsistitis ob impetranda praemia patriae caelestis et aeternae beatitudinis. Idcirco domine, quoniam talia circa Dei ecclesias agitis, nolite oblivisci ecclesiarum plebisque in parrochia nostra consistentium, ne diutius somno torpescant, pastore carentes. Quapropter, clementissime domine, precamur omnes, precamur singuli, quasi corporaliter dulcissimis pedibus vestris provoluti: ut pastorem, quem iam pridem vestra largissima concedente gratia suscepimus, eundem iterum pro elimosina vestra suscepturi gaudeamus; ut in ipsa sede, super qua eum prudentissima sapientia vestra consedere fecit, domino Christo et sanctis eius vobisque valeat deservire; quatenus vestra miserante misericordia ecclesia sancti Martini sanctique Albani martyris Christi ab eo viduata non fiat, in quorum honore atque amore, sicut optime novit cautissima sapientia vestra, prius eum ibi disposuistis officio fungi sacerdotis. Scimus enim, eum vobis esse in omnibus fidelem benivolum humiliter subiectum riteque benignum, et in eo maxime libenterque laboraturum, quo valeat bene piissima excellentia vestra in hoc tempore inlaesa existere et in aeterna beatitudine cum sanctis omnibus triumphata in caelo gaudere. Sed quid digne nostra ex parte possumus obtendere contra sagacissimam sapientiam vestram, dum nullus tam doctus tamque idoneus prudentia sit, quem vestra non praecellat industria? Felix populus felixque omnis clerus, qui tali principe regitur talique defensore gubernatur protegitur. Hoc faciat Deus et hoc addat: quatenus non solum magnitudo potestatis vestrae principem vos esse ostendat, sed etiam instantia gubernandi domus Dei in laudem sancti nominis eius protectorem et glo-

a. *sic.*

riosum triumphatorem longe lateque perficiat. His ita domine 825—829
utcumque suppliciter predictis, recordari devotissimam clementiam vestram obtamus de pastore nostro, exiguo vestro famulo Otgero, intercedentibus his sanctis superius nominatis; ut, sicut coepistis, ita perficiatis: quatenus in sua sede, vestra concedente gratia, Deo et sanctis eius serviat vestramque orationem cum nobis omnibus die noctuque exerceat. Amen.

---

6. *Tatto monachus Augiensis Otkerum archiepiscopum Moguntinum hortatur, ut pro se precetur membranasque sibi mittat, in quibus lectionarium et missalem Gregorianum perscribat*[a 1].

☩ Sanctissimo et in Christi membris dilectissimo patrique piis- 825—838
simo Otkero archiepiscopo Tatto[2], humilis vernaculus vester et fidelis orator, summae beatitudinis inviolabilem atque inmarcescibilem in domino Deo nostro salutem.

Omnium huius ordinis virorum amantissimae atque mihi dulcissimae, ne despicias exiguam petitionem fidelissimi oratoris tui. Sed secundum inmensam benivolentiam ac solitam caritatem tuam, esto mei indigni memor: ut, dum me Christus vocare iusserit et vestrae intimatum fuerit mellifluae caritati, prout visum fuerit, per vestros meae parvitatis animulae, hinc abeuntis vel in hoc corpusculo commorantis, memores esse dignemini. Nam si me Deus, quod non opto, superstitem vobis reliquerit, quantumcumque per me sive per familiares meos amicos laborare sufficio, in orationibus studiose explere pro vobis satagam. Et donec utrisque Deus vitam hanc caducam concesserit, vestram almitatem mei indigni et peccatoris esse memorem rogo; quoniam ego vestri indefesse assidua et cotidiana prece memor ero, optime atque mitissime pater. Nam si haec

a. *ex cod. Vindobonensi epistolarum S. Bonifatii fol.* 74. *Sine lemmate.*

1. Hanc epistolam notavit Serarius (Epistolae S. Bonifatii) n. 114, Würdtweinius n. 138, Gilesius n. 128. 2. monachus Augiensis, qui obiit 847 Mart. 20. Annalium Alamannicorum cont. Augiensis (Mon. Germ. SS. I 50) 847: „Tatto et Erlaboldus obierunt". Necrol. Augiense (Mittheilungen der antiqu. Gesellsch. in Zürich VI 2): „XIII Kal. Apr. Tatto".

825—838 dedignatus non fueris, domine dulcissime, valde meam exiguitatem laetificabis. Salutat vestram sanctitatem domnus abba[1] noster, una cum omnibus fratribus nostris, fidelissimis oratoribus vestris. Multum in Domino et vestris sacris orationibus oppido se commendant.

Mittite mihi de pergameno bono ad unum lectionarium perscribendum et ad unum missalem Gregorianum[2]. Quem si per vestrum adiutorium perfecero, dum vixero, semper vestri memor ero. Litterae vestrae dignationis mihi per horum perlatorem veniant, ut norim, si adhuc vestra almitas antiqui contubernii[3] memor esse dignetur. Iubeoque fidenter more solito, ut supra dicta membrana per praesentem fratrem nostrum mihi veniant. Incolomem sanctitatis vestrae coronam ad profectum suae sanctae ecclesiae Christus deus noster semper et ubique conservare dignetur, sanctissime atque amantissime pater. Amen.

---

7. *Atto presbyter Ludovicum I imperatorem contra Frotwinum clericum implorat*[a 4].

Reclamatoria epistola.

814—840 In nomine domini nostri Iesu Christi. Hlodowigus magnus imperator.

Dominationi vestrae, domine mi, quod loqui non audeo, sed pro magna necessitate mea peto sanctitatem vestram. Ego Atto tam indignus presbiter et de nativitate mea servus vester

a. *ex S. Bonifatii epistolarum cod. Vindobonensi fol.* 71 *v.*

1. Erlebaldus abbas Augiensis 822—838. 2. In Reginberti monachi catalogo librorum Augiensium (Neugart episcop. Constant. I 547 sq.) varii a Tattone donati libri memorantur; et (ibid. p. 545) „De libris abbatis Erlebaldi (v. supra n. 1) Lectionarium unum ad legendum; Missale unum Gregorianum, quo publica missa canitur“. 3. Quo quidem contubernio Otgarium et Tattonem in aula Ludovici I imperatoris usos esse, me docuit Dümmler. De Otgario v. Annales Xantenses (Mon. Germ. SS. II 225) 825: „Otgerus capellanus dominicus“ et ep. 5 supra p. 321. De Tattone v. Visionem Wettini ap. Mabillon Acta SS. ord. Ben. saec. IV P. I 290:

Quintus adest Tatto . . . .
Nempe palatinus puer est translatus ad aulas.

4. Hanc epistolam signavit Serarius (Epistolae S. Bonifatii) n. 107, Würdtweinius n. 141, Gilesius n. 131.

sum. Modo peto sanctitatem vestram, ut dignetis consolationem vestram in me peccatorem impendere; quia non habeo refugium ullum, nisi ad vos et ubi tota gens refugium habet. 814—840

Frotwinus clericus habet eclesiam unam in comitatu Erkengario. Deinde ortavit me Frotwinus, cantare in illa[a] ecclesia; et super omnia habere debuissem medietatem de illa decima. In eo modo sic servivi ad illam ecclesiam annum et dimidium, quod nihil inde accepi, unde nos conventionem habuimus. Postea rogavi illum partem meam de illa decima. Et ille exarsit nimio furore in animo suo super me; et venit per nocte super me cum parentibus suis Albrico et Kebahardo et Wolframmo; sic flagellaverunt me, usque dum vix anima[b] dimiserunt in corpore meo. Ego miser miserrimus petivi Dei misericordiam et sanctum Remedium, et reclamavi per nomen vestrum. Et illi dixerunt, nec sancti nec homo ullus me liberare debuisset de manibus eorum. Postea traxerunt me ad altare sancti Remedi et fecerunt me iurare stabilitatem ad illa ecclesia. Et alium sacramentum fecerunt me iurare: ut non debuissem a diebus meis reclamare me ad vestram pietatem nec ad missum vestrum, si me fecissent iustitiam. Tunc petivi iustitiam meam ad illos, sed minime inveni. Modo timeo[c] in consecrationem meam, timeo, quod illi non timuerunt. Propter hoc deprecor sanctitatem vestram: ut iustitiam meam valeam pervenire. Quod non possum invenire nec iustitiam nec misericordiam apud illos, nisi per misericordiam vestram[d]; et pro redemptione animae patris vestri[1], cui servus antea fui.

---

8. *Gregorius IV papa Otgario archiepiscopo Moguntino de muneribus missis gratias agit. Quod petiisset, corpus sanctum nondum repertum esse nuntiat*[e 2].

Gregorius episcopus servus servorum Dei reverentissimo et sanctissimo Otgario archiepiscopo[f]. 827—844

a. illā *V.* b. *manus recentior corr. in* animam. c. timo *V.* d. vestram *in litura.* e. *ex S. Bonifatii epistolarum codice Vindobonensi fol. 75v. Sine lemmate.* f. Otgarii archiepiscopi *V.*

1. Caroli M. 2. Haec ep. ap. Serarium (Epistolae S. Bonifatii) notata est n. 116, ap. Würdtweinium n. 137, ap. Gilesium n. 127.

827—844 Quod nos tanto amore ac benignitate diligitis, plus hoc vestra sanctitas quam nostra merita faciunt. Quod tamen maxime muneribus directis agnovimus, pro quibus maximas vobis gratias agimus; quia totum erga sedis apostolicae praesulem, ut condecet, curatis inpendere, cuius nos vicissitudinem[a] Deo volente sanctitati vestrae supplere studemus. De corpore vero sancto, quod nobis humiliter vestra quaesivit prudentia, quod dirigere non habuimus, quoniam cuncta sanctorum corpora[b] praedecessores nostri nobiscum communiter detulerunt et unum quodque eorum ecclesiis noviter dedicatis summa veneratione condidimus. Proinde benivolentiam vestram praecamur, ut nobis spatium inquirendi diligentius praebeatis, quatenus corpus sanctum invenire valeamus ad vestram conplendum petitionem. Et si inventum fuerit, vestra nobis credere dignetur industria, statim, quod petistis, perficiemus. Modo vero illud non misimus, quia inquirentes nequaquam invenire valuimus.

---

9. *Liutpertus archiepiscopus Moguntinus Ludovicum II Germanicum regem hortatur, ut una cum Carolo II Calvo rege pacem ecclesiae restituat*[c] [1].

864 Domino piissimo et amantissimo atque in fide catholica florentissimo regi Ludovico[2] Liutpertus archiepiscopus, sanctae Dei ecclesiae vernaculus, praesentem et perpetuam in Domino salutem.

Tacendi vel deliberandi inducias non habeo. Neque enim silere me causa permittit. Quam si relinquo, apud dominum nostrum Iesum Christum, cuius interest, inexcusabilis ero et vobis promissam humanitus fidem temerasse convincar[d]; qui, in specula qua constitutus sum videns periculum nobis[e] imminens, desidiosa vel infideli taciturnitate dissimulem et ecclesiae Dei, cuius indignus curam pastoralem ac solicitudinem suscepi, ne-

a. dicessitudinem *V.* b. corpara *V.* c. *Edidit Flacius, Catalogi testium veritatis, Lugduni* 1597, *II* 139. d. convincor *ed.* e. vobis *ed.*

1. De hac epistola cf. Dümmler Gesch. des ostfränk. Reichs I 521 n. 22. 2. II Germanico.

gligens effectus, mercenarius potius esse videar quam pastor[1]. 864
Quatitur namque graviter et dehonestatur primatus et dignitas eius in sede sancti Petri, eo quod inaudita quadam et occulta persecutione non ab infidelibus et Dominum nescientibus, sed ab eis — quod dolendum et plangendum est — qui duces et rectores populi Dei esse debuerunt[2], iniuriis appetitur, humana divinis praeferre conantibus. Et necesse est, dolorem, qui constat in capite, nisi salubris et velox medicina succurrat, paulatim per membra diffundi. Igitur, quamvis noverim, prudentiam vestram humanis admonitionibus non egere, quae sincerissimam de gratia Spiritus sancti hausit doctrinam, mei tamen officii est: et acta patefacere et agenda demonstrare. Scitis periculum populi Dei, quod terribiliter imminet. Neque latere vos potest, quod ubique auditum ipsa quoque, ut dicam, elementa tremiscunt, ut rectores, qui saluti infirmorum studere debuerant, relicto salutis tramite, eunt in praeceps et sequentibus se foveam perditionis aperiunt.

Unde prudentiam vestram, veritatis et iustitiae amatricem, exhortor: ut secundum datam vobis divinitus sapientiam cum scientibus legem Dei et iustitiam eius diligentibus tractare studeatis, quomodo, remotis dissensionum scandalis, quae zizaniorum sator subdola machinatione spargere nititur, pax ecclesiis et unitas optata reddatur; et celeriter vigilantiae protectus[a] adhibeatur, ne vulneribus locum praebeat incauta securitas. Neque enim totum adhuc corpus ecclesiae laesum est, quamquam, capite iniuriis pulsato, membra quaedam debilitata esse videantur[b]. Et ideo, cum illis, quae sana esse constiterit, infirmantibus, si forte medicinam suscipere patiuntur, succurrendum erit. Alioquin amputanda erunt secundum veri medici nostri praeceptum[3], ne totum corpus eat in perditionem.

Quapropter necessarium mihi videtur et utile: ut religiosus princeps Carolus[4] frater vester, legatis atque literis a vobis

a. profectus *ed.* b. videatur *ed.*

1. Ioh. 10, 12. 2. Guntharius Coloniensis et Teutgaudus Trevirensis archiepiscopi. 3. V. Marc. 9, 44. 4. II Calvus rex.

864 destinatis, super hoc negotio mature conveniatur; ut tam ipse quam sacerdotes regni eius, qui hactenus ab huiusmodi sordibus mundi sunt, vobis et vestris episcopis adiungantur eandemque curam et solicitudinem vobiscum participent; quatenus, posteaquam cum auxilio Dei prospere et pacifice de itinere, quo ire disponitis[1], reversi fueritis, pari consensu et communi studio pacem et concordiam sanctae catholicae et apostolicae ecclesiae orthodoxis dogmatibus, adiuvante Domino, reformetis.

---

10. *Otfridus monachus et presbyter Weissenburgensis Liutberto archiepiscopo Moguntino poema de euangeliis scriptum commendat*[a].

c. 865 Dignitatis culmine gratia divina praecelso Liutberto Mogontiacensis urbis archiepiscopo Otfridus, quamvis indignus tamen devotione monachus presbyterque exiguus, aeternae vitae gaudium optat semper in Christo.

Vestrae excellentissimae prudentiae praesentis libri stilum comprobare transmittens, in capite causam, qua illum dictare praesumpsi, primitus vobis enarrare curavi; ne ullorum fidelium mentes, si vilescet, vilitatis meae praesumptioni deputare procurent.

Dum rerum quondam sonus inutilium pulsaret aures quorundam probatissimorum virorum, eorumque sanctitatem laicorum cantus inquietaret obscenus, a quibusdam memoriae dignis fratribus rogatus[b], maximeque cuiusdam venerandae matronae verbis, nimium flagitantis, nomine Iudith: partem euangeliorum eis Theotisce conscriberem; ut aliquantulum huius cantus lectionis ludum secularium vocum deleret et, in euangeliorum propria lingua occupati dulcedine, sonum inutilium rerum noverint declinare. Petitioni quoque iungentes queremoniam: quod gentilium vates, ut Virgilius Lucanus Ovidius caeterique quam

a. *Ex Otfrids von Weissenburg Evangelienbuch ed. Kelle I 7—11.* b. sum *excidisse videtur.*

1. in Moraviam. V. Dümmler l. l. p. 528.

plurimi, suorum facta decorarent lingua nativa — quorum iam voluminum dictis fluctuare cognoscimus mundum — nostrae etiam sectae probatissimorum virorum facta laudabant, Iuvenci Aratoris Prudentii caeterorumque multorum, qui sua lingua dicta et miracula Christi decenter ornabant; nos vero, quamvis eadem fide eademque gratia iustructi divinorum verborum splendorem clarissimum proferre propria lingua, dicebant pigrescere. Hoc dum eorum caritati importune mihi instanti negare nequivi, feci, non quasi peritus sed fraterna petitione coactus. c. 865

Scripsi namque, eorum precum suffultus iuvamine, euangeliorum partem Franzisce compositam, interdum spiritalia moraliaque verba permiscens; ut, qui in illis alienae linguae difficultatem horrescit, hic propria lingua cognoscat sanctissima verba; Deique legem sua lingua intellegens, inde se vel parum quid deviare, mente propria pertimescat. Scripsi itaque in primis et in ultimis huius libri partibus, inter quatuor euangelistas incedens medius, ut modo quid iste quidve alius caeterique scriberent, inter illos ordinatim, prout potui, penitus pene dictavi. In medio vero, ne graviter forte pro superfluitate verborum ferrent legentes, multa et parabularum Christi et miraculorum eiusque doctrinae, quamvis iam fessus, ob necessitatem tamen praedictam pretermisi invitus; et non iam ordinatim ut caeperam procuravi dictare, sed qualiter meae parvae occurrerunt memoriae.

Volumen namque istud in quinque libros distinxi. Quorum primus nativitatem Christi memorat; finem facit baptismo doctrinaque Iohannis. Secundus, iam accersitis eius discipulis, refert, quomodo se et quibusdam signis et doctrina sua praeclara mundo innotuit. Tertius signorum claritudinem et doctrinam ad Iudeos aliquantulum narrat. Quartus iam qualiter, suae passioni propinquans, pro nobis mortem sponte pertulerit dicit. Quintus eius resurrectionem, cum discipulis suam postea conlocutionem, ascensionem et diem iudicii memorat. Hos ut dixi in quinque, quamvis euangeliorum libri quatuor sint, ideo distinxi, quia eorum quadrata aequalitas sancta nostrorum quin-

c. 865 que sensuum inaequalitatem ornat, et superflua in nobis quaeque non solum actuum verum etiam cogitationum vertunt in elevationem caelestium. Quicquid visu olfactu tactu gustu audituque delinquimus, in eorum lectionis memoria pravitatem ipsam purgamus. Visus obscuretur inutilis, inluminatus euangelicis verbis; auditus pravus non sit cordi nostro obnoxius; olfactus et gustus sese a pravitate constringant Christique dulcedine iungant; cordisque praecordia lectiones has Theotisce conscriptas semper memoria tangent.

Huius enim linguae barbaries, ut est inculta et indisciplinabilis atque insueta capi regulari freno grammaticae artis, sic etiam in multis dictis scripto est propter literarum aut congeriem aut incognitam sonoritatem difficilis. Nam interdum tria *u u u*, ut puto, quaerit in sono, priores duo consonantes, ut mihi videtur, tertium vocali sono manente. Interdum vero nec *a*, nec *e*, nec *i*, nec *u* vocalium sonos praecavere potui; ibi *y* Grecum mihi videbatur ascribi. Et etiam hoc elementum lingua haec horrescit interdum, nulli se caracteri aliquotiens in quodam sono nisi difficile iungens. *K* et *z* sepius haec lingua extra usum Latinitatis utitur, quae grammatici inter litteras dicunt esse superfluas; ob stridorem autem interdum dentium, ut puto, in hac lingua *z* utuntur, *k* autem ob fautium sonoritatem. Patitur quoque metaplasmi figuram nimium, non tamen assidue, quam doctores grammaticae artis vocant sinalipham. Et hoc nisi legentes praevideant rationis, dicta deformius sonant; literas interdum scriptione servantes, interdum vero Ebraicae linguae more vitantes, quibus ipsas litteras ratione sinaliphae in lineis, ut quidam dicunt, penitus amittere et transilire moris habetur; non quo series scriptionis huius metrica sit subtilitate constricta, sed schema omoeoteleuton assidue quaerit. Aptam enim in hac lectione et priori decentem et consimilem quaerunt verba in fine sonoritatem. Et non tantum per hanc inter duas vocales sed etiam inter alias literas saepissime patitur conlisionem sinaliphae; et hoc nisi fiat, extensio sepius literarum inepte sonat dicta verborum. Quod in

communi quoque nostra locutione, si sollerter intendimus, nos agere nimium, invenimus. Quaerit enim linguae huius ornatus et a legentibus: sinaliphae lenam et conlisionem lubricam praecavere, et a dictantibus: omoeoteleuton, id est consimilem verborum terminationem, observare. Sensus enim hic interdum ultra duo vel tres versus vel etiam quattuor in lectione debet esse suspensus, ut legentibus, quod lectio signat, apertior fiat. Hic sepius *i* et *o* ceteraeque similiter cum illo[1] vocales simul inveniuntur inscriptae, interdum in sono divisae vocales manentes, interdum coniunctae, priore transeunte in consonantium potestatem. c. 865

Duo etiam negativi, dum in Latinitate rationis dicta confirmant, in huius linguae usu pene assidue negant. Et quamvis hoc interdum praecavere valerem, ob usum tamen cotidianum, ut morum se locutio praebuit, dictare curavi. Huius enim linguae proprietas nec numerum nec genera me conservare sinebat. Interdum enim masculinum Latinae linguae in hac feminino protuli; et cetera genera necessarie simili modo permiscui. Numerum pluralem singulari, singularem plurali variavi; et tali modo in barbarismum et soloecismum sepius coactus incidi.

Horum supra scriptorum omnium vitiorum exempla de hoc libro Theotisce ponerem, nisi inrisionem legentium devitarem; nam dum agrestis linguae inculta verba inseruntur Latinitatis planitiae, chachinnum legentibus prebent. Lingua enim haec velut agrestis habetur, dum a propriis nec scriptura nec arte aliqua ullis est temporibus expolita; quippe qui nec historias suorum antecessorum, ut multae gentes caeterae, commendant memoriae nec eorum gesta vel vitam ornant dignitatis amore. Quod si raro contigit, aliarum gentium lingua, id est Latinorum vel Grecorum, potius explanant. Cavent aliarum, et deformitatem non verecundant suarum. Stupent in aliis vel litterula parva artem transgredi; et pene propria lingua vitium generat per singula verba. Res mira: tam magnos viros, prudentia deditos, cautela praecipuos, agilitate suffultos, sapientia latos, sanc-

1. cum „i“.

c. 865 titate praeclaros, cuncta haec in alineae linguae gloriam transferre et usum scripturae in propria lingua non habere.

Est tamen conveniens, ut qualicunque modo, sive corrupta seu lingua integrae artis, humanum genus auctorem omnium laudent, qui plectrum eis dederat linguae, verbum in eis suae laudis sonare; qui non verborum adulationem politorum sed quaerit in nobis pium cogitationis affectum, operumque pio labore congeriem non labrorum inanem servitiem.

Hunc igitur librum vestrae sagaci prudentiae probandum curavi transmittere et — quia a Rhabano venerandae memoriae, digno vestrae sedis quondam praesule, educata parum mea parvitas est — praesulatus vestrae dignitati sapientiaeque in vobis pari commendare curavi. Qui si sanctitatis vestrae placet optutibus, et non deiciendum iudicaverit, uti licenter fidelibus vestra auctoritas concedat; sin vero minus aptus parque meae neglegentiae paret, eadem veneranda sanctaque contempnet auctoritas. Utriusque enim facti causam arbitrio vestro decernendum mea parva commendat humilitas. Trinitas summa unitasque perfecta cunctorum vos utilitati multa tempora incolomem rectaque vita manentem conservare dignetur. Amen.

---

11. *Liutbertus archiepiscopus Moguntinus Adriano II papae de suis adversariis significat. Monet, ut viros duos, qui concedente eo monachas in matrimonium duxerint, ad expiationem cogat. Addit de Wicberti Superbi et filii Chuonradi iunioris factionibus*[a].

871 Domino Adriano sedis apostolicae praesuli infimus servo-
Apr. 30 rum Dei servus L(iutbertus) ecclesiae Magontiacensis episcopus[b].

Religiosissima dominatio vestra scire dignetur: quod, si quando iustitia dictante criminibus publicis et quae neglecta magnam vitiis possunt aedificationem conferre aliquantulum resistere et eis cum adiutorio coepiscoporum nostrorum finem vel modum imponere conamur, potentiores quilibet, parvitatem no-

a. *ex codd. Monac. et Vindob. ediderunt Dümmler Das Formelbuch des bischofs Salomo p.* 52, *Rockinger Quellen u. Erörterungen VII* 243, *Rozière Recueil des formules II* 663. b. vel Magontinae *addunt codd.*

stram spernentes, quasi fera bestia vitam nostram lacerare et omni auctoritate indignam — ut merito possunt — garrire consueverunt; adicientes insuper et comminantes, apud vos de nobis se vindicaturos et de gradu episcopali deposituros. Nobis autem, misericordissima Dei gratia custodiente nos, pro minimo est, ab humano die iudicari[1]. Sed quia servum Dei non oportet litigari[2], immo quia Dominus dicit, qui ecclesiam audire contempnit, pro ethnico habendum[3], verbosationes eorum revincere non invenientes, secundum potestatem nostram, quam dedit nobis Dominus in aedificationem et non in destructionem[4], segregamus eos de coetu fidelium; ne lapides, in quibus lepra perseverans est, si eruti non fuerint, totam faciant domum destrui et in loco immundo[a] iactari[5]. 871 Apr. 30

Spetialiter tamen sanctitati vestrae de illis duobus viris significamus, quam presumptores sint et prevaricatores, quos hoc anno[b] dominationem vestram adisse et vestra auctoritate licentiam accepisse non uxores sed meretrices suas habendi, certa relatione comperimus. Siquidem feminas ipsas beatissimae memoriae S(alomon)[6] Constantiensis episcopus sua manu ad propositum virginitatis consecravit et ipse eis velamina benedixit; et eo praesente regularem vitam professae sunt. Et tanto tempore in monasterio positas omnis Germania novit. Viros ergo tales indemnatos relinquere, fas et iura sinebant? Audacter dicimus sed non praesumptorie: quod virum illum, quem decessor vester, vir apostolici vigoris — iuxta nomen suum victor populorum — beatissimus Nicolaus[7], non pecuniae cupiditate sed omnimoda eius inlectus rationabilitate, post nostram legationem absolvit, evidentissime ultio divina perculerit; adeo ut filiam eius, quam de eadem muliere susceperat, subitanea mors et inopinata praeveniret, et eadem ipsius coniux, ab illo concilio multimodis infirmitatibus confecta, postera die fuerit extincta. Quodsi omnibus pravis hac incommodissima commodi-

a. mundo *codd.* b. hoc anno *scripsi pro* horno *codd.*

1. 1 Corinth. 4, 3: „Mihi autem pro minimo est, ut a vobis iudicer aut ab humano die“. 2. 2 Timoth. 2, 24. 3. Matth. 18, 17. 4. 2 Corinth. 10, 8. 5. Levit. 14, 40. 44. 45. 6. I. 7. I.

871 Apr. 30 tate conceditur uti, omnes monachi, omnes sanctimoniales, quotienscumque carnis titillatione stimulantur, propositum suum habent relinquere et ad laicam vitam reverti. Que consuetudo ne temporibus vestri regiminis insolescere possit, flagitamus dominationem vestram: ut epistolam, vestra auctoritate vigentem, pusillitati nostrae dirigere dignemini, quae iteratam ipsorum contineat obligationem, donec nobis congrua satisfactione reatum suum visi fuerint emendasse et coram ipsis, quibus decernentibus eos obligavimus, etiam absolvere debeamus.

De illis etiam factionibus, quae, Wicbertum cognomento Superbum et filium Chuonradi iunioris secutae, maximam in ecclesia ruinam fecerunt, notum sit vobis, quia eos excommunicavimus, donec poeniteri de miserabili illa coeperint strage. Hoc siquidem provincialibus nostris est solitum: ut, quotienscumque bellum contra paganos illis fuerit indictum, quidam Romam pergere quidam dominos suos in aliis regionibus invisere alii morbos etiam gestiant simulare, aut[a] in se mutua cede bachantes armaque sequentes impia gentilis etiam viri testimonio pabula ignis aeterni non vereantur fieri. Sanctissimam dominationem vestram diu valere, iugibus et devotissimis implorare non cessamus orationibus. Scripta est autem haec epistola pridie Kal. Maii anno ab incarnatione Domini 877[1] indictione 4.

Missum vos perquirite, quando a nobis abierit; ne qua fraus subripere possit. Valete.

---

12. *Liutbertus archiepiscopus Moguntinus Salomonem II episcopum Constantiensem ad synodum vocat*[b 2].

877—878 L(iutbertus) sanctae Magontiacensis ecclesiae praesul fratri et consacerdoti Sal(omoni)[3] in salvatore mundi salutes.

a. aut *scripsi pro* et *codd.* b. *Ediderunt Walter Corp. iur. Germ. III* 543 *Dümmler Das Formelbuch des bischofs Salomo p.* 44, *Rockinger in Quellen u. Erörterungen VII* 236, *Rozière Recueil des formules II* 646.

1. Epistolam hanc non a. 877 sed a. 871 scriptam esse, ex indictione 4 intelligimus. Cf. Dümmler Das Formelbuch des bisch. Salomo p. 147 squ.
2. Hanc epistolam spatio annorum 877 et 878 scriptam esse, probabili argumentatione docuit Dümmler Das Formelbuch des bischofs Salomo p. 135 sq.
3. II episcopo Constantiensi.

Dilectio tua novit, quod a recordatione iuventutis tuae, ut reor, numquam in nostra diocesi episcoporum concilium est habitum. Et idcirco puto quin potius metuo: quod in ecclesiis nostrae pusillitati commissis multa grandia et insanabilia tum propter suimet enormitatem tum etiam propter incuriae vel occupationis nostrae diuturnitatem adeo concreverint, ut aut vix aut certe nequaquam sine magna auctoritate et vigore corrigi valeant. Quapropter, ut dicta canonum praecipere nosti — ut non dicam, quod ad omnia meus semper fuisti — 2 Nonas Aprilis ad urbem Magontiam venire ne praeteromittas; ita paratus, ut quamdiucumque causarum necessitas exposcit, ibi manere pro habundantia sumptuum possis. Et quicumque aliquid gravioris negotii, quod supra vires tuas existimes, vel nunc vel antecessorum tuorum temporibus habuerunt, aut tecum pariter venire aut seorsum tibi occurrere in loco memorato praecipe; ut ibi omnis eorum controversia finiatur. Vale. 877—878

---

13. *Stephanus VI papa Liutberto archiepiscopo respondet de ferro candente et aqua fervente in iudicio non adhibendis ac de concilii Nicaeni capitulis*[a].

... Consuluisti etiam[b] de infantibus, qui, in uno lecto cum parentibus dormientes, mortui reperiuntur, utrum ferro candente an[c] aqua fervente seu alio quolibet examine parentes se purificare debeant, eos non oppressisse. Monendi namque sunt et protestandi parentes, ne tam tenellos secum in uno collocent lecto; ne negligentia qualibet proveniente suffocentur vel opprimantur, unde ipsi homicidii rei inveniantur. Nam ferri candentis vel aquae ferventis examinatione confessionem extorqueri a quolibet, sacri non censent canones; et quod sanctorum patrum documento sancitum non est, superstitiosa adinventione 886—889

a. *Duo responsi fragmenta reperiuntur. Alterum* (Consuluisti — nequibit) *in Ivonis Decr. X* 27 *cum hoc lemmate:* Stephanus Ludberto episcopo Mogontino *et in Gratiani Decr. P. II C. II qu.* 5 *c.* 20, *sic inscriptum:* Stephanus V Humberto episcopo Moguntino. *Alterum* (Capitula — concilio) *in Ivonis Decr. IV* 232 *cum hoc lemmate:* Stephanus Luythobio Moguntino episcopo, *et* (Viginti — esse inserta) *in Gratiani Decr. P. I D.* 16 *c.* 13 *cum hac inscriptione:* Stephanus papa Luythobio episcopo Moguntino.
b. *om. Gr.* c. aut *Gr.*

886—889 non est praesumendum. Spontanea enim confessione vel testium approbatione publicata delicta, habito prae oculis Dei timore, commissa sunt regimini nostro[a] iudicare; occulta vero et incognita illius[b] sunt iudicio[c] relinquenda, qui solus novit corda filiorum hominum[1]. Hi autem qui probantur vel confitentur talis reatus se noxios, tua eos castiget moderatio. Quia si ille[d], qui conceptum in utero per abortum deleverit, homicida est, quanto magis, qui unius saltem diei puerulum peremerit, homicidam se esse excusare nequibit . . .

. . . Capitula[e] Nicaeni concilii testimonio Athanasii septuaginta in figuram septuaginta discipulorum scripta non dubitamus, e quibus viginti tantum in ecclesia sancta Romana habentur, sed quo neglectu reliqua[f] defecerint ambignum est. Arbitrantur enim plurimi[g] ea Antiocheno inserta concilio[h] . . .

---

14. *Leo VII papa Fridericum archiepiscopum Moguntinum vicarium suum missumque totius Germaniae prodit. Permittit, ut Iudaeos, nisi Christi fidem suscipiant, civitatibus expellat; invitos vero baptizari vetat*[i] [2].

937—939 Leo episcopus servus servorum Dei reverentissimo et sanctissimo confratri nostro Friderico sanctae Mogonciensis aecclesiae archiepiscopo, diebus vitae tuae tantummodo.

Fraternitatis amore constringimur et apostolicae sedis moderamine convenimur, ut consultis fratrum, prout Dominus dederit, respondeamus eosque apostolicae sedis auctoritate[k] instruamus. Et quia dilectio tua exigit apostolicae sedis consulta, quae vobis denegare nec debemus nec possumus, eo quod et praedecessores nostros multarum regionum episcopis hoc egisse liquet, quod et nos, qui in eadem sede Domino largiente collocati[l] sumus, agere debere fraterna caritas compellit. Unde hanc sanc-

a. nostro *om. Ivo.* b. illi *Gr.* c. *om. Gr.* d. ille *om. Ivo.* e. capitula — dubitamus, e quibus *om. Gr.* f. alia *Gr.* g. Plurimi arbitrantur *Gr.* h. concilio esse inserta *Gr.* i. *ex epistolarum S. Bonifatii codice Carlsruhensi fol.* 111*v* — 112*v*. *Sine lemmate.* k. auctoritatis *C.* l. collati *cod.*

1. 3 Reg. 8, 39. 2. Signavit hanc epistolam Würdtweinius (Epistolae S. Bonifatii) n. 167, Gilesius n. 153.

tam catholicam et apostolicam, caput omnium aecclesiarum, Romanam scilicet aecclesiam, quae semper sanctorum patrum sincerissimas auctoritates in omnibus suis actibus sequitur, nostramque apostolicam sedem consulere voluistis, procul dubio quae agenda vobis sunt, inretractabiliter mandare curamus. 937—939

Igitur quia in vestris litteris nostrum apostolatum expetere voluistis, quatenus nostra auctoritate vicarius et missus nostrae apostolicae sedis totius Germaniae vos concedamus esse, et quod asseritis, quia prisci Mogontinae sedis metropolitani a nostra apostolica sede ex auctoritate beatissimi Petri apostolorum principis vicarii et missi apostolici totius Germaniae fieri meruerunt, scitote, nos diligenter in scrinio sanctae aecclesiae nostrae privilegiorum scedas, quae a praedecessoribus nostris, duobus videlicet Gregoriis, Zacharię et Stephani, ut asseritis, Bonifacio vestrae sedis antistiti apostolica roboratione esse concessa, sub diligenti[a] cura et vehementi sollicitudine investigari praecepimus, sed[b] unam scedam cum illa auctoritate tantum potuimus invenire. Unde qui totis praecordiis et humili supplicatione efflagitatis, ut nostra apostolica auctoritate praeceptum et licentiam vobis nostra concedat clementia, quatenus vice nostra sceleratos et pravae vitae homines habeatis potestatem corripere et ad viam veritatis vestris exhortationibus revocare, concedimus vobis vice nostra licentiam, eo quod vos huic sanctae sedi subiectionem et omnem fidelitatem exhibere promittitis. Ex auctoritate beati Petri apostolorum principis damus vobis potestatem, ut sitis noster vicarius et missus in cunctis regionibus totius Germaniae; ut ubicunque episcopos, presbiteros, diaconos vel monachos[c] contra canones et constituta sanctorum patrum sive contra aeclesiasticam regulam excessisse repperietis, apostolica auctoritate iuxta canones et instituta sanctorum patrum illos corrigere et ad viam veritatis reducere non omittatis.

De Iudaeis autem, unde vestra fraternitas nostram conquaesivit auctoritatem, utrum melius sit eos sacrae subiugare religioni, an de civitatibus vestris expellere, hoc vobis praeceptum

a. tiligenti *C.* b. sed *omnino paene detritum est.* c. monac̄ *C.*

937—939 mandamus, ut fidem sanctae Trinitatis et mysterium dominicae incarnationis cum omni sagacitate et prudenti consilio dei[a] cum reverentia illis praedicare non desistatis. Et si credere et baptizari toto corde voluerint, inmensis laudibus omnipotenti Domino referimus gratias. Si autem credere noluerint, de civitatibus vestris cum nostra auctoritate illos expellite; quia[b] non debemus cum inimicis Dei societatem habere, dicente apostolo: *Quae enim communicatio luci ad tenebras aut[c] que pars fideli cum infidele?*[1] Per virtutem autem et sine illorum voluntate atque peticione nolite eos baptizare; quia[d] scriptum est: *Nolite sanctum dare canibus et nolite mittere margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis*[2].

Caeterum fidem sanctae Trinitatis, quam Iudaeis et gentibus praedicatis, quam et ad sanctam Romanam aeclesiam, matrem videlicet vestram, approbandam misistis, ita integram inlibatamque creditis et tenetis, sicut apostoli eorumque successores nobis tradiderunt et sancta Romana aecclesia omnibus ubique gentibus praedicat.

---

15. *Gerhardus sacerdos Fritherico archiepiscopo Moguntino scribit de Iudaeis, de consecratione chrismatis, de ecclesiarum dedicatione, de iniquo sacerdotum statu, de mutabilitate fortunae. Hortatur, ut sibi subveniat*[e].

937—954 Domino totius reverentiae dignissimo Fritherico sanctae Mogontiacensis aecclesiae archiepiscopo Gerhardus, omnium peripsima sacerdotum.

Vestra iniungente clementia, haec paucula ex pluribus deflorata vestris obtutibus praesentanda et enucleatius exinternanda transmittimus. Ait enim Dionisius, Atheniensium episcopus divinissimus, in epistola ad Demophilum scripta[3]: *Non habemus*

a. dī *C.* b. qui *C.* c. ut *C.* d. quī *C.* e. *ex cod. quondam S. Iacobi Moguntino, hodie Guelferbytano* (83. 21 *Ms. Aug. fol.*) *membr. saec. X, f.* 161—169*v. Quem codicem Ludovicus Bethmann liberalissime huc misit.*

1. 2 Corinth. 6, 14. 15. 2. Matth. 7, 6. 3. sequitur magna pars epistolae octavae Dionysii Areopagitae (Opp. ed. Corderius, Venetiis 1755 T. I p. 607—609); cuius fragmenti initium exitumque tantum afferre satis habeo.

inquit *pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris; sed ipse innocens et misericors. Non erumpet neque clamabit; mitis enim est et propitiatio pro peccatis nostris. Quapropter non recipiemus, o Demofile, tuos zelantes impetus, etiamsi decies milies resumas Fineen et Heliam, cum audierimus illa, quae placebant et displicebant benigno Iesu a discipulis eius, qui fuerunt in carnis commoratione participes mansueti et benigni ipsius spiritus. Docere enim, non cruciare oportet ignorantes ...... et cum benignis ac humanis angelis esse.* 937—954

Iudaeorum perfidiam rationibus magis quam violentiis excutere, Gregorius decertabat. Quapropter Vigilio et Theodoro episcopis Galliarum post aliqua scribens ait[1]: *Plurimi Iudaicae religionis viri ... novae vitae perducat.* Item Victori episcopo Panormitano[2]: *Sicut Iudaeis non debet esse licentia, quicquid in synagogis suis, ultra quam permissum est lege, praesumere, ita in his, quae eis concessa sunt, nullum debent praeiuditium sustinere.* Quemadmodum[a] Iudaeos violenter baptizari Gregorius denegabat, ita christianos eis quoquo modo subici nullatenus permittebat. Unde Libertino praetori scribens ait[3]: *Fertur, quod Nasás ... subdita polluatur.* Item Venantio episcopo Lunensi[4]: *Multorum ad nos ... legum sanctione servetur.* Si quos christianorum pro longitudine itineris per provintias ab Ebreorum servitio per legalem violentiam Gregorius liberare non poterat, suis preciis redimendos esse censebat. Unde Candido presbytero per Gallias scribens[5]: *Dominicus* inquit *praesentium portitor ... rationibus imputatur.* Iudeorum mancipia semel confugientia ad aecclesiam numquam quibuslibet suasionibus red-

a. quem ammodum *C.*

1. S. Gregorii Registri L. I ep. 47 (Opp. ed. Bened. II p. 542, Regesta pontificum Rom. n. 751), ubi hortatur papa, ne Iudaei ad baptismum cogantur. 2. Reg. L. VIII ep. 25 (Opp. II p. 914, Regesta pont. Rom. n. 1146). 3. Reg. L. III ep. 38 (Opp. II p. 652, Regesta pont. Rom. n. 878), ubi Nasan puniri eiusque mancipia christiana in libertatem restitui iubet. 4. Reg. L. IV ep. 21 (Opp. II p. 699, Regesta pont. Rom. n. 928): ne Iudaeis mancipia christiana habere liceat. 5. Reg. L. VII ep. 24 (Opp. II p. 868, Reg. pont. Rom. 1102), de quatuor christianis Iudaeorum Narbonensium servis redimendis.

937—954 debat. Unde Ianuario Caralitano episcopo inter cetera scribens ait[1]: *Pervenit ad nos . . . omnibus defendatur.* Non solum christiana mancipia Gregorius in libertatem pristinam legaliter revocabat, verum etiam pagana ad fidem venire volentia vendi nullo modo permittebat. Unde Fortunato Neapolitano episcopo inter cetera scribens ait[2]: *Fraternitatem vestram . . . intelligitur reservasse.* Pagana mancipia Iudeos, videlicet dominos suos, ad fidem praecedentia, in eorum servitium, etiamsi ipsi ea ad christianitatem subsequebantur, nullo modo revocabat. Unde Iohanni Siracusano episcopo[3]: *Felix* inquit *praesentium portitor . . . legibus sustinere.* Circumcidi saltim paganorum neminem Gregorius permittebat. Quam ob rem Leoni Catanensi episcopo[4]: *Res* inquit *ad nos omnino . . . de legibus feriendi.* Item Gregorius papa Theoderico et Theodeberto regibus Francorum[5] et Brunehildae reginae: *Mirati sumus . . . nisi membra Christi;* et post pauca: *In hoc petimus . . . absolvatis. Christiana* inquit *mancipia, quae a Iudeis adducuntur vel possidentur, aut mandatoribus contradantur aut certe christianis emptoribus infra diem quadragesimum vendantur. Et transacto dierum numero, aput eos quolibet modo non remaneant. Si autem quaedam ex eisdem mancipiis talem aegritudinem fortassis incurrerint, infra statutos dies vendi non valeant, adhibenda est sollicitudo, ut saluti sint pristinae restituta. A Iudeorum vero conviviis etiam laicos constitutio nostra prohibuit, nec cum ullo clerico nostro panem comedat, si quis Iudeorum convivio fuerit inquinatus.* Capitula contra Iudeos magni Karoli invictissimi imperatoris caeterorumque regum cum consensu episcoporum[6]: *Ut*

1. Reg. L. IV ep. 9 (Opp. II p. 688—689, Regesta pont. Rom. n. 914): de Iudaeorum servis, qui ad ecclesias confugerint, in libertatem vindicandis. 2. Reg. L. VI ep. 32 (Opp. II p. 818, Regesta pont. Rom. n. 1043): mancipia tum Iudaica tum pagana, quae Christum sequi statuerint, in libertatem vidicanda esse. 3. Reg. L. VIII ep. 21 (Opp. II p. 910, Regesta pont. Rom. n. 1142). 4. Reg. L. VI ep. 33 (Opp. II p. 818, Regesta pont. Rom. n. 1044): servos paganos a Samaraeis circumcisos in libertatem vocet, nec pretium restituat. 5. Reg. L. IX ep. 110 (Opp. II p. 1018, Regesta pont. Rom. n. 1267). 6. sequitur concilii Meldensis anno 845 habiti canon 73 (Mansi coll. concil. XIV 836—837): „Ut erga — denegetur".

erga Iudeos .... deambulandi licentia denegetur. Hec de Iudeis sufficiant. 937—954

Dicit[1] libellus Romani ordinis de consecratione crismatis: *Continuo duo accoliti .... cotidie eam salutamus.*

De manus impositione ex aepistola Eusebii papae[2]: *Manus impositionis ... reputabitur sacramenta.* Item ex aepistola Melchiadis papae[3]: *De his vero, super quibus recitastis vos informari ... mundi huius reservandos;* item post pauca[4]: *De spiritu sancto accepimus ... et divina valeamus.*

Quod vero in dedicatione aecclesiae ab orientali angulo in occidentalem per quadrum in pavimento cum cambutta scribitur alfabetum, non a magno vacat misterio. Nam nulli dubium, sanctam aecclesiam Christi consistere sponsam, cuius a summo caelo egressio et caetera; et per quatuor angulos quatuor climata mundi manifestissime designari, quae ab angulari lapide, Christo videlicet Iesu domino nostro, qui est A et ω, undique complexa atque compacta, quadratam ac firmissimam contra omnia adversantia efficiunt materiam, secundum quod dictum est: *Haec est domus Domini firmiter aedificata, bene fundata est supra firmam petram.*

Haec tibi, sancte pater, pro tempore misimus. At si
His mage complaceat, dicere non pigeat.
Quamvis despectus, nec qui sim cures, heroe,
At tibi devotus omnimodis famulus;
Non ea, quae mihi sunt, ullis contingere saeclis,
Quem reor audire dicere vel legere.

Felices valete, pro nobis infelicibus orate; certissime scientes: in omnibus existentibus per prima secunda disponi secundum dignitatem, ab omnium ordinatissima et iustissima providentia distributam. Verum nunc sacerdotum sancta dispositio et principalis ordinatio non secundo vel tertio, sed ultimo abiec-

1. „Dicit — salutamus" excerpta sunt ex Amalarii de ecclesiasticis officiis L. I cap. 12 ap. Hittorpium De divinis officiis p. 120. 2. sequitur pars Pseudo-isidorianae epistolae Eusebii; v. Decretales Ps.-isid. ed. Hinschius p. 242. 3. sequitur pars Ps.-isidorianae epistolae Melchiadis; v. Decretales Ps.-isid. ed. Hinschius p. 245. 4. ibid. p. 246.

937—954 tissime ponitur loco. Haec in prudentissimo sacri pectoris vestri archivo recondentur et internatius effibrata, quae fuerint rata, serventur; caetera abiciantur.[1]

Zacharias papa universis episcopis .... maneat inconcussa. Bene valete.

Haec propter praedecessores vestros a sancta Romana aecclesia non ambigo promulgata. Verum de sacerdotali dispositione, quondam lucidissima, nunc autem nimis obfuscata, non adeo ab excellentia vestra parvi pendatur, sed pro posse et nosse elaboretur, ut pristino lumine decoretur. Si enim sacerdotum dispositio est illuminatrix, omnino decidet ex sacerdotali ordine et virtute, qui non est illuminator. Forsan dicitur: *Quomodo annuntiant populo divinas virtutes suam virtutem non cognoscentes? Quomodo divinos tradent spiritus neque, si est Spiritus sanctus, habitu et veritate credentes? Quomodo illuminant obscurati? Non est sacerdos, non est divinus; sed inimicus, dolosus, seductor suimet, illusor, lupus ovina pelle contectus.* Sed non haec laicis iustum corrigere. Quia nusquam iubet theologia, iniuste aliqua fieri iusta; sed unum quemque in suo ordine et amministratione, sicubi in eo quod debet erraverit, ab aeque potentibus corrigi et dirigi. Non oportet quemquam supra dignitatem temptare, quamvis convenientia videatur agere, secundum .A. Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Quid inordinatum Ozias faciebat Deo adolens[2], quid Saul immolans? Ozias propter proterviam lepra in facie percussus[3], Saul regno privatus. Et dicentibus: *In nomine tuo virtutes multas fecimus*[4], respondebitur: *Nescio vos; ite omnes operarii iniquitatis*[5]. Sacerdos, ut eloquia aiunt, explanator est divinarum iustificationum, angelus enim Domini omnipotentis est; ipso attestante: *Quodcunque ligaveris in terra, erit ligatum in coelo, et quodcunque solveris in terra, erit solutum in coelo*[6]. Unde, Deo tradente, sacrorum legislatores ornatuum statutis et inconfusis

1. Sequitur S. Bonifatii et Lulli ep. 52 supra p. 152—154. 2. 2 Paralip. 26, 18. 3. 2 Paralip. 26, 21. 4. Matth. 7, 22. 5. V. Luc. 13, 27. 6. Matth. 16, 19.

ordinibus et distributionibus sacram ordinaverunt ierarchiam. 937—954
Nam et sacerdotes, templum inlicitis violantes, non ab alio quam ab ipso Domino, flagello de funiculis facto, eiciebantur[1].

Nunc vero non solum a laicis sed a quibusque, infamia pro sceleribus publice notatis, incriminantur, damnantur, custodiae traduntur ac postremo, omnibus rebus privatis et publicis denudati, exagitantur.

Sed non mirum, vera dicere Christum: *Non est servus maior domino suo; si me persecuti sunt, et vos persequentur*[2]. Multifariam enim in agiographis et theologicis expressum est de his[a], qualiter iam superne nostra consimilata et unita constat ierarchia. Vera est siquidem iuxta legem ierarchia, Oziam, quia sacris usus est, Chore[3], quia supra se sacris, Nadap et Abiud[4], quia propriis profane abusi sunt, subvertens.

Et iam lassatum tempus deponere stilum.
Pectoris haec antro placeat concludere sacro:
Non manet in rebus hominum sublime vel altum,
Quod cito non valeat fallens fortuna movere.
Te Pater et Natus servet cum Pneumate Christus
Et post hanc vitam tribuat sine fine beatam.
Et memor esse velis: quid sis, quid rite voceris;
Tempore non longo fumeum subsistere saeclum.
Terrenum imperium citius quia dispertiendum[b],
Qualis sit, rogito, semper fortuna memento,
Atque mei causam tuimet sperato futuram.
Non minas dicto. Tuimet reminiscere, posco,
Et fortuna ridens quantis subrepsit herois;
Promittens alta, subito deiecit in ima.
Non credas vanum totiesque recurrere versum;
Saepius haec relegens iterum iterumque monebo[c]:
Non modo fortunam nulli subsistere fidam,
Sed despecta Deo, quae sunt placidissima mundo.

a. deltis *C.* b. disperdendum *C.* c. *sequitur in cod. iterum versus hic:* Non credas vanum totiesque recurrere versum.

1. Ioh. 2, 15. 2. Ioh. 15, 20. 3. V. Num. 16. 4. V. Num. 3, 4.

937—954 Haec, crocitans[a] rogo, sancte pater, reminiscere semper:
Quid sis, quid valeas, quantis subsistere saeclis,
Et rota fortunae citius quam volvitur atrae.
Non mage croxemus, linguam sermone premamus;
Nam Domini auxilium non fas dubitare futurum.
Sed tamen haec olim forsan meminisse iuvabit.
Quid mage clamabo, quid verba per aera iacto?
Quod nostrum est hodie, cras erit alterius.

Felices valete; pro nobis infelicibus orate. Et non obliviscatur, quia, quid superventura pariat dies, nescitur. Sed et Pauli non pigeat reminisci. Subvenite oppresso[1]. Et in die tremendi examinis quid Domino venienti atque dicenti: *Et non visitastis me*[2], sit respondendum, summopere adtendendum.

Valeat dominatio vestra per multa annorum curricula, aliquod solatium parvitati nostrae inpendendo, si non factis, saltem vel dictis. Amen.

Ut mihi membranulas quasdam, pater optime, mittas,
Omnimodis rogito[b]; quia sunt pro munere magno.

---

16. *Frithuricus archiepiscopus Moguntinus cum aliis episcopis in synodo de precationibus et de cura egentium statuit*[c3].

950—954 Disponente divina gratia venerabiles episcopi Frithuricus archiepiscopus, Anno episcopus[4], Uodo[5] episcopus de negotiis tractare synodalibus Mogontiam convenerunt, interque cetera, quae per plurima salubri ordinatione de statu sanctae ecclesiae communiter decreverunt, hoc nunc et in posterum summa curae diligentia observari statuerunt, quatinus singuli presbiteri, extra monasteria ecclesias populumque procurantes, omni anno a synodo ante pasca habita usque eam, quae post festivitatem sancti Remigii confessoris Christi colenda esse dinoscitur, 40 missas, et totidem deinde usque ad pasca hoc ordine celebrarent: 10

a. crotitans *C.* b. regito *C.* c. *ex tabularii Monacensis cod. Frising. membr. saec. X fol.* 3v — 4. *Edidit Pertz, Mon. Germ. Leg. II* 2, 159.

1. Isai. 1, 17. 2. Matth. 25, 43. 3. Synodus haec aptissime epistolis inserenda videbatur. 4. Wormatiensis, 950 — 978. 5. III Argentinensis, 950 — 965.

pro statu ac incolomitate domni papae omnisque gradus ecclesiastici; ac postea 10 pro sospitate regis nostri, cunctorum etiam regni sui primatum; tum totidem pro salute vivorum totiusque ecclesiae necessitate; et 10 pro fidelibus defunctis. Insuper vero universi presbiteri, diaconi, subdiaconi non minus, quam ab adventu Domini — ex eo videlicet die quo canitur: *Ad te levavi* — usque ad nativitatem eius a carne se abstineant; admoneaturque universa pleps catholica, quo castitate servata — sicut in quadragesima ante pascha — alterutrum confiteantur peccata secundum apostolum dicentem: *Confitemini alterutrum peccata vestra*[1]; et sancto die nativitatis Christi, sicut in cena Domini et in parasceue et sabbato sancto in dieque resurrectionis, communicet. Preter haec unus quisque presbiter in tempore quadragesimali, similiter ut in predicto, tres missas cottidie celebrare minime dimittat; unam ad eundem diem pertinentem, aliam pro salute vivorum, tertiam pro fidelibus defunctis; prius tamen septem psalmis penitentialibus cum letania decantatis. Neque aliqua occasione dimittatur, quin his singulis diebus quinquaginta psalmi, si plus non possit, compleantur, quoniam, ut scriptum est, multum valet deprecatio iusti assidua[2]. Prelata siquidem devotio precaminum elęmosinarum caritativa dispensatione ornetur ita: ut eorum quisque iuxta facultatis qualitatem pauperes pascat, si plures nequeat, tres; cui autem possibilitas hoc agere denegaverit, duos vel saltim unum pascere curet. Quia sicut aqua extinguit ignem, ita elemosina extinguit peccatum. 950—954

---

17. *Agapitus II papa Willihelmum archiepiscopum Moguntinum sedis apostolicae in Germania Galliaque vicarium constituit*[a 3].

Agapitus servus servorum Dei reverentissimo fratri et coepiscopo Willihelmo Mogontinae sedis archiepiscopo totius caritatis exhibitionem in Christo. 955

a. *ex epistolarum S. Bonifatii codice Carlsruhensi fol.* 112*v*—113*v*. *Sine lemmate.*
1. Iacob. 5, 16. 2. Iacob. 5, 16. 3. Würdtweinius hanc epistolam (Epistolae S. Bonifatii) notavit n. 168, Gilesius n. 154.

955 Fraternitatis amore acti fideque antiquiorum circumcincti, ea vobis sanctaeque Mogontinae aecclesiae, cui praeestis, denegare ignoramus, propter quae vestros nuntios ad sanctam sedem principis apostolorum et ad nostram apostolicam dignitatem missos cognoscimus et quae nostri antecessores vestris antecessoribus denegare ignorarunt. Scimus vero vestris litteris intimantibus: sancto Bonifacio vestro antecessori a Gregorio secundo, Gregorio tertio, nec non Zacharia nostris antecessoribus[a] nostro utique praedecessore, nec non praecessore nostro Marino[1] Friderico nostro confratri, vestro praecessori, collatum, ut in partibus totius Germaniae Galliaeque provisor sanctae Mogontinae sedis vicarius missusque apostolici teneretur; ita ut, si quos invenisset viros a recto tramite iustitiae deviantes, cuiuscumque essent personae, ad se vocare, ubi loci vellet, monere, corrigere, synodumque constituere ubi vellet, potestatem apostolici haberet. Inde, quia vos fidem subiectionemque et caetera, qualia omnes sanctae Mogontine sedis priores provisores fassi sunt, fatemini, eandem vobis potestatem concedimus, quam priores nostri viri apostolici vestris prioribus concesserunt; quatinus vice nostra sceleratos et pravae vitae homines habeatis potestatem corripere et ad viam veritatis vestris exortationibus revocare et ut sitis noster vicarius missus in partibus Germaniae Galliaeque: ut, ubicumque episcopos presbiteros diaconos vel monachos etiam cuiuscumque personae homines contra canones et constituta sanctorum patrum sive contra aeclesiasticam regulam excessisse reperietis, apostolica auctoritate iuxta canones et instituta sanctorum patrum illos corrigere et ad viam veritatis reducere non omittatis. Synodum etiam vobis provisori metropolitano Mogontinae sedis constituere, ubi placeat, concedimus partibus Germaniae Galliaeque sine alicuius contradictione personae. Si quis vero, quod absit, vobis vicario apostolici velit aliquo contradicere, vos apostolicam sedem appellando, sciat, nisi ante nos terminetur tempore a vobis constituto, illum apostolica benedictione privari et anathematis vinculo religari.

1. II 942—946.

a. et Stephano *excidisse videtur*.

Sanctae etiam Mogontinae sedi privilegium conscribimus: 955
ut, si quis eam cuiusque sit personae aliquo (h)on(o)re hu(c) habito velit depredari, ipse depredetur et, nisi resipiscat, aeterno vinculo anathematis apostolica maiestate circumalligato, cui potestas data est ligandi atque solvendi, mancipetur et in die omnium proditore, iudicii dico, inde reddet rationem.

---

18. *Willihelmus archiepiscopus Moguntinus Agapito II papae de externis internisque Germaniae difficultatibus significat, et de ecclesiae Moguntinae iniuriis gravissime queritur*[a 1].

Domino apostolicae sublimitatis culmine dignato, summo 955
post caput Christum totius christianitatis membro, papae Agapito, merito ac nomine fulgenti, Willihelmus sanctae Mogontinae sedis minister indignus, eius dono Galliae partium Germaniaeque a se secundus, orationis fidei subiectionisque securitatem, in illo autem, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia[2].

Postquam dignati fuistis, vestram liquere paternitatem apud nos[3], quantas afflictionum iniurias perpessi sumus, vos ignorare haud dubitamus; presertim, illo exterorum[4] evitato, internorum tali ingruente periculo: ut, etiamsi conatus essem, vel me vel mei nuntium vobis presentare causa consulendi quid agendum esset, obliviscerer. Non utique inde, ut vestrae sanctitatis oblivionem umquam caperem. Sed, si hac oblitus fuero, quae me pallei vicariciique Galliae partium Germaniaeque, aecclesiamque sancti Martini iterum prius data dote, cui minister assum, ditavit, obliviscatur me dextera mea[5].

Barbarorum[6] videlicet gentibus christianitatem ita inprimentibus, ut, nisi bello actae[b], Deo scilicet preliante, vel omnes nos suae subicerent potestati vel ita ad nihilum redigerent: ut,

a. *ex epistolarum S. Bonifatii codice Carlsruhensi, fol.* 114—115 *v. Sine lemmate.*
b. essent *excidisse videtur.*

1. Hanc ep. Würdtweinius (Epistolae S. Bonifatii) signavit n. 169b, Gilesius n. 155. 2. V. Rom. 11, 36. 3. Willihelmo sedis apostolicae vicario constituendo. V. ep. 17 supra p. 345. 4. Ungarorum die 10 m. Augusti victorum. 5. Ps. 136, 5: „Si oblitus fuero tui, Ierusalem, oblivioni detur dextera mea“. 6. V. supra n. 3.

955 quantum temporis quis nostrum presentem vitam degeret, istud presens tempus semper congemisceret.

Fratrum vero, christianitatis nomine utentium, his partibus degentium[a] ineffabili et numquam sine lacrimis dicenda crassante discordia illa, in qua pater filio, patri filius, frater fratri — non plus Cain Abel insidiatus est — ac quisque affinis affini insidiatur; omnis ordo omnisque cognatio detestatur.

Non est regi[1] locus regendi. Episcopis suum subtrahitur privilegium; qui — quasi pupillae Domini — angariantur, exterminantur, excaecantur, sicut ille sanctae Iuvavensis[b] aeclesiae archiepiscopus Heroldus. Qui Kalendis Ma.[c] captus a patruo nostro Heinrico, duce Baioriorum[2], sine aliquo accusatore canonico exoculatus et in exilium[d] apud Seponam urbem religatus est. Eius vero parroechia — res dico aeclesiasticas, insuper et sedem suam — vassallis prefati ducis distributa esse dinoscitur, et a proprio tutore huc usque privatur. Non personam[3], sed factum accuso. Dux comesque episcopi, episcopus ducis comitisque sibi operam vindicat.

Non est aeclesia, quin aliquo laesa sit. Modo nostram — quae ita a vestris nostrisque antecessoribus[4] et iam predecessoribus et numero et limite est determinata, ut, si[e] quis augere[f] velit, non egeat, si minuere, minus iusto esse videatur — ledere moliuntur. Culpam iustitia pretendentes, aiunt, id fieri causa propagandae christianitatis. Sed miror, quae conventio Christi sit ad Belial[5], quid predae ad elemosinam, quid maledictionis ad benedictionem. Huc accedit vestrae auctoritatis subscriptio[6], quae sanctae Mogontinae aecclesie michique tale privilegium instituit: *ut, si quis eam aliquo honore huc habito velit depredari, ipse depredetur et, nisi resipiscat, aeterno vinculo anathematis*[g] *apostolica magestate circumalligato, cui potestas data*

a. *sic est in cod. correctum* degentib;. b. Iuvavonsis *C.* c. Mā *C. Non patet, utrum* Martii *an* Maii *legendum sit.* d. *sic est in cod. correctum* auxilium. e. si *addidi.* f. angeret *C.* g. aeterno — anathematis *om. C.*

1. Ottoni I. 2. Heinrico I, filio Heinrici I regis, fratre Ottonis I; qui dux obiit die 1 Nov. 955. 3. Heinricum ducem. 4. praeceptoribus. 5. 2 Corinth. 6, 15. 6. V. supra ep. 17 p. 347.

est ligandi atque solvendi, mancipetur et in die omnium proditore, iudicii dico, inde reddat rationem. Tum quod monachi Magadaeburgensis coenobii eodem privilegio a vobis vestrisque antecessoribus sunt adminiculati; tum quod minorationem nostrae sedis translationemque Halberestetensis aeclesiae me vivo non consentiam. 955

Siquidem quis[1] a falsis prophetis — Romam veniens in vestimentis ovium, intrinsecus autem rapax lupus[2], auro gemmisque farcitus — inde rediens, iactatur: se domi ferre nescio cuius munere tot pallia, quot velit, empta centum[a] libris — quod absonum mihi a vestra apostolica maiestate posse fieri videtur — ferens apostolicas aepistolas, habentes: apostolica maiestate licitum fore regi, episcopia ita ordinare, quo sibi placeat. Me inscio, non id idoneum rebar; me dico, qui prius, Germaniae Galliaeque alter iuxta christianitatem a vobis, si quid corrigendi esset, corrigere debuerim, ego a nemine nisi a vobis pulsari.

Hanc quippe nostrae aecclesiae predam si ita stabiliri vos libeat, prius mittentur aepistolae domno nostro regi, mihique vestri misericordia vestro vicario, Brunonique[3] sanctae Coloniensis aeclesiae archiepiscopo, sanctaeque Treverensis aecclesiae Ruodberto archiepiscopo: loco quo vobis placeat — mihi carissimum Mogontiae — concilium sanctorum fratrum aggregetur. Primo inibi de statu sanctae aeclesiae, de episcopis excaecatis et a sedibus suis reiectis: de caeco Heroldo, et de Rathario, Leodicensi aeclesiae canonice et legaliter intronizato moxque more villici sine causa eiecto, caeterisque loliis triticum sanctae aeclesiae suffocantibus causa agetur. Post, vos adiens, vestram appellans apostolicam dignitatem, mittar ad exteras nationes causa predicationis, si nostris non sim necessarius. Et id malo, quam videre mala nostrae aeclesiae et sanctorum; sin alioquin

a. .c. *C.*

1. Hadamarus abbas Fuldensis. 2. Matth. 7, 15: „Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces“. 3. I.

955 plus valeat intercessio pecuniae Hadamari, quam pia constitutio sancti Bonifacii, nostri predecessoris, vestrorumque predecessorum nec non antecessorum etiam nostrorum, et sint tot pallia quot episcopi; sed id, non me presule fidem subiectionemque vobis prebente.

---

19. *Iohannes XII papa Willihelmo archiepiscopo Moguntino significat, eius ad Agapitum litteras sibi redditas esse. Miserias eius dolet eumque ad oppugnandos contumaces hortatur* [a] [1].

955 ex. ☧ Iohannes episcopus servus servorum Dei reverentissimo et carissimo confratri Willihelmo archiepiscopo sanctae Mogontiacensis aecclesiae.

Litteras, quas sanctae memoriae Agapito papae vestra destinavit fraternitas, suscepisse cognoscite, quem divina omnia disponens potentia in apostolicam sedem eo moriente ordinavit, non nostris meritis sed eius misericordia nos praeveniente, a quo sunt cuncta quae sunt; quia nihil in orbe agi credimus, nisi quod aut velle aut consensu eius factum fuerit. Miseriarum quippe atque afflictionum iacturas malorumque insidias hominum, qui sanctarum Dei aecclesiarum et omnem perturbant ordinem atque statum, condoluisse; sicut apostolica censura decrevit: *gaudere cum gaudentibus et cum flentibus flere* [2]. Totius namque christianitatis post Deum caput effecti, non aliquo privilegio humano sed voce ipsius Domini beato Petro apostolo, sicut bene nostis, dicentis: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo aeclesiam meam* [3] et caetera, idcirco si aliquod nostri corporis membrum tribulationes aut molestias pati iniuste noverimus, sive [b] litteris sive alio quolibet modo compatimur et dolore gra . . . ıuamur [c] et, quibus possumus una vobiscum conatibus, illorum insidiis atque iniquitatibus apostolica auctoritate

a. *ex codice Carlsruhensi epistolarum S. Bonifatii fol.* 113 *v* —114. *Sine lemmate.* b. sine *C.* c. *an* gravi tribulamur?

1. Würdtweinius (Epistolae S. Bonifatii) hanc epistolam signavit n. 169, Gilesius n. 156. 2. Rom. 12, 15. 3. Matth. 16, 18.

obviamus. Hortamur interim fraternitatem vestram, ut contra eos, qui contumaces et inique vivere volunt et aecclesias Dei devastare satagunt nostrisque piis praeceptis et vestris monitis obedire noluerint, omni virtute resistere curemini; et ad pacis atque veritatis et iusticiae viam deducatis, ne, crassante illorum malicia, reos apud iustum iudicem inveniamus. Quos vero in malis actibus permanere cognoscitis et minime reflecti iussionibus vestris voluerint, ad hanc nostram apostolicam sedem, sicut antiqua consuetudo fuit, dirigite, et cum eis vestros credulos fideles, qui nobis illorum causas et omnia, quae in Galliarum atque Germaniae partibus aguntur, fideliter atque ordinabiliter intimate; quoniam hoc nobis cordi[a] est et magno cupimus desiderio, ut aecclesiis omnibus et cuncto christiano populo pax et honor unicuique proprius maneat, et malorum omnium vestigia, si qua hactenus fuerant, funditus removeantur. 955 ex.

---

20. *Gregorius V papa Willigisum archiepiscopum Moguntinum, vicarium suum, de decretis synodi Papiensis certiorem facit*[b].

Gregorius servus servorum Dei dilecto confratri Will(igiso) archiepiscopo et vicario nostro salutem et apostolicam benedictionem. 997

Decreta enim synodi Papiensis, quibus ego licet indignus subscripsi, et una mecum archiepiscopus Ravennas nec non archiepiscopus Mediolanensis cum aliis confratribus, queso ducite ad memoriam, et ut haec ad profectum veniant, auxilii operam inpendite.

Placuit sanctae synodo, ut omnes episcopi occidentales, qui in depositione Arnolfi archiepiscopi[1] fuerunt et, certis induciis vocati, Papiensem sinodum spreverunt et inconvenientes causas ad confundendam synodum per laicalem personam miserunt, ab episcopi officio suspendantur. Adelbero Lodunensis episcopus, qui etiam metropolitanum suum[2] apprehendit et tradidit, ab

a. cor.. *C.* b. *ex cod. quondam S. Iacobi Moguntino, hodie Guelferbytano* (83. 21 *Ms. Aug. fol.*) *membr. saec. X, f.* 169 *v* —170. *Ediderunt hanc epistolam Wasserschleben Beiträge* 189, *Höfler die deutschen Päpste I* 318, *Pertz, Mon. Germ. SS. III* 694.

1. archiepiscopi Remensis. 2. Arnulfum Remensem.

997 episcopi officio suspendatur. Auctoritate Iulii papae sancitum est, qui etiam orientales episcopos, ad sinodum venire spernentes, depositionis reos iudicavit; illos vero, absque apostolica auctoritate depositos, innocentes remanere. Decretum est etiam, ut rex[1] Robbertus, qui consanguineam suam[2] contra interdictionem apostolicam in coniugium duxit, ad satisfactionem convocetur cum episcopis, his nuptiis incestis consentientibus. Si autem renuerint, communione priventur. Item sancta synodus sancivit: ut Neappolitanus invasor, qui illius loci archiepiscopum apprehendere fecit et se in eundem locum per symoniacam heresim constitui fecit, nisi satisfaciat, anathematizetur.

Constituit[a] etiam: ut, si quis episcopus presbiter aut diaconus aut clericus, papa incolume, et eo inconsulto, aut subscriptionem pro Romano pontificatu commodare aut pictationem promittere aut sacramentum praebere temptaverit aut aliquod certe suffragium pollicitus fuerit, loci sui dignitate et omnium fidelium communione privetur et anathematizetur. Synodus Simmachi papae[3]. Decrevit sancta synodus: ut nemo sancti Spiritus donum vendere praesumat, aut pro alicuius episcopi presbiteri diaconi vel alicuius ordinis consecratione pecuniam accipere; et qui dat et qui accipit et qui mediator est, anathema sit.

Placuit etiam omnibus, ut Gisilharius episcopus, qui contra canones sedem suam[4] dimisit et aliam[5] invasit, in natale Domini[6] Romam vocatus ad satisfaciendum veniat; quod si renuerit, a sacerdotali officio suspendatur. Notum vobis etiam facimus: qualiter per communem consensum fratrum Crescentium, sanctae Romanae aecclesiae invasorem et depraedatorem, a gremio sanctae aecclesiae et omnium fidelium communione segregavimus; et ut unus quisque vestrum in suo episcopatu huic facto adsensum praebeat, caritative rogamus.

Ego Gregorius sanctae catholicae et apostolicae Romanae aecclesiae praesul subscripsi.

a. constitui *c*.

1. Galliae. 2. Bertham. 3. V. Symmachi synodum d. 1 Mart. 499 habitam. Regesta pont. Rom. p. 61. 4. Merseburgensem. 5. Magdeburgensem. 6. 25 Dec. 997.

Ego Iohannes sanctae Ravennatis aecclesiae archiepiscopus subscripsi. 997

Landulfus sanctae Mediolanensis aecclesiae archiepiscopus subscripsi.

Wido Papiensis aecclesiae episcopus subscripsi.

Iohannes Albanensis[a] aecclesiae episcopus subscripsi.

Blinwarmundus sanctae Ipponensis aecclesiae episcopus subscripsi.

Sigifredus sanctae Parmensis aecclesiae episcopus subscripsi.

Iohannes Mutinensis aeclesiae episcopus.

Adam Taurinensis aeclesiae episcopus subscripsi.

Andreas Laudensis aeclesiae episcopus.

Iohannes Ianuensis aeclesiae episcopus.

Constantinus sanctae Albensis aeclesiae episcopus.

Albertus sanctae Brixensis aeclesiae episcopus.

Liutifredus Terdonensis aeclesiae episcopus subscripsi.

---

21. *Trotmarus presbyter et monachus Laureshamensis Willigiso archiepiscopo Moguntino de sancto Nazario sermonem dedicat*[b].

Reverentissimo orthodoxorum patri praesulum, domno Willigiso archiepiscopo, infimus coenobitarum Sancti Nazarii[1] Trotmarus[c2] cum omni fraternitatis collegio, quicquid ab homine summum expeti adipiscive queat in Domino. 1007

Quod semper desideravi, dignitatis vestrae excellentia hebetatus, numquam ad vos, mi domine, vel muttire presumpsi. Nec inmerito; quippe quem pre ceteris sincera caritate diligo, pre cunctis, fateor, mortalibus timore casto pertimesco. Sed

a. abbanensis *c.* b. *Ex cod. bibl. universitatis Wirzburgensis Th. f.* 34 *membr. saec. XI f.* 90—91*v. Hunc codicem misit Antonius Ruland.* c. Trotm̄ *cod.*

1. Laureshamensium. 2. s. Druthmarus, postea abbas Corbeiensis (1014—1046); de quo cf. Annales Corbeienses 1014, 1046, 1100 et Catalogum abbatum Corbeiensium supra, Bibliotheca T. I 37, 39, 41, 70; et Kalendarium Laureshamense ap. Böhmer Font. III 145: „15 Kal. Mart. Drutmari abbatis. Hic, istinc praelatus Novae Corbeiae, congregationi composuit sermonem et cantum in honorem sancti Nazarii".

1007 velim nolim inerrabile[a] modo iudicii vestri examen tremebundus suscipiam. Quod etsi, peccatis mihi obstantibus, prescientiae[b] vestrae censura me non fulciri contingat, saltem, vobis tali tantillum me scriptitasse, in posterum iactitabo. At si forte adolationis a quovis noter, nihil mea interest. Quanti ergo vobis, per me extolli? quem eotenus utrobique Deus ipse per semet honorificavit. Neque enim, etsi peccatorem me gemo, oleo adsentationis venerabile capud vestrum inpinguare volo aut potero.

Potentissimae primum Dei pietati gratias pro viribus ago, quod benedictionum suarum omnes aecclęsiasticos gradus mundae manus vestrae inpositione indignissimo mihi conferre dignatus est.

Caeterum, pater amande, quia epistolaris brevitas me cursim pandere vetat, quod gestio, scolasticis allegationibus maturitatem vestram gravare vereor. Sed iam sanctitati vestrae supplex intimabo, quid velim.

Recolens paternitatem vestram, quanta ab inicio sedulitate excoluerit amaverit et venerata sit hunc communem patronum nostrum amicum Dei Nazarium, quamque pie semper omnibus eventibus nostris prosperis vel adversis illius respectu condescenderitis, si quid modo favente Deo laetum nobis arriserit, vobis pariter communicandum censuimus, ut, sicut tribulationum fuistis, sitis particeps et consolationum; utpute cuius meritis et coeptum id adscribimus et peragendum vestra auctoritate speramus in Domino. Novit sanctitas vestra de hoc eodem martire Christi Nazario: quanti penes Deum meriti semper sit declaratus, maximeque diebus his felicis sacerdotii vestri; nilque á veterioribus[c] doctis preter solas missales orationes elaboratum nobis ve relictum, quo vel lectione vel cantu digne possit eius singularis memoria per aecclesiam celebrari. Huius rei molestia maxima parvitati meae et olim ceptae et semper desideratae peregrinationis causa extitit — quam nec vos dominum meum omnimodis latuisse reor —: si aliquid forte disponente Deo uspiam de sanctis eius martiribus scripto vel relatu investigari contigerit. Unde dum quaquaversum spe frustrata nihil profe-

a. inenarrabile *c.* b. presentiae *c.* c. ab interioribus *c.*

cerim, sero tandem, quod primo debui, reversus ad inexhaustum scientiae fontem Christum, Dei virtutem et Dei sapientiam, quesita sanctorum ope, etsi non ut debui aut volui, ut tamen potui, in ipsius nomine fratrum nostrorum desiderio, immo paupertatule nostrae, utcumque scribtitando satisfeci. 1007

Quod quale quidve sit, quia vos, venerabilis pater, prae omnibus et arbitrum et defensorem ex debito quaero, ut aliquantisper aurem accommodare dignemini, suppliciter exoro. Quia, qualecumque sit, etiam si alicuius momenti fuerit, absque vestri commeatu iudicii cassum erit et nihili; at si vobis auctore tuebitur, nullius suggillatione terrebitur.

Non ignotam texui historiam, non commenticios[a] digessi syllogismos, non moralia aut mystica archana condere statui, quibus spiritale illud aecclesiae ferculum et dulce sapit et suave redolet. Sola mihi scribendi materia et causa est: in laudem martirum, quorum passionem habere non possumus, sermunculum, prout spiritus Dei afflaverit, undecumque congerere; nomenque eorum, adiuncto Christi vocabulo, subnixis scripturarum praeconiis, canendo et legendo in aecclesia recitari facere et laudari. Quod ut vobis acceptum aut per vos ratum ceterisque gratum fieri mereatur, suffragantibus eorundem sanctorum suorum meritis, ab eo enixius imploro, qui et bonis semper replevit et repleat adhuc desiderium vestrum, et me, nullius persone nullius scientiae aut meriti homunculum, in id, ut spero, instigavit instruxit et roboravit. Qui vivit et regnat in secula.

---

22. *Trotmarus Laureshamensis Bubboni abbati eiusque fratribus suum de S. Nazario sermonem commendat*[b].

Venerabili viro domno Bubboni abbati[1] cunctisque in Christo dilectis fratribus T(rotmarus), peccator cognomento christianus, utcumque tamen prespiter et monachus, salutem pacem et gaudium in longitudine dierum. 1007

a. commentarios *c.* b. *Ex cod. bibl. universitatis Wirzburgensis Th. f.* 34 *membr. saec. XI fol.* 91 *v* — 93 *v*.

1. Laureshamensi ab a. 1005 sive 1006 ad a. 1017. V. Dahl Beschreibung des Fürstenthums Lorsch p. 64.

1007 Dummodo tacendi[a] tempus iudicetur, in exordio dicendi lectorum prius auditorumque prudentem premonere patientiam prestat; ne, si elimando rubigonoso stilo, id est exercendo neglecto ingeniolo, prefationi aliquantisper immorari compellar, calumnientur mihi fastidientes. Quia nec semper ista nec sepe talia. Hinc in nomine Domini propositum prosequar.

Sepius mecum retractans, nil hactenus in laudem sancti patris et domini nostri Nazarii sanctorumque commartirum eius a tot precedentibus doctis ad nos usque traiectum, quo vel iucundius eorum agi sollempnia vel aliquatenus probra de incertitudine nobis insultantium refelli valuerint, non minus quam de privatis molestiis intra me contabui. Non tamen eo, ut mihimet id operis quoquo pacto umquam aggrediendum censuerim, quippe quem nec scientia nec innocentia commendarit; sed hoc ab aliquo peritorum ac meritorum semper inchoandum speraverim. Haec diu mecum dum tacitus volvo, maior in dies exinde succedit temptatio, quibusdam fratribus nostris — quorum alii iam in pace Dei quieverunt, alii vita adhuc comite supersunt — idem mihi quoquo modo attemptandum importunius suggerentibus. Quibus diu multumque obstinatius dum renitor, tandem mihi caritas refutanti elicuit, ut, meimet quodammodo oblitus soloque martirum Dei confisus auxilio, sicut ante nos dictum est prudenter[b], in flammam manum mittens, ineptiam meam proditurus exordiar. Non quo me aliquid dignum Deo, martiribus congruum, aecclesiae decorum necessariumve quid posse arbitrer, sed ut id tantum velle memet experiendo comprobem. Quin potius secuturis forsitan sapientibus inliteratus ego et idiota hinc scribendi occasionem perstruam et, quod per me nequeo, alios in id saltem incitando, tantorum nomen meritumque martirum inter laudes Christi clarius solito resonare, conabor. Quodsi obicitur, talis ego qua temeritate, non rogatus nec iussus a maiori qualibet persona aecclesiastica, talia presumpserim, submissus, quis in id, inquam, me praecipiendo vel hortando propulerit? quod non solum nemo confideret, verum ne ullus quidem exco-

a. *an* dicendi? b. prudens *c.*

gitare potuerit, nunc temporis posse fieri aut debere. Si 1007
vero, cur illud tantopere ante inchoationem omnibus celandum duxerim, queritur, nec hoc sine causa actitatum[a] respondebo. Institutione docemur euangelica, aedificandae in altum turri sumptus prius providere necessarios[1]. Et ego, affectus mei conscius sed futuri ignarus effectus, malui delitescendo experiri quid possem, quam inmaturius prodendo diffamare quid vellem; ne forte inefficax post derisui oculo nequam patuerim, dum, sero pudendo, coepta non perficerem. Superest nunc: explanata[b] clam — placeant displiceantne — iam palam innotescere; et dociles auditores non tam benivolos conciliare quam attentos sollicitare, qui directo caritatis tramite, neutrobique flexi, et emendanda corrigere et non dampnanda diiudicare queant et velint. Quia, si quod elaboravi tacitus ipse occuluero, quis quod ignoret ediscat vel comprobet? Maximeque hoc in cantibus, quae nisi usu audiendi discerni delectarive nequeunt. Alioquin ultro ingratis inportune ingerere, quae vix suasus annuere quin potius nec coactus praesumere debeas, dementiae res est. Caeterum, etsi stultum est in prohemio effluere, reprehensores meos, quos nec satis mirabor nec futuros admodum detestabor, qui — quolibet zelo amoris vel amaritudinis — modo quiescentem me de[c] subterranea talenti dominici absconsione cavillantur, modo studiis operam dantem, velut novarum praesumptionum curiosum, aemula susurratione suggillant, utrobique per me ratiocinando[d] praeoccupare ac perpaucis satisfacere eisdem, necessarium video. In quolibet scripto vita ac scientia disquiritur auctoris. Quodsi de merito vitae mecum agitur, non tam sancta conscribere quam nec legere me dignum censeo, adeo ut mihi quasi proprie scriptum reputem: *Non est laus speciosa in ore peccatoris*[2]; quia omnium pene reum me fateor, pro quibus peccatori dicit Deus: *Quare tu enarras iustitias meas?*[3] cum sequentibus. Sin vero doctrinae scientia exigitur, acsi privatim me notatum adverto, cum dicitur: *Stultus, si tacuerit, sapiens estimabitur*[4]. Hinc utrim-

a. actitandum *c.* b. explorata *c.* c. sed *c.* d. ratiotinando *c.*

1. Cf. Luc. 14, 28. 2. Eccli. 15, 9. 3. Ps. 49, 16. 4. Prov. 17, 28.

1007 que convenienter silendum mihi prorsus iudicabitur. Sed caritas, ut spero, Dei quae iustificat impium[1] et qui docet hominem scientiam, urguet me de sanctis eius martiribus, tametsi extra materiam vel inconditum quid, pro modulo meo effari. Proinde intendat et caritas corrigentis, audiat et zelus corripientis: grammaticorum nos utcumque vel principia libasse non negamus, rethoricorum vero, dialecticorum vel maiorum quorumlibet nec didasculos nos nec scolasticos profitemur; non tamen omnimodis, quid velint quidve profiteantur, ignaros optamus.

Ausculta inquam ó tu, quisquis[a] novorum me denotas praesumptorem: non praeiudico priorum meorum docto silentio, non nova antiquis martiribus undecumque merita comparo, non usurpo historiam texere, quam nec scripto nec veridico relatu didicerim. Non clam defero christicolis sacerdotibus, de quibus lego: *Diis ne detrahas*[2], quorum id solum officii autumas; sed vere ut antistites et doctores rationabiles Dei gregis veneror diligo et amplector. Maximeque pastorem et presulem nostrum, venerabilem Willigisum archiepiscopum; cuius inerrabundo me dedo iudicio meaque ei examinanda dicta dedico, a quo et presumptionis veniam et gratiam commendationis imploro.

Huius anno episcopatus 35, regnante gloriosissimo domno Heinricho rege anno 5, dominicae vero incarnationis adhuc 1007 haec licet frivola non de mea sed sanctorum patrum orthodoxa scientia, veritate tamen divina subnixa, adstipulavi.

---

23. *Aribo archiepiscopus Moguntinus Megunhardum I episcopum Wirzeburgensem ad synodum vocat. De interdicto a papa in se prolato consilium eius exspectat*[b].

1024 ante Mai. 13 Domino et confratri Megunhardo[3], Wirtzeburgensis ecclesiae pontifici venerabillimo, Aribo Moguntinae sedis provisor quamvis indignus servitutis et orationis sine cessatione devotissimos conatus.

a. quisq. *c.* b. *ex codice ms. montis S. Petri Erfordiae descriptam a Schannato hanc epistolam edidit Hartzheim Concilia Germaniae III* 61; *repetiit Giesebrecht Gesch. der deutsch. Kaiserzeit (ed. tertia) II* 670.

1. Prov. 17, 15. 2. Exod. 22, 28. 3. I, 1018—1034.

Cum nobis antiquorum patrum praecipiant instituta bis in anno generalia celebrare concilia, bonum et utile mihi videtur, ut huiusmodi institutio nostris temporibus saltem semel annuatim minus negligatur. Nam quando praedecessores nostri de conciliis faciendis vigilanter curabant, multae virtutes in sancta ecclesia, quasi in iuventute sua, fertiles et floriferae fuerant; quae nunc, proh dolor, propter illius senium et senectam[1] pene redactae sunt in cinerem et favillam. Sed cur illius increpo senectutem, cum nostram potius increpare deberem segnitiem. Illius enim voce dicitur per prophetam: *Vetustam fecerunt pellem meam*[2]. Nos ergo sanctae ecclesiae pellis sumus, qui sacramenta illius et religionis observantiam amplectimur et circumdamus; quam pellem ipsa dolet et loquitur viciis nostris factam fuisse vetustam, quia non aspicit in nobis, quam aspexit in patribus virtutum pulchritudinem solitam. Unde, karissime frater et domine, discutiamus nos e pulvere pigritiae nostrae, surgamus ocyus somno negligentiae et, quia sanctae ecclesiae pellis sumus, renovemur velut aquilae iuventute virtutis.

1024 ante Mai. 13

Hac de causa cum fratribus nostris decrevi et statui, convenire nos in unum in vigilia ascensionis Domini[3] in loco vicino qui dicitur Hosteti[a4] iuxta Mogum, ut omnibus cordis et animi viribus occurramus sanctae matris ecclesiae necessitatibus.

Proinde vero seorsum cupio ex tuo caeterorumque fratrum nostrorum consilio discere: de legatione sedis apostolicae quid facturus sim. Quia, sicut antea tibi per epistolam meam mandavi, ex delatione anathematizatae Imme[b5] apostolicus[6] mihi interdixit ornatus primos dignitatis meae. Inde vero, cum congredior mecum in conscientia mea, nascitur mihi consolatio summa; sed cum intueor, quid aliis possit evenire, si istud indiscussum tam facile labitur, meror mihi continuo magnus oboritur. Unde, quoniam omnes sumus inpulsi ad casum, non fu-

a. Hostetz *ed., corr. Giesebrecht in* Hosteti. b. Imme *scripsi pro* in me *ed.*

1. Cf. Ps. 70, 18. 2. Threni 3, 4: „vetustam fecit pellem meam". 3. 13 Maii 1024. 4. Höchst. 5. sive Irmengardae, uxoris Ottonis comitis Hammersteinensis. 6. Benedictus VIII.

1024 ante Mai. 13 roris tumultu sed orationis obtentu contra pulsantem opponamus communiter clypeum.

---

24. *Aribo archiepiscopus Moguntinus Cunegundi imperatrici scribit de interdicto a papa sibi illato et de Piligrimi archiepiscopi Coloniensis honore aucto. Rogat, agat ut Piligrimus et Theodericus II episcopus Mettensis synodo suae intersint*[a].

1024 ante Mai. 13 Divae dominae suae Cunegundi divina disponente prudentia Romanorum imperatrici augustae A(ribo), Dei gratia quicquid est, affectu cordis avidissimo debitae servitutis et orationis devotissimas exhibitiones in Christo.

In primis desidero, karissima domina, ut nullus nisi tibi familiaris ..... legat huius epistolae verba. ...... servitute tibi alligari, quanto sine gratiae suae dulcedine nihil mihi iucundum potest vel dulce videri. Nam, ex quo primum iucundissimo gratiae tuae munere donatus sum, tam multiplex inde mihi fluxerat commodum, ut nullis possit divitiis recompensari nec facundissimi sermonis ornatu digne laudari, ut .... nihil exinde mihi, quod sine tuo iudicio dulce videretur et laetum, nihil tam contrarium vel asperum, quod non aestimarem tua clementi benignitate tuoque consilio facillime[b] superare ...

Caeterum moeroris anxietas mentem mihi aliquot dies apostolicis legationibus turbavit; sed conscientiae consolatio tranquillam facit. Idcirco, karissima domina, abscondita est tam diu pietati tuae, quia speravi: illam, antequam ad aures tuas perveniret, aliquatenus posse leniri. Non enim ignoro compassionis tuae mirandum ac laudabilem affectum, quem solius Dei dono tibi scio concessum; ideoque solus doloris volui calicem bibere, ne mens tua turbaretur compassionis merore. Sed quia non potest iste transire, nisi tu bibas paulum inde, fac ... confido. Quid facturus sim, in epistola tua rescribito, quoniam erit

a. *ex codice ms. membranaceo montis S. Petri Erfurdiae descripsit Schannatus, edidit Hartzheim Concilia Germaniae III* 62, *repetiit Giesebrecht Gesch. der deutschen Kaiserzeit* (*ed. tertia*) *II* 671. b. facilime *ed.*

. . . . . . sa certissima, quacunque . . . . . dictaverit sententia tua . . . . 1024 ante Mai. 13

Condictum iam habeo concilium, ad quod confluet fratrum meorum venerandum conlegium; eruntque ibi consilii nostri cooperatores Piligrimus Coloniensis[1], Poppo Trevirensis[2], venerandi protopraesules. Sed quia de nepote meo[3] P(iligrimo) timeo, ut senioris mei[4] artificioso retardetur consilio, commendo id tuae fidelissimae pietati, ut tu illum aggrediaris seorsum et sive volentem sive nolentem in ascensione Domini[5] ad nostrum venire facias concilium. Proinde, karissima domina, ... non possum celare te, quod adhuc . . absconditum habeo ab omni . . . . . . et quidquid desidero, ut a te verbis minacibus audiat, quasi me nesciente. . . Coloniensis episcopus ipse na . . . . . constitutus, quamvis non ignoraret, quam inrationabiliter me illusum haberet apostolicus[6], tamen et familiariter eius dona accepit et amicabiliter suis illum muneribus oneravit. Et ubi mihi honor pallii, quamvis iniuste, est interdictus, ibi pallii sui honor non solum est melioratus, sed, ut aiunt, quodammodo deauratus; quasi sibi inde sit aucta dignitas sive duplicata festivitas, unde mihi aliquantulum oppres . . . . perditi honoris amara calamitas . . . Et quia pudore non potui perte . . . . quasi me nesciente . . . . . rius imputari.

Proinde . . . celsitudinem tuam obnixius deprecor: ut, si fratrem[a] tuum, dominum videlicet Metensem episcopum[7], ante quam ego videas, de mea parte maximas gratias referas, quoniam apud sedem suam tanta susceptus sum benignitate, ut nec utilius nec honorificius aliquid mihi posset exhiberi Mogontiae. Illius consiliis quia post Deum et te maxime confido, quoniam id devotissimo promereri . . . . . habeo servitio, solotenus prostratus efflagito: ut tuis illum precibus facias apud Hosteti iuxta Moguntiam interesse conventui nostro . . . qui con-

a. fratrum *ed.*

1. 1021—1036. 2. 1017—1047. 3. Cf. Wiponis Vita Chuonradi imp. (Mon. Germ. SS. XI 256): „Pilegrinus — consanguineus Aribonis archiepiscopi". 4. Heinrici II imperatoris. 5. 14 Maii 1024. 6. Benedictus VIII. 7. Theodericum II.

1024 ante Mai. 13 ventus in vigilia ascensionis Domini[1] fratribus est nostris denuntiatus. Valeat semper in Christo ..... veneranda dominatio ....

25. *Suffraganei episcopi ecclesiae Moguntinae Benedicto VIII papae pro Aribone archiepiscopo supplicant*[a].

1024 post Mai. 13 Domno B(enedicto) apostolicae sedis capiti venerabilissimo Burchardus[2] Wormatiensis, U(dalricus)[3] Curiensis, Werinharius[4] Argentinensis, Eberhardus[5] Babenbergensis, W(alterus)[6] Spirensis, Wiggerus[7] Vardensis[b], Meginhardus[8] Wirceburgensis, H(eimo)[9] Constantiensis, G(odehardus)[c 10] Hildenesheimensis, H(eribertus)[11] (Rub)ilocensis[d], Brantho[12] Halverstadensis, H(izzo)[13] (Pra)gensis omnes una intentione ... tutis et orationis instantiam pro ....

.... posse. Cecidit corona capitis nostri, ablatae sunt dignitates scilicet[e] nostri metropolitani. Illud autem, sicut praemissum est, tantum audivimus; sed auditum minime credimus, et quia[f] ipse auditus nos frangit, a paternitate tua discere cupimus, rei veritas quae sit. Si sic est, sicut audivimus, versa est in luctum cythara nostra et organum nostrum in vocem flentium[14]. Quis enim a lacrimis se temperet, cum innocens metropolitanus ex unius mulieris[15] delatione vel particulam dignitatis amitteret. Absit domine, absit hoc a te, qui primus post Deum in vice sancti Petri orbem terrae regere debes in aequitate. Si vel minimus[g] presbyter causa facti huius .... deponeretur, iam dudum universae religionis ordo in favilla consumptionis[h] marcesceret. Sed cur .... scribimus, quasi haec vera esse credimus? Ea enim, quae audiuntur ... esse possunt et

a. *ex codice membranaceo ms. bibliothecae montis S. Petri Erfordiae descripsit Schannatus, edidit Hartzheim Concil. Germ. III* 63, *repetiit Giesebrecht Gesch. der deutschen Kaiserzeit (ed. tertia) II* 672. b. Wiggerus Vardensis *scripsit Giesebrecht pro* W. Mur ... iensis *ed.* c. S. *ed.* d. .... olacensis *ed.* e. S. *ed.* f. quia *scripsit Giesebrecht pro* quin *ed.* g. minimus *scripsit Giesebrecht pro* minus *ed.* h. *sic scripsi pro* consensionis *ed.*

1. 13 Maii 1024. 2. I, 1000—1025. 3. I, 1002—1026. 4. I, 1001—1029. 5. I, 1007—1040. 6. 1005—1031. 7. 1013—1031. 8. I, 1018—1034. 9. 1022—1026. 10. 1022—1038. 11. 1022—1042. 12. 1023—1036. 13. 1023—1030. 14. Iob 30, 31. 15. Irmengardis s. Immae, uxoris Ottonis comitis Hammersteinensis.

vera et falsa . . . autem tribuat, ut iste auditus . . . . . . falsitatis exurgat. Nam si metropolitanus noster, dominus Aribo, propter anathematizatam dignitatis suae aliquantulum perderet, consequens ac ratum[a] foret, ut omnium nostrum[b] sacerdotium depositionis periculo subiacuisset. Ille enim extra commune nostrum consilium et iudicium nil habet in praefata muliere commissum; ideoque, si cum illa aliquid contra synodale decretum est perpetratum, nos naufragia paciemur, ille securus enatet. Credimus autem tibi, domine, et omnibus ubicumque in mundo existentibus de causa praefatae mulieris aures ita esse repletas, ut ultra opus non sit, illius scribere culpas; cum illud potius procurandum sit: qualiter, amputata a Christi corpore, aut funditus pereat aut — si, quod minime credimus, converti voluerit — . . . . . in heremum poenitentiae usque ad finem vitae gemebunda discedat . . . . Nonne, quando super illam anathematis vincula dabamus . . . s tuos adiutores, cum rectius possimus dicere praecessores. Ipsi enim praecesserunt, ipsi prima vincula iniecerunt; deinde noster ordo, sicut decuit, quod ab illis factum fuit, firmavit. Ipsis pernitiose luditur, si causa nostra durius tractatur. Unde vero in commune prostrati[c] rogamus: ut dignitati tuae consulas et, si quid incaute actum sit, id caute resarcias; anathemate obligatam terrore tuae sententiae stringas; domno Ariboni, tibi devotissimo filio, cur . . . dilectionis munus impendas, ... qui propter avariciae lucrum nullum palpat peccatum, sed pro amore iustitiae semper exerto graditur mucrone. Valeat in Christo paternitas tua.

1024
post Mai. 13

---

26. *Aribo archiepiscopus Moguntinus Godehardum episcopum Hildeshemensem ad synodum Seligenstadensem invitat*[d].

Domno Godehardo, sanctae Hildesimensis ecclesiae pontifici venerando, Aribo, gratia Dei quicquid est, debitum illud orationis, quod humanitas exigit christianitatis.

1026
ante Sept. 21

a. tutum *ed.* b. nostrum *scripsit Giesebrecht pro* nostrorum *ed.* c. prostati *ed.* d. *ex codice ms. bibliothecae S. Petri Erfordiae descripsit Schannatus, edidit Hartzheim Concilia Germaniae III* 54, *repetiit Giesebrecht Gesch. der deutschen Kaiserzeit* (*ed. tertia*) *II* 675.

1026 ante Sept. 21 Quamvis a te frater multis sim lacessitus iniuriis indebitisque[a] affectus contumeliis, memor tamen regulae nostrae, qua iubemur nos invicem diligere[1] et in nos peccantibus usque septuagies septies peccata dimittere[2], nolo fraternae dilectionis erga te claudere sinum, sed dilatato corde meum tibi commendare et tuum contra suscipere libenter consilium. Sumus unius corporis membra et, ut ita dicam, quaedam in eodem corpore luminaria. Quodsi nos minus caligamus propter (dissen)siones[b], corpori[c], in quo sumus, rectum ostendimus iter per[d] vitae huius caligi(nem. Quae)rendum[e] est ergo nobis omnimodo, (ne in nos ex)[f] sententia illa prophetica torquea(tur impre)catio[g]: *Obscurentur oculi eorum, ne videant, et dorsum eorum semper incurva*[3]. Nam si propter nos dorsum ad peccati laqueum curvatur, quid restat, nisi ut ipse visus aeterna caecitate dampnetur et in ipsa morte sopiatur? Quid est in fratrum discordia, nisi quaedam, ut ita dicam, in ipsa vita mortis poena? Hinc Iohannes ait: *Qui non diligit, manet in morte*[4]. His et aliis auctoritatibus motus et concitatus, moneo te, unum esse de nostris confratribus; et quamvis nostram fraternitatem multis tergiversationibus effugere coneris, revocamus te tamen clarissima voce sincerae dilectionis. Praecessores enim tui huic adherebant fraternitati, nec tu inde rescindi poteris, nisi lugentibus et flentibus nobis.

Unde tibi frater concilium intimamus, quod communi consensu fratrum nostrorum in proxima festivitate sancti Mathaei apostoli[5] apud Selingestat cum ceteris fratribus et coepiscopis habituri sumus. Ipsumque concilium primo rogamus ut laudes, laudatumque cum ceteris fratribus visites; ut ibi non solum

a. *an* indebitique? b. *sic scripsit Giesebrecht pro* ...siones *ed.* c. *sic scripsit Giesebrecht pro* corporis *ed.* d. per *scripsit Giesebrecht pro* propter *ed.* e. *sic scripsit Giesebrecht pro* caligi...rendum *ed.* f. ne in nos ex *posuit Giesebrecht in lacuna ed.* g. *sic scripsit Giesebrecht pro* torquea..catio *ed.*

1. Ioh. 13, 34. 2. Matth. 18, 21. 22: „Domine, quoties peccabit in me frater meus et dimittam ei? usque septies?“ Dicit illi Iesus: „Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies“. 3. Ps. 68, 24. 4. 1 Ioh. 3, 14. 5. 21 Sept. 1026. Cf. Wolfherii vit. Godehardi prior. c. 30, posterior. c. 22, Mon. Germ. SS. XI 189, 208.

plantemus et aedificemus, sed etiam evellamus destruamus et dissipemus. Credo, quod tibi commissam ecclesiam rite rationabiliterque habeas circumspectam, et quod propter hoc nulla necessitate cogaris nostrum concilium visitare. Verum, quia praecipitur lege canonica, bina a provincialibus in anno celebrari concilia, praedictum tibi terminum indicamus et ad eum te enixe rogando invitamus. Nam tibi quamvis nihil, quod corrigendum sit, obstat . . . ia sanctitas in commisso tibi grege . . . . . itius vigilat, mihi autem in meo grege procurando propter alias occupationes nimium tremoris incutitur, et ne grex neglectu meo . . . pateat morsibus lupinis, . . . cura exigat pastoralis. Causa vero huiusmodi iterum et iterum te frater obnixius rogamus, ut interesse velis fraterno conventui. Vale. 1026 ante Sept. 21

---

27. *Bern abbas Augiensis Ariboni archiepiscopo Moguntino de controverso numero dierum dominicarum adventus Domini exponit; monetque, ut rem diiudicet*[a].

Summae dignitatis apice sublimato Ariboni[b] archiepiscopo, per quem in area Domini bona conservis fideliter amministratur tritici mensura, Bern[c 1], etsi vile[d] Dei matris mancipium, illud servi boni *euge*[2] optat in premium. aut 1021 aut 1027

Quotiens in aecclesiastici ordinis ritu minus concordamus, oportet ut ad consilium magistrorum recurramus; per quos, ut scriptura testatur, sapientia divina profunda fluviorum scrutata est et abscondita produxit in lucem[3]; legislatore id etiam precipiente: *Interroga patrem tuum et adnunciabit tibi, maiores tuos et dicent tibi*[4]. Huius rei gratia te potissimum, piissime

a. *Descripsi ex* (*R*) *codice quondam inferioris monasterii Ratisbonensis, hodie tabularii regii Monacensis, membranaceo saec. XII fol.* 61; *et ex* (*G*) *codice S. Galli* 898 *membr. saec. XI, ubi initium tantum epistolae reperitur. Ediderunt Pez Thesaur. anecdot. IV P. II* 41 *squ.* (*ex cod. S. Emmerammi*) *et Martene et Durand Veter. script. coll. I* 383 *squ.* (*ex ms. Verdinensi*). — *In R hoc lemma epistolae praefixum est:* Incipit epistola Bern Augiensis monasterii abbatis ad Aribonem Mogontinum archiepiscopum de eo, qualiter adventus Domini hoc anno celebrari debeat, quando nativitas Domini 2 feria evenerit. b. Arboni *G*. c. B. *G*. d. vile vile *G*.

1. abbas Augiensis 1008—1048. 2. Matth. 25, 21. 3. Iob 28, 11. 4. Deuter. 32, 7.

aut 1021 aut 1027 pater, de his, que in dubium de dominici adventus celebratione venerunt, consulendum censuimus. Cui superna Dei[a] providentia tantam scientiae plenitudinem donavit, ut te per aquam divinarum scripturarum non solum usque ad talos vel ad genua[1] seu etiam usque ad renes transduceret, verum etiam ad ipsum torrentem, quem non possis transire, perduceret. *Quoniam* inquit *intumuerant aquae profundae torrentis, qui non potest transvadari*[2]; qui etsi non pertransiri, ad illum tamen, ipsa Dei sapientia adiuvante quae per torrentem designatur, potest perveniri. Igitur huius aquam torrentis, quam nullus mortalium transire potest, aliquatenus tange; ac aliquem intellegentiae gustum sitibundis pectoribus nostris praebe.

Ut enim apertius, unde queramus, agnoscas, intimamus[b], quod tamen iam dudum te latere minime credimus. Quotienscumque natalis Domini in secunda feria, velut in praesenti anno[3], evenerit, magnus error per aecclesias Dei se infundit; aliis dicentibus, non debere plus quam quatuor dominicos dies cum ipsa sacratissima dominicae nativitatis vigilia celebrari[c], aliis vero e regione contendentibus, magis oportere quatuor plenas ebdomadas adventum Domini habere. Quintum diem dominicum specialiter vigiliae Domini dedicantes, nullum aliud, ut investigare potuimus, defensionis suae argumentum vel rationem habent[d], nisi ut illa quatuor officia, que in nocturnalibus antiphonariis inveniuntur, vel lectiones sanctorum euangeliorum nec non et apostoli plenius adimpleantur. Ad haec alii pleniorem veritatis racione subnixam antiquorum, beati videlicet Gregorii papae ac presbyteri Hieronimi, proferunt sententiam. Quorum alter in libro sacramentorum, id est missali, ita praetitulavit: *Dominica prima de adventu Domini, dominica secunda, dominica tertia, dominica quarta,* que proxima est ante nativitatem Domini; alter vero in lectionario, quem librum Comitis appel-

a. *om. R.* b. *huc usque G.* c. *sequitur iterum* debere *in R.* d. habentes *R.*

1. Ezech. 47, 3. 4. 2. Ezech. 47, 5. 3. Aribone ecclesiam Moguntinam regente, natalis Christi in diem Lunae incidit anno 1021 et 1027.

lavit, sic: *Dominica V ante nativitatem Domini,* quam Amalarius preparationem dominici adventus nominavit, deinde: *Dominica IV ante nativitatem Domini, dominica III ante nativitatem Domini, dominica II ante nativitatem Domini, dominica I ante nativitatem Domini;* ut converso modo, quae apud Hieronimum dicitur prima vel proxima ante nativitatem Domini, apud Gregorium dicatur dominica IV de adventu Domini. Non inconvenienter, ut reor, propter quinque huius saeculi aetates, in quibus hominum genus sub iugo diaboli captivum tenebatur; quo usque, per intactae virginis uterum nascendo, in carne appareret, qui carnis peccata per sui corporis hostiam aboleret et initium sextae sequentis aetatis sanctificaret. Vel quia interior noster homo per quinque sensus corporis corrumpitur, ita ut in nobis mors operetur, sicut propheta dicit: *Introivit mors per fenestras vestras*[1]; quatenus in his quinque ebdomadibus hospicium mentis illi regi nostro praeparetur, quem prophetica lectio in ipsa ebdomada V his verbis pronuntiat venturum: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et suscitabo David germen iustum*[2].

aut 1021 aut 1027

Item in antiphonario diurno post tria officia statim sequitur ieiunium, deinde dominica vacat; ut ex hoc liquido comprobetur, quantum etiam in hoc delinquant, qui in praesenti anno ieiunium, quod praecedere debuit, post dominicam quae vacat ponunt, adventum Domini inchoantes 6 Kalendas Decembris. Quod si hoc caventes prius ieiunant, nihilominus contra patrum instituta agunt, qui ieiunium decimi mensis semper in proximo sabbato ante nativitatem Domini celebrandum statuerunt. Quaternarium vero numerum, quem, ut supra notavimus, S. Gregorius in quatuor dominicis de adventu Domini diebus posuit, tali celebrant sacramento, ut homo, qui quatuor consistit elementis, per quatuor ebdomadas eius expectet adventum, quem per tres ordines librorum — legis scilicet, prophetarum, psalmorum — olim promissum et per quartum, id est principium euangelii, angelo sanctae Mariae semper virgini conceptum

1. V. Ierem. 9, 21. 2. Ierem. 23, 5.

aut 1021 aut 1027 ac nativitatis eius ordinem narrante, ad salutem humani generis certissime sciunt huic mundo praesentatum.

Et ne tantilla parvitatis meae adtestatio, quam ex aliorum magis quam ex propria protuli sententia, videatur parvi pendenda, maiorum dicta ponantur in medio; ut vel ex his liquido comprobetur, quorum usus rectior habeatur. Ait nempe Amalarius, divinorum officiorum scrutator non contempnendus[a]: *In antiquis libris missalium et lectionariorum*[b] *repperitur scriptum* ...... *quae a parte totum solet implere.*

His verbis satis datur intellegi, quod hanc sacrae scripturae regulam, quae non solum a parte totum sed etiam aliquando ex toto partem significat, hi transcendant, qui in adventu Domini non quatuor sed quinque dominicos dies annumerant. Adstipulatur huic narrationi illud famosissimi ac sapientissimi calculatoris, domni videlicet Bedae argumentum, si tamen ipsius et non alterius esse conceditur, toto pene orbi, ut puto notissimum: *Notum sit* inquit *omnibus hominibus, ut, quicumque adventum Domini diligenter voluerit celebrare, videat, ut nec ante V Kalendas Decembris inchoet*[c], *nec III Nonas ipsius mensis transeat; sed in his septem diebus, ubicumque dies dominicus advenerit, ibi sine dubio celebrare valebit.*

Hunc morem, tota pene ut fertur observat Gallia ac ipsa civitas Romana, quondam mundi domina, ut per veracissimos relatores, ac praecipue sanctae recordationis Adalboldum episcopum[1], qui, scriptis nostris pulsatus, Rome positus hoc requisivit, didicimus. Quamquam postea nescio qua de causa aliter agerent; Placentina tamen, ut ipse ego eodem in tempore et audiendo et videndo cognovi, aliisque Italiae civitatibus antiquae institutionis regulam servantibus.

Sed et abbas Herigerus[2], vir non parvae auctoritatis, nostris temporibus proprium super hac re libellum composuit[3],

a. *sequitur Amalarii De ecclesiasticis officiis L. III caput* 40 *fere totum* (*ap. Hittorpium De divinis officiis p.* 208); *quod omitto.* b. lectionarium *R.* c. inchoat *R.*

1. Traiectensem (1010—1027), qui vitam Heinrici II imperatoris scripsit. 2. abbas Lobiensis (990—1007), qui Gesta episcoporum Leodiensium mandavit litteris. 3. Sigebertus de scriptoribus ecclesiasticis (ap.

in quo, ut asserunt qui illum legerunt, probabilibus argumentis aut 1021 eos convincit contra patrum instituta agere, qui plus quam quatuor dominicos dies adventus Domini celebrare contendunt. aut 1027

Quod vero ex adverso obiciunt, ideo quatuor dominicos dies, excepta vigilia Domini, debere celebrari, ut illa quatuor nocturnalia officia vel sancti euangelii seu apostoli lectio in illa dominica quae vacat possint impleri, facili responsione potest enervari. Quis enim non videat, incongruum valde esse: propter tria vel quatuor responsoria — quae retroactis ebdomadae diebus, si tamen ita visum fuerit decantari, vel sancti euangelii seu apostoli lectio, quae feria III ante ieiunium, sicut in Italiae regionibus nos ipsi agere audivimus ac vidimus, vel potius in ipsa dominica quando vigilia celebratur, cum ymnis matutinalibus primo mane possint adimpleri — tam misticas rationes quatuor ebdomadarum evacuari debere. Non utique quarta dominica adventus Domini vacaret, si proprium officium haberet. Introitus *Memento* in nullo autentico invenitur antiphonario, sed ipsum officium a quodam pro libitu est superadditum; ideoque nec summopere est curandum, si pro rationabiliori causa aliquando fuerit intermissum. Vacat enim ista quemadmodum et ceteri tres dominici dies, qui simili modo ponuntur post duodecim lectiones; quibus tamen minime desunt lectiones epistolarum et euangeliorum ad implendum numerum quinquaginta duarum anni dominicarum. Habentur enim inter nativitatem Domini et septuagesimam officia quatuor per dies dominicos; a septuagesima usque in pascha octo, nam nona in medio vacat; a pascha vero usque in octavas pentecostes 8; deinde sequuntur 23 usque in adventum Domini; in adventu Domini tria tantum ponuntur, quarta ut supra diximus vacante. Quatuor enim et 8 itemque 8 atque 23 et 3 fiunt simul 46. His adde quatuor dominicas vacantes, et unam quae est praeparatio dominici adventus, nec non de sancta trinitate; summam 52 do-

Fabricium, Bibliotheca ecclesiastica) cap. 137: „Herigerus — scripsit sub sua et Adelboldi episcopi persona dialogum de dissonantia ecclesiae de adventu Domini".

aut 1021 minicarum videbis adimpletam esse. At vero missae in libro
aut 1027 sacramentorum plures inveniuntur adpositae, utpote post theophaniam habundant 3, post octavas pentecostes una, et una in septimo mense, quando ieiunium est celebrandum; non incongruo ut puto ordine, ut quinarius, qui 52 numerum his supergreditur, quintae nihilominus dominicae ante nativitatem Domini per verba deprecationis adunetur. Sic enim orat sacerdos: *Excita, Domine, quaesumus, tuorum fidelium voluntates* et cetera; quamquam et in quibusdam missalium libris etiam altera, nescio a quo inveniatur composita. Quodsi in aliquibus plures inveniuntur libris, non tamen autenticis.

His ita se habentibus, eos, qui tanto adnisu hoc anno unam ebdomadam dominico adventui conantur adicere, libet percontari: quidnam agendum censeant, cum primum pascha in 11 Kalendas Aprilis, septuagesima vero 15 Kalendas Februarii evenerint, et ob hoc duo officia, quae sunt: *Omnis terra, Adorate,* velut minus necessaria remanebunt; nisi forte priori, id est *Omnis terra,* tali modo locum dent, ut ante epiphaniam *In excelso trono* contra morem canant, cum in omnibus autenticis antiphonariis id ipsum ita praetituletur: *Dominica prima post epiphaniam Domini.* Non solum hoc, sed et responsorium: *Domine ne in ira,* nullum diem dominicum poterit attingere, octava epiphaniae proxima tertia feria ante septuagesimam occurrente. Quod si ita est, immo quia ita est, unum horum necesse est ut eligant, aut ut haec omnia — id est officia duo, Resp. *Domine ne in ira,* lectiones quatuor, missas quinque — omnino quasi non necessaria praetermittant aut, ubi locorum possint, interserant; et concedant nobis: id una tantum missa et una lectione apostolica seu euangelica agere, quod sibi putant in plurimis licere. Alioquin terminum paschalem eotenus transferant, quotenus illa duo officia ne dicam lectiones et missas inter epiphaniam et septuagesimam locum inveniant, et nos illis concedimus adventum Domini anticipare, ut dominica quae vacat cum integritate ebdomadae possit vigiliam nativitatis Domini hoc anno praeire. Quodsi respondebunt, hoc cano-

nica auctoritate esse prohibitum, et nos veraciter dicimus: quia ritum, quo adventum Domini hoc anno celebramus, a sanctis patribus Gelasio Gregorio Hieronimo atque Hylario indubitanter accepimus, qui velut bases consistunt in sanctae aecclesiae fundamentis. Quorum sententiis nolle acquiescere[a], transgressio est legis divinae. aut 1021 aut 1027

Haec etsi ita esse credimus, haud facile tamen aliis persuadebimus. Quapropter ex sanctae sedis tuae auctoritate sententia prodeat, sanctorum patrum instituta servare decernat, ne sanctae matris aeclesiae filii, in scisma divisi, minus unanimes possent habitare in domo Dei. Nam ex dulcifluo sacri pectoris tui fonte purum huius scientiae potum tandem haurire cupimus, ne per varios errorum rivulos diutius a vero nos aberremus; ut illa valeas mercede donari, quam Dominus per prophetam talibus verbis dignatus est polliceri: *Beati, qui seminatis super omnes aquas*[1]. Dilectus ecclesiae sponsus, qui cottidie descendit in hortum suum ad areolam aromatum[2], te, pascentem in hortis virtutum inter lilia castitatis convallium, post huius vitae terminum colligat in horreum suum. Salutat te humilis Augiensium fratrum catervula, semper tui memor inter sacra orationum libamina.

---

28. *Aribo archiepiscopus Moguntinus Bernonis abbatis Augiensis sententiam de numero dierum dominicarum adventus Domini probat*[b].

Rescriptum Aribonis archiepiscopi.

Sanctitatem vestram aevo sempiterno intemeratam conservari optantes, circumspectae vestrae in his, quae ad Deum sunt, sollicitudini gratulemur. Tandem etiam vestris bene et artificiose inventis, optime dispositis, facunde elocutis et postremo firma memoria pronuntiatis ex animo favemus tractatibus; et si qua illa est pontificatus tantilli auctoritas, eius sicut rogastis aut 1021 aut 1027

a. quiescere *R.* b. *ex cod. quondam infer. monast. Ratisbon., hodie tabularii regii Monacensis, membr. saec. XII fol.* 66. *Ediderunt Pez Thesaur. anecdot. IV P. II* 49 *et Martene et Durand Vet. script. coll. I* 389.

1. Isai. 32, 20. 2. Cant. 6, 1.

aut 1021 aut 1027 manum imponimus eis. Fecundet Dominus et amplificet tantam gratiam in vobis, ut, si quod adhuc etiam, in quo ecclesia offendat[a], obstaculum restare senseritis, eadem cautela propellere velitis et industria. De cetero orationibus vestris et sancti examinis, sub vestro regimine mellificantis, recreari optamus. Et, qui nunc sub crucis habitu assi piscis parte cibamini, ut quandoque favo mellis digni habeamini, me quoque, a longe haud strenue certantem et interdum statione relicta loco cedentem, precibus vestris revocare velitis, sollicite rogamus.

---

29. *Bern abbas Augiensis Ariboni archiepiscopo Moguntino de quatuor temporum ieiuniis dialogum dedicat*[b].

1021-1031 Amantissimo Domini Ariboni odorifero pontificum flori Bern, Dei matris servorum extremus, indiscretae fidei pignus simulque pensum debiti famulatus.

Doctrina et veritas, quae in rationali pectoris tui decoris sui speciem praemonstrant, ad id meum inducebant animum, quo te prae ceteris dignum ducerem, cuius examinationi illius narrationis seriem, quam nuper sub interrogatione et responsione de ieiuniis quatuor temporum edidi, commendarem. Nihil enim ibi ex propriis sum commentatus, sed, quod exinde antiquos patres probabiliter elocutos fuisse invenire potui, diligenti dispositione scribendo memoriae commendavi. Tu vero nunc, o praesulum decus, aequi libraminis lance queso perpende, utrumnam sit dignum pronuntiatione. Quia satis erit ratum, si tanti pontificis auctoritate fuerit roboratum.[c]

---

a. ofendat *c.* b. *ex cod. quondam inferioris monasterii Ratisbonensis, hodie tabularii regii Monacensis, membranaceo saec. XII fol.* 67 *v; cum hoc lemmate:* Item prologus eiusdem abbatis ad supradictum archiepiscopum de observatione ieiunii quatuor temporum. — *Edidit Pez Thes. anecd. IV P. II* 55 *ex cod. S. Emmerammi.* c. *sequitur in codice* Dialogus inter Bern Augensis coenobii abbatem et monachum Gerungum habitus, qualiter quatuor temporum ieiunia per sua sabbata sint observanda. *Quod opusculum edidit Pez l. l.* 55 — 68.

30. *Urbanus II papa Petro episcopo Pistoriensi et Rustico abbati Vallumbrosano se purgat, quod Daibertum, a Wezelone archiepiscopo Moguntino diaconum ordinatum, episcopum Pisanum consecraverit*[a].

Scripsistis nobis, maximum apud vos scandalum emersisse, c. 1088
quod Pisanum episcopum consecraverimus, quod a Guezelone haeretico diaconus fuerat ordinatus. Et nos profecto scimus, Guezelonem haereticum fuisse, Moguntinumque episcopatum simoniaco credimus facinore invasisse; propter quem aut alium acquirendum regi, sub anathemate posito, diu servierat et propter acquisitum omni vitae suae tempore deservivit. Eumdem et ipsi nos pro eadem causa, quia ab excommunicatis consecratus est, in synodali concilio excommunicavimus condemnavimus et ab omni ecclesiastico officio sine spe restitutionis aliqua deposuimus . . . .

. . . Daibertum a Guezelone[b], licet simoniaco, non simoniace eiusdem confessione reperimus in diaconum ordinatum. Et beati Innocentii papae sententia[1] constat declaratum: quod Guezelon[c], quem constat ab haereticis ordinatum, quia nihil habuit, nihil dare potuit ei, cui manus imposuit. Nos igitur, tanti pontificis auctoritate firmati, et Damasi papae[2] testimonio roborati, qui ait: *Reiterari oportet, quod male actum est,* Daibertum, ab haereticis corpore et spiritu digressum atque utilitatibus ecclesiae pro viribus insudantem, ex integro, ecclesiae necessitate ingruente, diaconum constituimus. Quod non reiterationem existimari censemus, sed tantum integram diaconii dationem; quoniam, ut praediximus, qui nihil habuit, nihil dare potuit . . . .

a. *Huius epistolae duo fragmenta tantum exstant. Quorum alterum* (Scripsistis — deposuimus) *ex cod. S. Victoris Parisiensi ediderunt Binius, Mittarelli Annal. Cam. III* 46, *Mansi coll. conc. XX* 664, *cum hoc lemmate:* Urbanus secundus papa Pistoriensi et Rustico Vallis Umbrosae abbatibus. *Alterum fragmentum* (Daibertum — dare potuit) *legitur in Gratiani Decr. P. II C. I qu.* 7 *c.* 24, *cum hoc lemmate:* Urbanus II Petro Pistoriensi episcopo et Rustico abbati Vallis Umbrosae. b. Nezelone *Gr.* c. Nezelon *Gr.*

1. V. Gratiani Decr. P. II C. I qu. 1 c. 18. 2. in epist. Pseudoisidoriana de corepiscopis (V. Decretales Ps.-isidor. ed. Hinschius p. 514), Gratiani Decr. P. II C. I qu. 7 c. 25: „reiterari necesse est, quod legitime actum aut collatum minime adprobatur“.

31. *Rothardus archiepiscopus Moguntinus Halberstadenses hortatur, ut, suum exemplum sequentes, a schismate discedant; utque die 1 m. Decembris ad synodum veniant*[a].

1098 Rothardus Dei gratia Mogontine ecclesie archiepiscopus omnibus in clero Halberstadensi unitatem sancte ecclesie amplectentibus fraternam dilectionem.

Qui vere dilectionis dona a Deo pacis consequi merentur, excellentius ceteris cognoscunt, quantum pondus sollicitudinis sustineat vigilantia ordinate dilectionis. Hoc tamen, ex quo debui, semper pro vobis vigilanter debita devotione portavi. Neque enim, si ad horam intermissa fuit nostre paternitatis commonitio, minus pro vobis vigilavit devote sollicitudinis intentio. Proinde nunc quoque vos apostolica exhortatione contestor, obsecrans in Christo: reconciliamini Deo. Nulla vobis erit confusio immo gloria et honor, redire ad viam iustitie, a qua vos deduxit tortuosa semita sinistre. Scimus equidem, spiritalis intelligentie vestre oculum nequaquam effugisse, quod Dominus ipse, qui eterno illo providentie ictu omnia simul complectitur, pro meritorum qualitate sententiam suam legitur mutasse simulque cum voluntate voluntatis actionem precidisse; cum eum aut oratio suorum impotentem reddidit, aut ira eius, miserorum gemitu victa, succubuit. Ipse princeps apostolorum, a minimo collegii illius consorte correptus, correctus est; nec veritus est cedere admonitioni iunioris, cuius zelum vidit in studio divini amoris.

Hoc celesti oraculo nos quoque admoniti, nobis ipsis renunciavimus et, priorem nostram vitam, si tamen vita est ad mortem ducens, iam pridem condempnantes, in ecclesie unitate renati, novam vitam in Christo ducimus. Ob maledicta et detractiones in ecclesia Dei lepra perfusi, extra castra seorsum a populo mansimus. Nunc autem, hysopo humilitatis et sanctificante penitentie aqua per manum magni sacerdotis mundati[1],

a. *Haec ep. posita est in Annalistae Saxonis cod. bibl. imp. Paris. lat.* 11851 (*olim Sangerman. cod.* 440) *fol.* 207. *Ediderunt Martene et Dur. Coll. I* 604; *ex eodem cod. in meum usum correxit Leopoldus Delisle.*

1. Ps. 50, 9: „Asperges me hyssopo et mundabor".

in castris Domini militamus. Inmundis spiritibus erroris expositi et immunditia hereticae fornicationis profanati, iam cum Maria Iesum videmus, videndo appropinquamus, appropinquando pedibus eius non sine officio inheremus. Nemo nobis insultet de sepultura quatriduani[1]. Ecce miseratio Altissimi; qui fetebat in monumento, resurrexit vivificante Domino ac, soluta per apostolos mortis fascia, absque sepulture indicio, exultans de salute, discumbit in convivio dominico. Fuit, fuit aliquando persecutor et blasphemus impugnans viam Domini, qui postea factus est dux verbi, qui mox apostolus pro se agens dixit: *Sed hec olim fuimus; sed abluti, sed sanctificati sumus*[2]. Certe, si magnus ille apostolus non mutasset sententiam negationis, non paulo post consecutus esset culmen apostolice dignitatis, sed nec evasisset penam eterne dampnationis. Non est enim remissa aut inefficax divina miseratio, ut, cum culpas gravissimas remittit, ex superhabundanti gratia largissima etiam non conferat pietatis munera. Ipsa illa columba, licet sero, vesperi licet ad arcam sit reversa, signum pacis, signum dilectionis ore referens, per ostium introgressa est. Preses enim arce antiquus, ostio aperto, manum extendit et per diversitatem donorum spiritalium receptam in superioribus arcae collocavit. Fel et acetum Dominus bibit, quia in Maria et latrone peccatores diversos sibi incorporavit. Spineam coronam portavit, quia regnum nobilissimum in gentilitate vitiorum aculeis asperrima sibi preparavit. *A diebus* inquit *Iohannis regnum celorum vim patitur, et violenti diripiunt illud*[3]. Si meretrices et publicani nos in regnum Dei precesserunt[4], que iam diffidentia nobis erit de salute? Ostium in celo apertum est, cena diu instructa est, tauri et altilia Dei iam dudum occisa[5], vocamur debiles ceci et claudi, immo tot preconum clamoribus ad celeste convivium compellimur. Quapropter, in Christo fratres carissimi, non erubesco me immutatum; sed gratias ago dextre Altissimi, cuius hec est

1098

1. Ioh. 12, 39: „Domine, iam foetet, quatriduanus est". 2. 1 Corinth. 6, 11: „Et haec quidem fuistis; sed abluti estis, sed sanctificati estis". 3. Matth. 11, 12. 4. Matth. 21, 31. 5. Matth. 22, 4.

1098 mutatio. Fateor, fateor et gratanter fateor, me cum omni mentis integritate in gremio sancte matris ecclesie familiariter consedisse, sepius illud revolvendo: *Unam petii a Domino, hanc requiram*[1]; et item: *Lavabo inter innocentes manus meas, et circumdabo altare tuum, Domine*[2]. Hec est enim illa dilecta speciosa et decora, non habens scismatis nec maculam falsitatis. Tota enim pulcra est, cuius speciem concupivit rex[3]. Quam qui noluerit habere matrem, Deum non poterit habere patrem. Hec sententia, Spiritus sancti auctoritate et antiquorum patrum sanguine conscripta et confirmata, celo ac terra permanentior in seculum durabit. Verum quia non filii patribus sed patres filiis thesaurizant, hanc plenariam ecclesie matris gratiam non mihi soli, sed et vobis filiis carissimis gaudeo collatam. Et nunc omnes spiritales merces ac dominicum talentum et preciosam pacis margaritam, quam negotiando lucratus sum, vobis filiis expono, ut vos quoque divites sitis in omni verbo et in omni scientia. Opto autem, omnes vos esse sicut me, exceptis privatis peccatorum meorum vinculis.

De cetero precamur et obsecramus, ut de collegio vestro, quos nostis idoneos, in Kalendis Decembris dirigere velitis, qui possint interesse conventui ecclesie, qui se in villa nostra ad honorem Dei colligere decrevit. Illic namque matris ecclesie facie exhilarati, colloquio informati, consilio roborati, plenissime cognoscetis, qualiter unius moris et cum consensu habitare possitis in domo Domini[4]. Obsecramus vos in domino Iesu, ut id ipsum dicatis omnes et non sint in vobis scismata[5], memores, quia vindex gladius idolatras prostravit, scismaticos vero hiatus terre obsorbuit. Deus pacis et dilectionis conservet vos in unitate spiritus et vinculo pacis, dilectissimi filii. Amen.

1. Ps. 26, 4. 2. Ps. 25, 6. 3. Ps. 44, 12. 4. Ps. 67, 7.
5. 1 Corinth. 1, 10: „Obsecro autem vos, fratres, per nomen domini nostri Iesu Christi, ut id ipsum dicatis omnes et non sint in vobis schismata“.

32. *Clemens III antipapa Moguntinos obedientia Rothardi archiepiscopi solvit*[a].

C(lemens) episcopus servus servorum Dei G(odeboldo) Mogontino preposito, universo quoque clero et populo, salutem et apostolicam benedictionem. 1099 Iul. 29

Quanta his temporibus aeclesiae vestrae calamitas ingruerit, quot persecutiones et mala circumquaque pertulerit, quantum aeclesiasticae disciplinae vigor in ea perierit, legatis nostris referentibus et maxime inculcantibus compertum est. Super hoc vehementissime dolemus; satis superque, quod Iesus novit, contristamur. Nec iam amplius pati possumus intactum, quod tanta pacientia tamque prolixis induciis hactenus distulimus inpunitum.

Poterat quidem sufficere, quod totiens repetitis vocationibus, adiunctis etiam vocationum causis, pastorem vestrum[1] vocavimus. Sed ne alicui videamur precipites, non piget etiam nunc vocationum causas et ipsos, per quos vocatus est, in medium adducere. Principio, de symoniaca heresi infamatus, a viris religiosis et quos ad vocationem auctoritas admittit multifarie super hoc impetitus, per Romanae aeclesiae cardinales Warinum, Anastasium et Adalmarium est vocatus. Et postea, cum venire nollet, ab episcopis Romanis Tiedrico Albanense et Ruopperhto Faventino, postremo etiam per Hugonem sacri palacii diaconum vocatus est. His omnibus inoboediens, non solum non venit, verum eciam, vicia viciis addens, crimina criminibus cumulavit, iniquitates iniquitatibus addidit et, ut ipsi melius scitis, quaedam sacrilega et divinae religioni omnino contraria perpetravit. Fidelitatem quippe, quam domino suo[2] iuravit, minime observavit; ad inimicos regni et sacerdotii et divinae legis contemptores se ipsum totum contulit; in dominum suum hostes quos potuit concitavit, vitae et coronae suae insidiator extitit, et quanta malignitate valuit adversus Dominum et adversus

a. *Descripsi ex cod. quondam ecclesiae S. Bartholomaei Francofurtensis n.* 64, *hodie bibl. civitatis Francof. membranaceo, in cuius folio novissimo haec epistola manu saec. XII posita est cum lemmate hoc:* Epistola Clementis papae. *Edidit Schunk Beiträge II* 115.

1. Rothardum archiepiscopum. 2. Heinrico IV.

1099 christum eius nequiter insurrexit. Huiusmodi factum sacris
Iul. 29 canonibus quam sit adversum, quam repugnans et contrarium, Toletana synodus denunciat, inter caetera dicens: *Quicunque qualibet coniuratione vel studio sacramentum fidei suae, quod pro conservatione regiae salutis pollicitus est, temeraverit, anathema sit in conspectu Dei patris et angelorum, atque ab aeclesia catholica, quam periurio profanavit, efficiatur extraneus et coetu christianorum alienus.*

Furtum postea cum sacrilegio committere non timuit. Calicem scilicet aureum Spirensis aeclesiae, quem a Iudeis accepit, interrogatus, se habere negavit; et postea, convictus et confessus, partem fragmentorum retulit; caetera se pollicens redditurum. Augustinus[a] inter caetera de huiusmodi dicit: *Qui Christi res et aeclesiae rapit, profecto sacrilegium facit et pro sacrilego habendus est; homicidium quoque merito ei impingitur, quia eo presente et precipiente occisus quidam fuisse multorum testimonio perhibetur.*

Hunc talem, tam detestabilem et omnino notabilem, sancta Romana aeclesia legitime vocavit, vocatum et venire nolentem canonice iudicavit, iudicatum condempnavit, condempnatum repudiavit, repudiato alterum loco suo subrogandum confirmavit. Canonum quoque censura precipit: ut, accusatus si infra annum causam suam agere contempserit, nulla vox eius postea audiatur. Bonifacius quoque papa in epistola sua[1] inter alia dicit: *Accusatus, si adesse neglexerit, dilationem sententiae de absentia sua non lucretur;* idem in eadem[2]: *Nullus dubitat, quod ita nocens iudicium subterfugit, quemadmodum, ut absolvatur, qui est innocens, querit.* Sed dicet aliquis: *Venire non potuit, dum vim metuit, cruciatus et mortem pertimuit.* Ad quod dicendum: quia, quales vellet, quales eligeret, dominus suus imperator obtulit obsides. Locus designatus, dies est determinatus, ubi

a. Aug̅ *c*.

1. Pseudo-isidoriana ad episcopos Galliae, v. Decretales Ps.-isidor. ed. Hinschius p. 555: „si adesse neglexerit, dilationem sententiae non lucretur de absentia". 2. ibidem: „Et nullus dubitat — quaerit".

coram domino suo et Romanis legatis libera sibi adhiberetur audientia. Sed versipellis vulpecula male sibi fidens, male sibi conscia, timens sibi de muscipula, dirupit consilia, dissipavit decreta, violavit foedera, neglexit sacramenta, tandemque se ipsum contulit ad hereticorum latibula. 1099 Iul. 29

Auctoritate igitur apostolorum fulti et nostra, ab oboedientia eius vos omnes absolvimus et, ut amplius nemo sibi communicet, sub anathemate interdicimus. Data per manus Tiedrici Albanensis episcopi 4[a] Kal. Augusti, defuncto Urbano[1] 6[b][2] Kal. Augusti sine viatico corporis et sanguinis Domini.

---

33. *Paschalis II papa Rothardo archiepiscopo Moguntino scribit de diutino sacerdotii regnique discidio, ex investitura coorto; de clericis et episcopis tempore schismatis ordinatis; de concilio aut in Germania aut in Italia habendo; de schismaticorum ecclesiis iterum consecrandis*[c].

Paschalis episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Rothardo Moguntino episcopo salutem et apostolicam benedictionem. 1105 Nov. 11

Sacerdotii ac regni grave iam diu scandalum fuit, quia, usurpantibus non sua regibus, ecclesia quod suae est libertatis amisit. Hanc profecto viam, hanc ianuam nequitiae suae Simon Magus invenit. Deum enim non nisi per praestigiosam investituram ecclesiasticos honores adipisci, mens ambitiosa credit[d]; et se ipsam curialibus subdit obsequiis, et regium cor amplioribus parat inclinare muneribus. Haec nimirum avaritia, sicut in regum libris legitur, antiquorum quoque temporum religionem evertit; sed erga huiusmodi praesumptores reges qualiter divina saevierit indignatio, in eisdem apicibus non siletur. Et vero magnum est filio flagitium, matrem addicere servituti, ut invita thalamos ineat, quos recusat.

a. IIII *cod.* b. VI *cod.* c. *edidit Gerberon in Picardi notis ad Anselmi archiepiscopi Cantuariensis epistolas, S. Anselmi Opp.* (*Parisiis* 1675) *p.* 573. d. credidit *ed.*

1. Urbano II papa. 2. immo 4 Kal. Aug.; v. Regesta pontificum Romanorum p. 477.

1105 Nov. 11 Super hoc negotio nova nos oportet solicitudine concitari, cum novi regni opportunitatem divina dispositio providit. Nos enim regibus, quae sui iuris sunt, integra servare optamus, nec in aliquo minuimus; dummodo ipsi sponsae sui Domini libertatem integram patiantur, quam sui meruit sanguine redemptoris. Sic agentes nostrum auxilium, nostrum consilium, concordiam nostram, nostram dulcedinem obtinebunt; alioquin tantam dominae ac matris nostrae indignitatem pati non possumus. Quid enim ad militem baculus episcopalis? quid anulus sacerdotalis? Habeant in ecclesia primatum suum, ut sint ecclesiae defensores et ecclesiae subsidiis perfruantur. Habeant reges, quod regum est; quod sacerdotum est, habeant sacerdotes. Sic pacem invicem teneant et se invicem in uno Christi corpore venerentur.

De ordinationibus clericorum, qui in nostri temporis schismate ordinati sunt, non aliud scribendum duximus, quam in Placentina synodo[1] per sanctae memoriae Urbanum, praedecessorem nostrum, deliberatum est. Porro episcopos[a], qui sub excommunicatione[b] in eodem schismate manus impositionem susceperunt, ad concilii sententiam deferendos arbitramur. Tantum enim tantarum personarum malum generaliter[c] deliberatione aut curandum est aut detruncandum.

De concilii autem loco vel tempore, si vestris in partibus celebrandum sit, tua interest, communicato fratrum consilio, nobis citius indicare. Optamus enim et vehementer opportunum est, ut vel apud vos per legatos nostros vel in Italia per nos largiente Domino peragatur. In quo de sacerdotii ac regni scandalo propulsando, pace stabilienda, communi per Dei gratiam deliberatione tractemus.

Sane de schismaticorum ecclesiis sanctae memoriae Iohannis papae verba mandamus. Ait enim episcopis per Italiam constitutis[2]: *Ecclesias Arrianorum ubicunque inveneritis, catholicas*

a. episcopis *ed.* b. excommunicationis *ed.* c. *an* generali?

1. anno 1095 habita, v. Regesta pontificum Romanorum p. 461.
2. in epistola Pseudo-isidoriana (Decretales Pseudo-isidorianae ed. Hinschius p. 696). Cf. Gratiani Decr. P. III De consecr. D. I c. 21.

eas divinis precibus et operibus absque ulla mora consecrate; in 1105
inferioribus et id ipsum in Constantinopolitanis partibus se fecisse commemorat, dicens: *Quascunque illis in partibus eorum ecclesias reperire potuimus, catholicas eas Domino opem ferente consecravimus.* Omnipotens Dominus, quem pacem nostram et salutem esse credimus, per industriam vestram, pacem ac salutem ecclesiae suae, miserationum suarum affluentia operetur. Datum Laterani 3 Id. Novembris. Nov. 11

---

34. *Rothardus archiepiscopus Moguntinus Gebehardum III episcopum Constantiensem hortatur, ut Moguntiam die 30 Martii ad Reinhardi episcopi Halberstadensis consecrationem veniat*[a].

Rothardus Mogontinus archiepiscopus sanctissimo et caris- 1107
simo fratri Constantiensi episcopo Gebehardo[1] confortari in Domino et in potentia virtutis eius[2].

Misericordie Dei altissimi gratias agere oportet, quia populus, qui diu sedebat in tenebris, lucem magnam vidit[3]. Sanctitati vestre non incognitum est, quanto tempore terra Saxonum penuria catholicorum episcoporum graviter laboraverit et quantas persecutiones Mogontina ecclesia ab invasoribus passa sit. Ad hoc malum extirpandum Halberstadensis ecclesia consensu domini nostri regis[4], consilio archiepiscoporum et episcoporum et voluntate aliorum principum, electione quoque cleri et populi fratrem nostrum Mogontine ecclesie canonicum[5] suscepit episcopum. Ad huius ordinationem et cetera ecclesiastica officia, vestro auxilio et consilio finienda, caritate qua debeo 3 Kalendas Aprilis Mogontiam fraternitatem vestram voco. Omnes suffraganeos Mogontine ecclesie ad eamdem diem litteris et nuntiis evocavi; et quomodo cum ipsis agere possim et debeam, in vestra maxima erit deliberatione. Speramus et oramus et, quo-

a. *Haec et duae quae sequuntur epistolae leguntur in Annalistae Saxonis cod. bibl. imp. Paris. lat.* 11851 (*quondam Sangerman. cod.* 440) *fol.* 212. *Ediderunt Martene et Durand Coll. I* 607—608; *ex eodem codice in meum usum correxit Leopoldus Delisle.*

1. III, 1084—1110. 2. Ephes. 6, 10. 3. Matth. 4, 16. 4. Heinrici V. 5. Reinhardum.

1107 modo debemus, monemus: ut, omni postposita excusatione, predicta die Mogontiam veniatis; et, si aliquo modo, quod absit, sanctitas vestra prepediatur, epistola vestra consensum et consilium nobis vestrum mittat.

---

35. *Reinhardus electus Halberstadensis Gebehardum III episcopum Constantiensem rogat, ut Moguntiae die 31 Martii consecrationi suae intersit*[a].

1107 Venerando et diligendo in Christo Iesu Constantiensi episcopo Gebehardo Reinhardus, Halberstadensis ecclesie electus episcopus, se et omnia sua in omnibus et ad omnia.

Scio, quod zelus domus Dei et cotidiana sollicitudo omnium ecclesiarum, que in vobis fuit et est, Halberstadensi ecclesie propitium vos faciat. Unde et multum sperans de tanti patris benivolentia, quia vos secundum apostolum Paulum omnibus impenditis et superimpenditis[1], ad consecrationem meam 2 Kal.[b] Aprilis[2] Mogontie pro dilectione Dei et liberatione ecclesie et respectu servitii mei vos posco venire; quia omnes filii ecclesie in negotiis ecclesie vestrum auxilium et consilium iudicant postulandum esse. Certum est, quia Spiritus sanctus, qui habitat in vobis, perficiet in vobis opus bonum, quod incepi. Nam lumen veritatis verbumque iustitie, quod barbara gens nostra per vos meruit cognoscere, per vos discet diligere. Ante omnia vos scire volo, quod ad onus durissime provincie imperio domini mei regis, violentia principum, nolens et reclamans raptus sum. Iterum lacrimis et clamoribus, quibus absens possum, ut principem ecclesie vos voco: ut vestro consilio et auxilio in me, inutili trunco, quod utile et honestum sit ecclesie, plantetur. Si vero, quod absit, vestra presentia carere contingat, ut in epistola consensum vestrum domno archiepiscopo mittatis, humiliter rogo.

---

a. *V. supra p.* 381 *n.* a. b. Kal. *scripsi pro* idus *c. Cf. ep.* 34 *et istius pag. not.* 2.

1. 2 Corinth. 12, 15. 2. Annalista Saxo (Mon. Germ. SS. VI 745) 1107: „Reinhardus Halberstadensis electus — Mogontie a Rothardo archiepiscopo 2 Kal. April. consecratur".

36. *Gebehardus III episcopus Constantiensis Rothardo archiepiscopo Moguntino respondet, se ad consecrandum Reinhardum episcopum Halberstadensem non esse venturum*[a].

Domino semper et ubique venerando Rothardo archiepiscopo 1107
Gebehardus, Constantiensis non merito sed nomine episcopus, fidele servitium et orationes.

Primum debitas patri luminum gratias ago, qui, ut vestris ex parte verbis utar, diu lippientibus Saxonum oculis et amorem intuende vere lucis contulit et virtutem. Specialiter autem congaudeo profectui Halberstadensis ecclesie, cui cum archiepiscoporum et episcoporum consilio, cum cleri simul et populi electione novus pontifex dicitur advenisse. Quid enim aliud de persona domni Reinhardi sentiam, nisi quod vere tanto ministerio aptus et nullatenus a sacris canonibus sit respuendus. Qui, sicut vestra testatur auctoritas, tam plenaria eorum quorum interest consensione probatur electus, vel potius, ut in litteris suis[1] dicit, raptus. Quod autem humilitatis mee presentiam ad cooperandum vobis in eius ordinatione postulatis, et ecclesie nostre nimis in tali tempore periculosum est[b] et mihi, tam laboribus quam etate confecto, difficillimum et vobis Dei gratia minus necessarium. Quapropter istas, tamquam presentie mee vicarias, et vestre paternitati et illius dilectioni litteras dirigo; quas ut mei loco dignanter suscipi iubeatis, obsecro. Omnipotens Deus sanctitatem vestram ad perfectum finem perducat. Amen.

---

37. *Paschalis II papa Gebehardum III episcopum Constantiensem reprehendit, quod investiti consecrationi interfuerit neque ad concilium venerit. Rothardum archiepiscopum Moguntinum et eius suffraganeos officiis interdictos nuntiat*[c].

Paschalis episcopus servus servorum Dei venerabili fratri 1107
G(ebehardo)[2] Constantiensi episcopo salutem et apostolicam benedictionem.

a. *V. supra p.* 381 *n.* a. b. est *addidi.* c. *ex cod. msc. XLVI bibliothecae Scafhusanae ad S. Ioannem edidit Neugart Cod. diplom. Alemanniae II* 42.

1. supra ep. 35 p. 382. 2. III.

1107 Pro multis laboribus tuis pepercimus, quod deliqueras. Iterum, etiam litteris nostris prohibitus, consecrationi eius, qui investitus erat, interfuisti. Vocatus ad concilium non venisti. Propter haec cum usque ad interdictionem tui officii iusticie gladius desevisset, preteritorum bene gestorum memoria et fratrum nostrorum nos supplicatio revocavit. Igitur etiam nunc ea tibi intentione parcimus, ut et de cetero prorsus ab huiusmodi presumptione desistas, nec te talibus commissis admisceas. Nolumus enim, ut iuventutis certamina tempore, quod absit, senectutis omittas. Noveris praeterea fratrem nostrum Moguntinum[1] cum omnibus suffraganeis suis praeter Babenbergensem[2] et Curiensem[3], qui synodo Longobardice[4] interfuit, pro concilii[5] absencia a suis officiis interdictos. Neque illud concilii statutum te lateat: ut, quisquis clericus deinceps investituram alicuius ecclesie et dignitates de manu laici susceperit et ipse et[a] qui ei manum imposuerit, gradus sui periculum subeat et communione privetur. Dat....

---

38. *Paschalis II papa Rothardum archiepiscopum Moguntinum vituperat, quod ad concilium non accesserit Udonemque episcopum Hildesheimensem restituerit. De concilio Trecensi significat. Monet, ut in viam redeat*[b].

1107 Pascalis episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Rothardo Mogontino archiepiscopo salutem et apostolicam benedictionem.

Quanto magis erga Romanam ecclesiam te hactenus obedientem fuisse et pro ea multa asseris sustinuisse, tanto in eam nunc gravius deliquisse comprobaris. Postquam enim sancta Romana ecclesia materna super te viscera laxavit et in suo te gremio misericorditer suscepit, vocatus ad concilium nec venisti nec canonicas excusationes pretendisti. Hildinisheimensem[6],

a. et *addidi.* b. *Haec ep. scripta est in Annalistae Saxonis cod. bibl. imp. Paris. lat.* 11851 (*quondam Sangerman. cod.* 440) *fol.* 212 *v. Ediderunt Martene et Durand Coll. I* 616; *ex eodem cod. in meum usum correxit Leopoldus Delisle.*

1. Rothardum. 2. Ottonem I. 3. Widonem. 4. Guastallae die 22 Oct. 1106 habitae. 5. Trecensis, circ. 23 Maii a. 1107 celebrati. 6. Udonem.

publice criminosum, post synodicam prohibitionem officio restituisti. 1107
In quibus magis homines quam Deum offendere metuisti; cum et, apostolorum canones et plurimorum sanctorum precepta contempnens, ad inobedientiam te transtulisti, quae primum hominem de paradiso expulit et Saulem irrecuperabiliter regno privavit.

Ne igitur in impositione manuum ulterius locum excusandi per ignorantiam habere possis, et illud apostoli dicentis: *Nemini cito manus imposueris, ne communices peccatis alienis*[1] et ex multis sanctorum patrum constitutionibus quaedam tibi scribere necessarium duximus. Ex canonibus apostolorum: *Si quis*[2] *episcopus, secularibus potestatibus usus, ecclesiam per ipsas obtineat, deponatur et segregetur, omnesque qui illi communicant.* Item ex concilio Antiocheno: *Si quis presbyter vel diaconus per secularem dignitatem ecclesiam Domini obtinuerit, et ipse et ordinator eius a communione modis omnibus segregentur et sub anathemate sint, sicut Simon Magus de Petro apostolo.* Item Stephanus martyr pontifex[3]: *Laicis, quamvis religiosis, nulla de ecclesiasticis facultatibus aliquid disponendi legitur usquam attributa facultas.* Item Symmachus: *Provida sententia enervari convenit et in irritum deduci, ne in exemplum remaneat presumendi: ne quibuslibet laicis, quamvis religiosis vel potentibus, in quacumque civitate quolibet modo liceat aliquid decernere de ecclesiasticis facultatibus, quas solis sacerdotibus disponendi a Deo cura commissa docetur.*

Nos quoque sanctorum canonum constitutiones sequentes cum fratribus nostris in Trecensi concilio statuimus: ut, quicumque clericorum de hac hora investituram ecclesie vel ecclesiastice dignitatis de manu laici acceperit, et qui ei manum imposuerit, gradus sui periculo subiaceat et communione privetur.

Tu vero, frater venerande, licet nunc usque horum preceptorum transgressor extiteris, tamen venerabilium fratrum no-

1. 1 Timoth. 5, 22. 2. „Si quis — communicant“ sunt in Gratiani Decr. P. II C. XVI qu. 7 c. 14. 3. in ep. Pseudo-isidoriana (v. Decretales Ps.-isid. ed. Hinschius p. 186). Cf. Gratiani decr. P. II C. XVI qu. 7 c. 24.

1107 strorum Treverensis[1], Constantiensis[2], Babenbergensis[3] episcoporum, Hirsaugiensis abbatis[4] precibus inclinati, misericorditer persone tue officia agenda indulgemus, si, preterita corrigens, horum preceptorum custos et observator extiteris. Alioquin nec in officiis tibi participabimus nec precibus pro te fusis aurem accommodabimus.

---

39. *Paschalis II papa Adelberto I archiepiscopo Moguntino mandat, ut de Herimanno episcopo Augustensi iudicium faciat*[a].

1116 (Nov.) Pascalis episcopus servus servorum Dei Adelberto venerabili fratri, Moguntino archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Super caetera horrenda et infamia, quae de persona Augustensis[5] iam dudum ad sedis apostolicae audientiam perlata sunt, nuper querelam Adelberti Augustensis civis lacrimabili suggestione suscepimus; quam nimirum personis ecclesiasticis et dicere et audire turpe est, sed ex ipsius Adelberti poteris relatione cognoscere. Tibi ergo, ad quem huiusmodi discussio pro metropolitanae dignitatis debito attinet, litterarum praesentium praeceptione iniungimus, ut huiusce negotii veritatem convocatis fratribus sollicita inquisitione discutias, et quod iustitia exegerit decernatis. Quod enim a vobis iuste et rationabiliter auctore Deo statutum fuerit, nos ratum habebimus.

---

40. *Adelbertus I archiepiscopus Moguntinus Augustensibus de epistola papae significat. Monet, nuntios ad se mittant*[b].

1116 (Dec.) Adelbertus, Dei repropitiante clementia devotus in Christo gregis Moguntini famulus, reverendo abbati[6] Eginoni una cum carissimis filiis, Augustensis ecclesiae fratribus et dominis, consilium paternae affectionis in spiritu divinae consolationis.

a. *Ex cod. tabularii ecclesiae Augustensis. Edidi in Uodalscalci de Eginone et Herimanno libro, Mon. Germ. SS. XII* 439. b. *Ex cod. tabularii ecclesiae Augustensis. Edidi in Uodalscalci de Eginone et Herimanno libro, Mon. German. SS. XII* 440.

1. Brunonis. 2. Gebehardi III. 3. Ottonis I. 4. Brunonis. 5. episcopi, Herimanni. 6. SS. Udalrici et Afrae.

Dilectioni vestrae, fratres amantissimi, insinuamus, litteras 1116 (Dec.) nos a sede apostolica nuper accepisse[1]; in quibus cum sit vestri illius episcopi[2] nobis iniuncta discussio, placuit summa diligentia id fieri ecclesiae nostrae et fratrum consilio, servato tenore canonico; ne vel actori causa pereat, vel summum pontificem indiligentiam nostram causari oporteat. Querimoniam universam, vobis notam, cum habeamus a praedicta sede remissam suo loco et tempore retractandam, illas domni papae bullatas transmittimus vobis exemplatas. Earum commoniti auctoritate, aut domnum abbatem aut quoslibet ex vobis idoneos praelatos vestros tempore Werzeburgensis curiae ad nos destinate. Tunc, quidquid nobis interim ecclesiae nostrae et fratrum suggesserit spiritus, per vestros vobis plenius intimabimus. Valete.

---

41. *Cuno episcopus Praenestinus, Adelberto I archiepiscopo Moguntino pallium apportans, Theogerum abbatem S. Georgii in Nigra Silva ad se vocat*[a].

Cuno Dei gratia Praenestinus episcopus et sanctae Romanae 1117 ecclesiae legatus dilecto fratri Theogero abbati[3] in cunctis huius vitae laboribus consolationem sancti Spiritus.

Religionis et honestatis vestrae fama et, quam habetis in veritatis defensione, constantia Romanae ecclesiae vos notum et acceptum fecit. Unde, cum in Gallias pro legationis nostrae officio venimus, Moguntinum archiepiscopum[4] pro pallio, quod ei apportamus, conventuri et quaedam praecipua cum eo et aliis tractaturi, vos etiam vocare necessarium duximus; ut vestrae paternitatis consilium et testimonium habeamus. Abbatem Sancti Clementis[5], qui vos ad colloquii nostri locum conducat, misimus; et ut cum eo absque ulla dilatione veniatis, rogamus et praecipimus.

---

a. *ex Parisiensi vitae Theogeri apographo. Edidi in Mon. Germ. SS. XII* 468.

1. v. ep. 39 supra p. 386. 2. Herimanni. 3. S. Georgii in Nigra Silva (postea episcopo Mettensi). 4. Adelbertum I. 5. Mettensis, Ancelinum; v. Gall. Chr. XIII 868.

42. *Adelbertus I archiepiscopus Moguntinus Eginoni abbati SS. Udalrici et Afrae Augustensi mandat, ut Herimannum episcopum ad bonam frugem revocet*[a].

1118 Adelbertus Dei gratia Mogontinae sedis archiepiscopus domno Eginoni abbati Augustensis coenobii cum ceteris fidelibus ecclesiae catholicae membris coalescere in corpus Christi in spiritu unitatis.

Iam dudum clamor ascendit in coelum super eo[1], qui vester dicitur episcopus, atque ab ipsa, ut nostis, apostolica sede querimoniae seriem et praeceptum discutiendi illum accepimus. Quia vero caritas numquam excidit[2] et odientes etiam diligit, ex superhabundanti, si fieri potest, fugientem revocaremus et magnis vulneribus magna medicamenta componeremus, si aegrotus vester se ipsum recognosceret et medicum etiam vocantem non detrectaret. Nunc ergo quoniam vos ista causa vocat, in quamcumque partem ceciderit, consilium videtur, quatenus ex nostra commonitione viva illum voce conveniatis, ut resipiscat, ut saluti suae nunc saltem consulat, excommunicationis contagia deserat, et non usque in finem praevaricando excedat. Nostis, novit et ipse, quam horribili criminatione distractus, ab ipso beati Petri vicario sit longo iam tempore officio suspensus, neque tamen adverterit; qualiter etiam excommunicatione se contaminaverit et nullam salutis viam exinde quaesierit. Proinde sicut nos quod nostrum est, ita et vos quod vestrum est facite. Ecclesiastica correptione illi intimate, quia vicinior erit illi via salutis, si se ipsum humiliaverit et veniam quaesierit, quam si audientiam synodalem expectaverit, ubi iudicem in neutram partem flecti oportebit. Quodsi vestrae fraternitatis verba et nostra haec monita non attenderit, illi interim, praeter iam vetitum officium, cleri populique obedientiam avertimus, quia ipsum irrevocabilem et inobedientem iudicamus.

a. *Ex cod. tabularii ecclesiae Augustensis. Edidi in Uodalscalci de Eginone et Herimanno libro, Mon. Germ. SS. XII* 441.

1. Herimanno episcopo Augustensi. 2. 1 Corinth. 13, 8.

43. *Adelbertus I archiepiscopus Moguntinus Augustenses ad synodum Frideslariensem vocat*[a].

Sanctae Augustensis ecclesiae filiis et fratribus cum Egi- 1118
none, abbate Sancti Uodalrici et Sanctae Afrae, Adelbertus Mogontinae sedis minister indignus fraternam dilectionem cum oratione.

Quod proxime a domno Praenestino[1], Romanae sedis legato, apostolica auctoritate denuntiatum fuit vobis, nos quoque eadem denunciamus vobis. Sed quia haec neglexistis, nec vos nec ille[2], quem dicunt episcopum vestrum, sancto concilio[3] interfuistis, ipsum quidem, quia iam diu a domno papa episcopali et sacerdotali suspensus est officio, communione corporis et sanguinis Domini usque ad satisfactionem privatum esse sciatis; vos autem, adhuc nostra intercessione dilatos, idem tamen subituros, nisi sancto concilio, Frideslariae 5 Kal. Augusti[4] celebrando, abbates et praelatos ecclesiae vestrae interesse faciatis. Quod quidem, sicut in mandato accepimus, apostolica auctoritate et nostra praecipimus.

Praeterea super querela illius vestri Adalberti nos eadem firmasse, quae apostolicam sedem fecisse cognovimus, fraternitati vestrae notificamus. Adulterum enim et adulteram et omnes consentientes excommunicavimus. In qua dampnatione vester dictus episcopus non excipitur; quia, non faciendo iustitiam patienti iniuriam, consensum crimini adhibere probatur.

---

44. *Adelbertus I archiepiscopus Moguntinus Hildesheimenses hortatur, ut usque ad diem 4 Maii 1119 episcopum eligant*[b].

Dilectis in Christo Hildinisheimensis aecclesiae filiis, prae- 1119
posito et decano, caeterisque confratribus A(delbertus) Dei gratia

a. *Ex cod. tabularii ecclesiae Augustensis. Edidi in Uodalscalci de Eginone et Herimanno libro, Mon. Germ. SS. XII* 441. b. *ex cod. bibliothecae regiae Berolinensis, theol. lat.* 4° 169 *membr. saec. XII, descriptam hanc epistolam mihi concessit Augustus de Druffel.*

1. Cunone episcopo Praenestino. 2. Herimannus. 3. Coloniae m. Maio 1118 acto. 4. d. 28 Iulii 1118.

1119 humilis Moguntinae minister aecclesiae spiritum consilii atque timoris Domini.

Iam, fratres karissimi, intellexistis, quanta patientia vos usque nunc sustinuerit mater vestra, quomodo nihil durum facto vel dicto hostenderit longanimitas nostra. Tempus quidem et res exigebat, ne circa vos efficatius aliquid ageremus[a]. Sed non sine deliberatione locum vobis dedimus, si forte ipsi faceretis officium salutis vestrae. Scitis enim, quia non est vita membris sine capite et quomodo tam vivida membra moram fecistis, tam evidenter commoniti et via ostensa, omne dubium abicere et catholicum caput huic ecclesiae suscitare. Maxime cum sederint animis vestris: quae Gandirshem ordinę suo sint dicta ac responsa; qua ratione, que videbatur electio[1], cassata et inventa est minus habens[b], eo quod non processerit canonicę facta; que etiam examinatio, inter electionem et consecrationem media, est coram potestativo Romanae sedis legato[2] et nobis aliisque confratribus nostris celebrata.

Quod cum fuerit vestrum attendere et proprium consilium[c] super hac re aut nobis ostendere aut a nobis exquirere, iam nunc, etiamsi vos tacendo salutem vestram negligitis, officii nostri est hoc non pati, set ultro tamquam fratribus, quod salubre est, offerre. Immo etiam ex debito vicis apostolicae nobis commisse habemus vos tamquam filios ad haec agenda compellere. Quae enim est umbra in figura arboris, quam tam diu sine fructu terram vestram occupare passi estis? Nunc igitur rogamus, monemus, per obedientiam praecipimus: quatinus, postposita retractione, canonicam electionem faciatis usque in dominicam *Vocem iocunditatis*[3], electumque consecrandum Erphisfurd nobis in ascensione Domini[4] offeratis. Quodsi etiam pars aliqua

a. agere *c.* b. *an* habilis? c. consili *c.*

1. Bruningi episcopi Hildesheimensis, 1115—1119. 2. Cunone episcopo Praenestino, quem die 6 Iulii 1118 in monasterio Corbeiensi fuisse, intelligimus ex Vita Theogeri (Mon. Germ. SS. XII 474). Quare etiam congressum illum Gandersheimensem, cuius mentio hac in epistola fit, circiter eodem mense Iulio a. 1118 habitum esse censeo. 3. 4 Maii 1119. Mandatum hoc ab Hildesheimensibus neglectum est; v. Regesta pontif. Roman. p. 529 n. 4933. 4. 8 Maii 1119.

ex hac massa in unum non consenserit et cisma facere temptaverint vestrae electioni, sanior tamen pars et catholica celebret et impleat electionis officium a nobis delegatum. Quia, etsi maior fuerit numerus renitentium, maior tamen erit[a] apud Deum et nos obedientia pauciorum unanimitate et opere catholicorum. Non est enim, quod valeat aut debeat quisquam vestrum excusationis seu occasionis praetendere in[b] hominio facto sive in iuris iurandi obligatione; cum non sit iustum aut bonum, quod specie[c] boni impedit fieri iustum et bonum; et non est sacramentum, quod vetat diligi[d] episcopalę sacramentum; neque abutendum est nomine Domini in detrimentum honoris nominis Domini. Si autem hoc praeceptum obedientiae usque in praenotatam dominicam non exequimini, et recusatis facere alterius electionem personae, quam vos possitis offerre[e] et ego consecrare; iam nunc denuntio, ab illo die vos divino cessare officio. Eos autem, qui pertinatia et obstinato animo renisi fuerint, ab inde Spiritus sancti iudicio sequestrabimus a matris ecclesiae gremio. Valete. 1119

---

45. *Fridericus I archiepiscopus Coloniensis Adelbertum I archiepiscopum Moguntinum aliosque principes hortatur, ut ecclesiae contra Heinricum V imperatorem succurrant*[f].

Venerabilibus dominis et fratribus A(delberto) Moguntino archiepiscopo, R(einhardo) Halverstadensi episcopo et reliquis episcopis, duci L(othario) ceterisque principibus Saxoniae, F(ridericus) Dei gratia sanctae Coloniensis ecclesiae humilis minister, consortes fore illius pacis, quae nuntiata est hominibus bonae voluntatis[1]. 1119

Vineam Domini, de ignorantiae huius Egipto translatam[2], vindemiant omnes, qui praetergrediuntur viam[3], et singularis ferus depastus est illam, ita ut iam penitus aper de silva ex-

a. ert̄ *c.* b. ı *c.* c. sp̄e *c.* d. dirigi *c.* e. efferre *c.* f. *ex codice bibliothecae regiae Berolinensis, theol. lat.* 4° *n.* 169 *membr. saec. XII, cognitam hanc epistolam mihi concessit Augustus de Druffel.*

1. Luc. 2, 14. 2. Ps. 79, 9. 3. Ps. 79, 13.

1119 terminet eam[1]; nisi, orationibus vestrae fraternitatis conversus ad misericordiam, virtutum Dominus de caelo respiciat et videns visitansque eam[2], quam plantavit dextera eius, clementi eandem bonitate perficiat[3]. Ecce enim, dum quadam spe recuperandi regem[4] studere crederemus pacis pulcritudini, serpentinae calliditatis pervicatia Evam decepturus, quietis nostrae simplicitatem temptator est aggressus; simplicioribus nostris pacem pollicens, indissolubilem sacerdotii et regni concordiam repromittens, si rex fines nostros attingeret; quia nostro et aliorum catholicorum consilio indubitanter sese crederet.

Hac spe quibusdam inductis, qui ei viam pararent, Aquis venit. Nostrum colloquium multis nuntiis expetiit; pollicens, se facturum, quicquid placeret nostro consilio, tam de pace ecclesiastica quam de promulgata in eum sententia[5]. Ne igitur videremur paci nulli studere, licet de capitis nostri discrimine ibidem ageretur, illuc tamen accessimus. Sed de his, quae promissa erant, nihil invenimus; ipso rege ad hoc tantum nitente, ut per nos ei pateret civitatis nostrae introitus. Cum autem obnixe rogaremus, ne id vellet facere et tante civitatis populum communione sua polluere, servitiumque et procurationem ei offerremus extra urbem in quacunque sua curia, non adquievit. Immo, quibusdam civibus pecunia corruptis, sedicionem inter eos concitavit; et cum tali divisione partium, aliis volentibus aliis nolentibus, civitatem intravit[6]. Nos autem, cum catholicis tam laicis quam clericis extra urbem nos recipiendo, divinum officium in civitate fieri prohibuimus; si forte, ecclesiastica correpti censura, audiant et convertantur et condigna satisfactione curentur. Quae autem mala miser populus extra civitatem pertulerit, quibus exactionibus quibusve direptionibus et hospiciis gravatus sit, sine lacrimis dicere nequaquam valemus; quoniam suspiravi-

1. Ps. 79, 14. 2. V. Ps. 79, 15. 3. V. Ps. 79, 16. 4. Heinricum V imperatorem. 5. excommunicationis sententia, a Calixto II papa in synodo Remensi prolata die 30 Octobris 1119. V. Regesta pont. Rom. p. 530. 6. Annales Colonienses maximi (Mon. Germ. SS. XVI) 1119: „Imperator a Coloniensibus honorifice excipitur, episcopo absente; unde episcopus divinum officium Coloniensibus interdicit“.

mus[a] pacem et non venit, quaesivimus bona et ecce turbatio[1], 1119
cum desolatur terra tamquam in vastitate hostili.

Quodsi pergit ecclesiam Dei, sicut coepit, dissipare et nos et nostros atrocius infestare, in ea fide, qua de vobis confidimus, karitatem vestram in Christo obsecramus, quatinus periclitanti ecclesiae tam debito quam promisso auxilio velitis succurrere. Et ut status eius intentionem, exquisitam diligentius, vobis valeamus significare cercius, in proximo diem constituite colloquii, ubi nostri vos conveniant nuntii; quatinus in illorum praesentia disponatis, si necesse fuerit, de ope nobis ferenda et de terra vestra contra hanc pestem munienda.

Etenim ad cognoscendam ipsius in causa ecclesiastica intentionem, opere precium est, literas perlegere, quas suis fidelibus statuit Romam mittere. In quibus evidenter perpenditur, quia pertinaci studio ad delendum de terra nomen Christi nititur, ad scindendam eius vestem inconsutilem quibuscumque modis potest incenditur. Ut enim de nostro et domni mo....

---

46. *Adelbertus I archiepiscopus Moguntinus Calixto II papae suadet, ut expulsum ab Heinrico V imperatore Cononem episcopum Argentinensem tueatur*[b].

Calixto beatissimo domino suo et patri universalis ecclesie 1122-1123
A(delbertus), Dei et sui gratia quicquid est, debitam cum omni devotione obedientiam.

Debite humilitatis et devotionis obedientia singula, que circa nos aguntur, ad maiestatis vestre audientiam perferenda putavimus; quatenus et a nobis negligentie culpam removeamus et, quantum nostre parvitatis est, in his, que nobis notiora sunt, serenitatem vestram premuniamus. Frater noster Cono Argentinensis episcopus statim post Remense concilium[2] misericordiam postulavit et a cardinali sancte Romane

a. *sic scripsi pro* sustinuimus *c.* b. *Posita est haec epistola in Annalistae Saxonis cod. bibl. imp. Paris. lat.* 11851 (*quondam Sangerm. n.* 440) *fol.* 225. *Ediderunt Martene et Durand Coll. I* 676; *ex eodem cod. in meum usum correxit Leopoldus Delisle.*

1. Cf. Ierem. 14, 19. 2. m. Oct. 1119 habitum.

1122-1123 ecclesie absolutionem recepit. Qui cum prius in obsequio regis assidue fuisset, sepe eum commonuimus, ut ecclesie Dei obediret. Et ut hac via magis proficeremus, canonicis, ut ab eius errore recederent et ad unitatem pacis Christi redirent, multotiens scripsimus. Illi vero non tantum inobedientes permanserunt, sed vestre auctoritatis litteras, quas novissime in id ipsum eis transmisimus, aperire et legere contempserunt. Postquam autem absolutus fuit episcopus, corde et corpore ab imperatore se subtraxit et in servitio ac fidelitate ecclesie, utcumque iniustus et peccator, fidelis tamen et utilis veritatis assertor permansit. Omnimodis eum persecuntur[1] et — cum, iudicio fratrum nostrorum, canonicam et vocem et audientiam amiserint — omnibus quibus possunt insidiis eum circumveniunt. Hac occasione accepta, imperator tam gravi eum odio persecutus est, ut omnibus rebus suis eum abraserit et de civitate expulerit[2]. Quod totum assecutus est imperator compositione huius pacis[3]. Quia ante adversus episcopum prevalere non potuit, ex quo, ab eo recedens, episcopus ad ecclesiam rediit. Nam, priusquam ad ecclesiam rediret, inter primos amicos imperatoris habebatur. Hec non ideo dicimus, ut iniustitiam episcopi studeamus defendere vel approbare; sed ideo in Deo coram Christo loquimur, quia, si tam absoluta potestas imperatori conceditur seviendi in qualemcumque istum episcopum, reliquis fidelibus, qui cum ecclesia Dei permanserunt, scandalum et intolerabilis persecutio generabitur. Propter quod, si vestre discretioni placeret, nostre humilitatis consilium seu potius devotissima supplicatio hec esset: ut ad presens severior disciplina eius correptionem dissimularet. Quia sic dispensatio vestra grassantis hominis impetum in ceteros fideles inhibere poterit, et suo loco et tempore de prefato episcopo plenam iustitiam ecclesia Dei obtinebit.

1. canonici Argentinenses. 2. Cononis deiectionem alii ad a. 1122 alii ad a. 1123 referunt. 3. m. Sept. a. 1122 conciliatae.

47. *Laurentius abbas et monachi S. Vitoni Virdunenses Adelbertum I archiepiscopum Moguntinum rogant, agat, ut Heinricus I episcopus Virdunensis ablata sibi restituat*[a].

Alberto, amico suo, Dei gratia Moguntino venerabili archie- 1123-1124
piscopo, sedis apostolicae legato, Laurentius[1] et congregatio ecclesiae S. Vitoni in suburbio Virdunensi devotam subiectionem et fideles in Deo orationes.

Novit terra et omne imperium devotionem fidelissimam et amorem, quem habetis erga Romanam ecclesiam. Et quia illam super aurum et topazion[2] et super omnem salutem dilexistis, pro eius defensione multos labores et pericula multa et adversa sustinuistis. Benedictus Deus, qui dedit vobis et velle et posse.

Concordiam etiam inter regnum et sacerdotium, quam afflicta diu desiderando ecclesia expectavit, post tanta mala et seditiones per vos maxime recipere meruit[3]. Nec inconsulta tamen et inconsiderata eadem concordia processit; quia inter salutaria, quae ibi determinastis, pietatis consilio inventum et constitutum est: ut exspoliatae ecclesiae vel omnes, qui tempore seditionis occasione illius discordiae iura sua et possessiones perdiderant, illibata reciperent.

Et quia nos quoque quaedam, quae ab antecessoribus Virdunensium episcopis, fundatoribus scilicet ecclesiae nostrae, nobis collata sunt et privilegiis apostolorum et imperatorum olim roborata, pro eadem discordia nuper perdidimus, pace facta, voluimus reverti ad iura nostra. Et prolatis privilegiis, convenimus domnum Henricum[4] episcopum nostrum: ut, quia se amicum et obedientem Romanae ecclesiae profitebatur, nobis ablata pacifice restitueret. Sed nullo modo adquievit. Nobis ergo iterum atque iterum eadem repetentibus illoque iustitiam non recipiente, compulsi sumus Romam adire et domno papae C(alixto)[b] causam nostram suggerere. Ille autem, nobis compatiens, querimoniam

a. *„ex archivio S. Vitoni" ediderunt Martene et Durand Thes. anecd. I* 374.
b. *sic scripsi pro:* O *ed.; cf. Laurentii de Leodio gesta episcoporum Virdunensium, Mon. Germ. SS. X* 506.

1. abbas S. Vitoni Virdunensis. 2. Ps. 118, 127. 3. anno 1122.
4. I 1117—1129.

1123-1124 nostram benigne recepit; et missis per nos litteris suis eidem, ut ablata nobis restitueret, praecipiendo mandavit. Qua interpellatione cognita et praeceptione audita, maiorem in nos animositatem episcopus sumsit, ut non solum ablata non restitueret verum etiam et huc usque a nobis possessa modo auferret. Nos autem per antiqua privilegia et per viventes testes et per litteras domni papae parati eramus iustitiam nostram testificando defendere. Sed ipse nihil horum recepit.

Hac ergo necessitate auribus quoque vestrae excellentiae molestiam inferre compellimur; rogantes eminentissimam pietatem vestram: ut inter maximos honores vestros humilitatem nostram valde vobis devotam respicere dignemini, et pro salute animae vestrae nobis in causa nostra subveniatis; quatenus, qui tantorum honorum dignitatum et ordinationum prudentissimum iudicem et potentissimum dominum interpellare praesumimus, non repulsam sed iustitiae misericordiam nos invenisse gaudeamus. Et quidem nunc pro malis patriae, nunc terrae continua sterilitate ad tantam inopiam redacti sumus, ut etiam panem vix cum discrimine ecclesiae nostrae habeamus. Cum ergo ad vos isdem dominus venerit vel si non venerit, memores estote nostri et agite: ut secundum praeceptum domni papae, cuius vices geritis, nobis ablata restituantur. Scimus quidem, quia multas vobis praetendet occasiones; sed nos vobis non nisi veritatem secundum antiqua privilegia et testimonium adhuc viventium testium loquimur. Memoriae vestrae et misericordiae totum attribuemus, si per auxilium gratiae vestrae ablata, quae proclamamus, recipere meruerimus. Omnipotens Deus vitam vestram ad defensionem ecclesiae et imperii per tempora longa custodiat.

---

48. *Gerhardus presbyter cardinalis et apostolicae sedis legatus Udalscalcum abbatem SS. Udalrici et Afrae Augustensem confirmat*[a].

c. 1130 Gerhardus[b], sanctae Romanae ecclesiae presbyter cardinalis[1]

a. *ex Willelmi Wittweri catalogo ms. abbatum SS. Udalrici et Afrae, saec. XV exarato, qui in tabulario episcopali Augustensi servatur. Edidi Mon. Germ. SS. XII* 431.
b. Frater Gebehardus *c*.

1. Sanctarum Aquilae et Priscae, postea sanctae Crucis in Ierusalem.

et apostolicae sedis legatus, in Christo plurimum dilecto fratri c. 1130
Uodalscalco, ecclesiae sancti Udalrici et sanctae Afrae venerabili abbati, et cunctis fratribus in Domino sub eo militantibus, salutem et omne bonum.

Relatione catholicorum et fidelium virorum manifeste comperimus, quod post obitum bonae memoriae Eginonis abbatis[1] fratres tui communiter et concorditer te in abbatem elegerunt. Cui electioni apostolicae sedis legati, G(uillelmus) Praenestinus, A(zzo) Aquensis episcopus, A(delbertus) Moguntinus archiepiscopus, ad quem ecclesia tua iure metropolis pertinet, fraternitatem tuam sat renitentem assensum praebere coegerunt; et, ut de more ecclesiae tuae ab H(erimanno) Augustensi episcopo, qui tunc apostolicae sedis gratiam et ecclesiae communionem habebat, investituram et benedictionem reciperes, praeceperunt. Sed quia eadem persona plerisque catholicis viris est suspecta et in ordinibus a pluribus vitatur, ne pro benedictione ab eo suscepta scandalum vobis possit oriri, quadam pia sollicitudine dubitatis. Ne igitur personae vestrae in posterum pro eadem benedictione aliquod scandalum aut calumnia oriatur, nos apostolicae sedis auctoritate, quod in persona vestra a praedicto fratre factum est, ratum haberi censemus; et, ut nulli de cetero pro eadem causa contra vos calumniam aut querimoniam movere liceat, omnimodis prohibemus. Praeterea cantum, quem de patrono vestro, sancto Udalrico, precibus venerandae memoriae Udalrici Constantiensis episcopi et fratrum tuorum petitione composuisti, in ecclesia vestra ad eiusdem sancti honorem frequentari et sollempniter decantari volumus et mandamus.

---

49. *Adelbertus I archiepiscopus Moguntinus Heinrico II episcopo Olomucensi concedit, ut sedem episcopalem ex veteri ecclesia in alium locum transferat*[a].

A(delbertus) Dei gratia Magontinus archiepiscopus et apo- 1131

a. *Ex duobus, qui in tabulario capituli Olomucensis servantur, codicibus saec. XII, n.* 202 *et* 205 *edidit Boczek Cod. diplom. et epist. Moraviae I* 203.

1. qui obiit d. 15 Iulii 1120. V. Uodalscalcum de Eginone et Herimanno, Mon. Germ. SS. XII 447.

1131 stolice sedis legatus H(einrico) dilecto in Christo fratri Moraviensi episcopo salutem.

Translationem illam[1] immo utilem commutationem, quam fraternitas tua facere intendit, pro qua et nos consuluit, idcirco nobis honestam et necessariam assumimus, quia et ratio eam non reprehendit et canonica auctoritas eam fieri posse non contradicit. Quapropter, in Christo dilecte frater, pie petitioni tue debite caritatis assensum prebentes, mandamus et mandando consulimus: ut, quod fieri oportet, fiat communi assensu fratrum tuorum; et in ecclesia, a qua recedendum pro suis angustiis et nimia eius parvitate videtur, divini officii celebratio, prout Deo dicato loco expedit, a tua sollicitudine provideatur.

---

50. *Innocentius II papa Adelberto I archiepiscopo Moguntino mandat, ut familiam monasterii S. Emmerammi Ratisbonensis contra Sigebotum tueatur*[a].

1137 Mart. 26 Innocentius episcopus servus servorum Dei venerabili fratri A(delberto) Maguntino archiepiscopo, apostolicae sedis legato, salutem et apostolicam benedictionem.

Lator praesentium Gerhardus, ad nos veniens, adversus Sigebotum militem questus est, quod, cum ipse et consanguinei eius de familia beati Emmerammi existant, idem Sigebotus eos[b] in propriam servitutem vendicare conetur. Eapropter fraternitati tuae rogando mandamus, quatenus contra vexationes eiusdem Sigeboti praefatum Gerhardum eiusque consanguineos in sua iustitia manuteneas. Et si idem S(igebotus) eos contra iustitiam gravare praesumpserit, debitam in eum sententiam proferas. Data Viterbii 7 Kal. Aprilis.

---

a. *Edidit Pez Thesaur. anecdot. I* 3 *p.* 136. b. eos *addidi.*

1. sedis episcopalis ex ecclesia S. Petri in ecclesiam S. Wenceslai. V. Annal. Gradicenses 1131 et Vincentii Prag. annales 1141, Mon. Germ. SS. XVII 650 et 659.

51. *Bernhardus abbas Claraevallensis Henrico I archiepiscopo Moguntino de Iudaeorum occisione, a Rudolpho monacho concitata, respondet*[a].

Venerabili domino et carissimo patri Henrico Moguntino archiepiscopo Bernardus Clarae vallis abbas, invenire gratiam apud Deum. 1146

Litteras dilectionis vestrae debita veneratione suscepi; sed prae multitudine negotiorum brevis est responsio. Depositum querelae vestrae apud nos signum est et pignus dilectionis, et praecipuae humilitatis indicium. Quis enim ego sum aut quae domus patris mei, ut ad me referatur archiepiscopi contemptus et metropolitanae sedis iniuria? Nonne ego sum puer parvulus, ignorans introitum et egressum meum[1]? Verumtamen non ignoro verbum veritatis usque quaque, quod ex ore Altissimi procedit: *Necesse est ut veniat scandalum; vae autem illi, per quem venit*[2].

Homo ille[3], de quo agitur in litteris vestris, neque ab homine neque per hominem sed neque a Deo missus venit. Quodsi se monachum aut eremitam iactat, et ex eo sibi assumit libertatem vel officium praedicationis, potest scire et debet, quod monachus non habet docentis sed plangentis officium[4]; quippe cui oppidum carcer esse debet et solitudo paradisus[5]. Hic vero a contrariis et solitudinem pro carcere et oppidum habet pro paradiso. O hominem sine pectore; o hominem sine fronte, cuius stultitia elevata est super candelabrum, ut appareat omnibus, qui sunt in domo[6]. Tria sane sunt in eo reprehensione dignissima: usurpatio praedicationis, contemptus episcoporum,

a. *Hanc S. Bernhardi ep.* 365 *edidit Mabilio* (*Opp. S. Bernh. Parisiis* 1719, *I* 331). *Docent Martene et Durand* (*Coll. ampl. I* 745) *in Aquicinctensi epistolarum S. Bernhardi codice huic epistolae praemissa haec esse:* Ad Henricum Moguntinum archiepiscopum contra fratrem Rodulfum, qui neci Iudaeorum consenserat.

1. 3 Reg. 3, 7. 2. Matth. 18, 7. 3. Rudolphus monachus; de quo v. Ottonis Frising. de gestis Friderici I L. I c. 37. 4. Hieronymi libri contra Vigilantium cap. 16 (opp. ed. Vallarsius II 401): „Monachus autem non doctoris habet sed plangentis officium“. 5. Hieronymi ep. 125 ad Rusticum (opp. I 931): „Mihi oppidum carcer et solitudo paradisus est“. 6. Matth. 5, 15.

1146 homicidii approbati libertas. Novum genus potentiae. Numquid tu maior es patre nostro Abraham? qui eodem prohibente gladium deposuit, quo iubente levaverat[1]. Numquid tu maior es principe apostolorum, qui quaesivit a Domino: *Domine, si percutimus in gladio?*[2] Sed instructus es omni sapientia Aegyptiorum, id est sapientia huius mundi, quae stultitia est apud Deum[3]. Aliter solvis quaestionem Petri, quam ille qui dicit: *Mitte gladium in locum suum. Omnis enim, qui acceperit gladium, gladio peribit*[4].

Nonne copiosius triumphat ecclesia de Iudaeis, per singulos dies vel convincens vel convertens eos, quam si semel et simul consumeret eos in ore gladii? Numquid in cassum constituta est illa universalis oratio ecclesiae, quae offertur pro perfidis Iudaeis a solis ortu usque ad occasum, ut Deus et dominus auferat velamen de cordibus eorum, ut ad lumen veritatis a suis tenebris eruantur[5]? Nisi enim eos, qui increduli sunt, credituros speraret, superfluum videretur et vanum orare pro eis. Sed considerat oculo pietatis, quod Dominus habet respectum gratiae apud eum, qui reddit bona pro malis[6] et dilectionem pro odio. Ubi est ergo illud quod dictum est: *Videas, ne occidas eos*[7]*?* Ubi est: *Cum plenitudo gentium intraverit*[8], *tunc omnis Israel salvus fiet*[9]*?* Ubi est: *Aedificans Ierusalem Dominus, dispersiones Israelis congregabit*[10]*?* Tune es ille, qui mendaces facies prophetas, et evacuabis omnes thesauros pietatis et misericordiae Iesu Christi? Tua doctrina non est tua, sed eius qui misit te[11] patris. Sed credo sufficit tibi, si sis sicut magister tuus. Ille enim erat homicida ab initio, ille mendax et pater mendacii[12]. O monstruosa scientia; o sapientia infernalis, contraria prophetis, et apostolis inimica, subversio pietatis et gratiae; o immundissima haeresis; o meretrix sacri-

1. V. Genes. 22. 2. Luc. 22, 49. 3. 1 Cor. 3, 19. 4. Matth. 26, 52. 5. Missale Romanum, feria VI in parasceve: „Oremus et pro perfidis Iudaeis, ut Deus et dominus noster auferat velamen de cordibus eorum ... ut, agnita veritatis tuae luce, a suis tenebris eruantur“. 6. Cf. Rom. 12, 17. 7. Ps. 58, 12. 8. Rom. 11, 25. 9. Rom. 11, 26. 10. Ps. 146, 2. 11. Cf. Ioh. 7, 16. 12. Cf. Ioh. 8, 44.

lega, quae, impraegnata de spiritu falsitatis, concepit dolorem 1146
et peperit iniquitatem[1]. Libet, sed non licet ultra progredi. Ad ultimum, ut omnia, quae sentio super his, breviter comprehendam: homo est magnus in oculis suis, plenus spiritu arrogantiae; verba et opera eius praetendunt, quod conatur sibi facere nomen iuxta nomen magnorum, qui sunt in terris; sed non habet sumptus ad perficiendum. Vale.

---

52. *Eugenius III papa Henrico I archiepiscopo Moguntino mandat, qui se nuntios sedis apostolicae esse mentiantur, ut eos capi iubeat*[a].

Eugenius episcopus servus servorum Dei venerabili fratri 1149
Hen(rico) Maguntino archiepiscopo salutem et apostolicam bene- Oct. 25
dictionem.

Pervenit ad aures nostras, quod quidam pseudonuncii per partes vestras sub nomine nostro discurrunt et indebitis exactionibus fideles ecclesie fatigare presumunt. Quia ergo tante presumtionis audatia ad infamiam sancte Romane ecclesie et nostram spectare dinoscitur, per presentia tibi scripta mandamus: quatinus tam per te quam per episcopos ecclesie tue suffraganeos circumvagationes talium studiose ac diligenter attendas et, si aliquis ad manus tuas vel suffraganeorum tuorum devenerit, et precipue Ildebrandinus, quondam dilecti filii nostri Iacinti diaconi cardinalis[2] serviens, capi facias et tam diu in captione detineas, donec, quod exinde facere velimus, per scripta nostra cognoscas. Data Tusculani 8 Kal. Novembris.

---

53. *Bernhardus abbas Claraevallensis Bernhardum et Gregorium cardinales, apostolicae sedis legatos, pro Heinrico I archiepiscopo Moguntino deprecatur*[b].

Dominis et patribus reverendis, apostolicae sedis legatis[3], 1153
puer sanctitatis eorum Bernardus, Clarae vallis vocatus abbas,

a. *Epistolam hanc ex cod. bibl. Caesar. Vindobon.* 701 *fol.* 147 (*manu saec. XIII illatam*) *in meum usum descripsit Willelmus Scherer. Cf. Denis Cod. manuscr. I III* 2871.
b. *Hanc S. Bernhardi ep.* 303 *edidit Mabilio, Opp. S. Bernh. Parisiis* 1719, *I* 285.

1. Ps. 7, 15. 2. S. Mariae in Cosmidin. 3. Bernhardo presbytero card. tit. S. Clementis et Gregorio diacono card. S. Angeli.

1153 per omnia Deo placere et gratos fructuosae suae legationis manipulos reportare.

Etsi corpore remoti, sed affectu et bona voluntate vobis appropiavimus; optantes et orantes, dirigi actus et studia vestra ad omne, quod decet et expedit. Inde est quod, audientes miserandum illum archiepiscopum Moguntinensem[1] vocatum ad vestram praesentiam ibique responsurum adversariis suis, ausi sumus vestram pro eo interpellare bonitatem. In hoc enim credimus honorificari ministerium vestrum, si, quatenus salva iustitia licet, parieti inclinato et maceriae depulsae[2] humeros vestrae auctoritatis supponitis; nec calamum quassatum conteri nec linum fumigans, quod in vobis est, extingui[3] permittitis. Sentiat obsecramus, sibi profuisse et precem nostram et suam simplicitatem; ob quam fertur a falsis fratribus circumventus potius, quam inventus in aliquo dignus depositionis.

---

54. *Adrianus IV papa Hillino archiepiscopo Trevirensi, apostolicae sedis legato, mandat, ut Arnoldum archiepiscopum Moguntinum in iudicium arcessat*[a].

1156 Febr. 15 Adrianus episcopus servus servorum Dei venerabili fratri H(illino) Treverensi archiepiscopo, apostolice sedis legato, salutem et apostolicam benedictionem.

Gravia quedam, et que nec sine ammiratione audimus nec sine mentis nimio dolore referimus, de venerabili fratre nostro Ar(noldo) Moguntino archiepiscopo ad nostram audientiam pervenerunt; que irrequisita et incorrecta nec apostolice sedis, cui Deo auctore presidemus, auctoritas nec equitatis et iusticie vigor relinquere nos permittit. Venientes siquidem ad nostram presentiam I., Her., Ul. et B., canonici ecclesie sancti Martini de civitate

a. *ex diplomatario Trevirensi hanc epistolam in usum meum descripsit reverendissimus ecclesiae Trevirensis praepositus Holzer. Ediderunt Günther Cod. dipl. Rheno-Mosell. I* 353, *Beyer Urkundenbuch I* 652.

1. Heinricum I. 2. Ps. 61, 4. 3. Isai. 42, 3: „calamum quassatum non conteret et linum fumigans non extinguet“.

Moguntina, eum prebendam ipsorum in beneficium laicis, ipsis 1156
renitentibus, tribuisse et aurum argentum et alia ornamenta ec- Febr. 15
clesie inconsulto clero ac populo distraxisse ac post appellationem ad nos factam multa de bonis suis eis abstulisse dixerunt; adicientes etiam, eundem fratrem nostrum convocata sinodo fecisse publice interdici, ne quisquam ad apostolice sedis iudicium presumeret appellare. Que quidem, si in veritate subsistunt, tanto amplius nos contristant, quanto minus ab eo tale aliquid credebamus adversum nos et sacrosanctam Romanam ecclesiam attentari. Quapropter ut, que dicta sunt, in lucem valeant devenire, per nostra ei scripta mandavimus: ut vel ad presentiam tuam accedat, excusaturus si poterit innocentiam suam et exhibiturus illis sub tuo examine iusticie complementum; vel proxima festivitate beati Luce[1] nostro se conspectui representet, sub nostro de his omnibus iudicio responsurus.

Quocirca per apostolica scripta fraternitati tue mandamus, quatenus tam predictos canonicos et alios, qui adversus antefatum fratrem nostrum in hac causa stare voluerint, quam eundem fratrem nostrum ante tuam presentiam evoces et, canonicorum impetitionibus illius vero defensionibus diligenter auditis et plenarie cognitis, et restitui eis prebendam suam, que post appellationem ablata est, facias et, quicquid inde veritatis inveneris, per scripta tua et eosdem canonicos nobis non desinas nuntiare; ut nos, re cognita, taliter quod iustum inde fuerit statuamus, ut, sicut nolumus reprehendi austeritatis, ita nec remissionis aut desidie in tantis excessibus argui valeamus.

Preterea, quoniam supra dictus Her. a quibusdam hominibus, scilicet Ul. Rod. Fed. Uldelr. et Her., multa de rebus suis sibi queritur iniuste et violenter ablata, nichilominus tibi mandamus: ut illos, nisi inique ablata ei reddiderint, excommunicationis ultione percellas. Datum Beneventi 15 Kal. Martii.

1. 18 Oct.

55. *Adrianus IV papa Moguntinis significat, Arnoldum archiepiscopum potestate legati apostolici, Hillini archiepiscopi Trevirensis, exceptum esse*[a].

1156 Aug. 11 A(drianus) episcopus servus servorum Dei dilectis filiis, universo clero et populo Maguntino, salutem et apostolicam benedictionem.

Quanto venerabilis frater noster, A(rnoldus) archiepiscopus vester, maiorem in aecclesia Dei obtinet dignitatem et quanto amplius ipse scientia moribus et honestate prefulget, tanto magis a matre sua sacrosancta Romana aecclesia et honorari debet et in suis postulationibus facilius exaudiri. Inde utique fuit, quod nos eum, ad apostolice sędis presentiam devotionis intuitu venientem, debita benignitate recepimus; et omnem illi honorem, omne caritatis officium, quod tanto viro decuit exhiberi, nos et fratres nostri eidem curavimus impertiri. Cum enim ante mentis oculos revocamus, quantum Maguntina aecclesia sacrosanctae Romanae aecclesiae fidelis semper extitit ac devota et quanta eidem filialis obsequia devotionis exhibuit, quam grata etiam predictus frater noster archiepiscopus et predecessores ipsius nobis et antecessoribus nostris servitia in aecclesiae necessitatibus a primevis temporibus impenderunt, potissimum ad amorem eius accendimur et, sicut non debemus, nec ita possumus ab ipsius honore ac beneficio animum revocare. Eius[b] itaque petitionibus grato concurrentes assensu et tam sibi quam aecclesiae ipsius gubernationi commisse deferre[c] volentes, personam eius cum toto episcopatu suo et cum suffraganeis suis episcopis a iure legationis venerabilis fratris nostri Y(llini) Treverensis episcopi, apostolice sedis legati, duximus absolvendam; ita videlicet: ut nec ipse nec aliquis de episcopatu suo, vel aliquis suffraganeorum suorum episcoporum, predicto fratri nostro legationis debito cogatur ulterius respondere. Ad haec memoratum[d] fratrem nostrum, archiepiscopum vestrum, ad vos tan-

a. *descripsi ex cod. quondam S. Petri Erfurdiensi, hodie Pommersfeldensi* 2750, *membr. saec. XII, epistolas Reinhardsbrunnenses continente. Edidit Höfler in Archiv für Kunde österreichischer Geschichtsquellen* 1850 *II* 61. b. eis *c.* c. defferro *c.* d. nemoratum *c.*

quam ad speciales et devotos filios suos cum nostrae gratiae 1156 Aug. 11
plenitudine remittentes, eum universitati vestrae attentius commendamus; per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus ipsum honorifice atque benigne et honeste recipiatis et ei tamquam pastori vestro et rectori animarum vestrarum, qui debitam pro vobis sollicitudinem comprobatur gerere, in his, quae ad Deum et ad salutem animarum vestrarum pertinere noscuntur, per omnia obedirę curetis. Data Narniae[a] 3 Idus Augusti.

---

56. *Ruthardus abbas Eberbacensis Arnoldum archiepiscopum Moguntinum, voluptatibus indulgentem pauperesque negligentem, reprehendit*[b].

Domno A(rnoldo) Dei gratia Moguntinorum archiepiscopo 1153-1158
frater R(uthardus)[1] indignus humilisque minister pauperum et peccatorum, qui peregrinantur in Eberbach, bene vivere et regere.

Sicut iniquum est filio, revelare turpitudinem patris, ita pium est, revelata turpitudine, pallium honestatis superducere. Quid ergo? Etsi non est deturpandus, numquit, si se ipsum deturpat, a bono filio non est arguendus? Quis hoc dixerit! Quin pocius non arguere ignominiam revelare est; et patri non occultare turpitudinem suam, pallium superducere est. Quoniam igitur turpitudo patris turpitudo filii, et gloria patris gloria filii est, suademus paternitati vestrae: ut famam vestram, quae dura satis est, ne dicam fetida, non negligatis; et falsis laudatoribus immo seductoribus, sociis mensae, diviciarum amicis, quae sua sunt querentibus, de vestra salute vel honore, de regimine animarum, de statu ecclesiae parum curantibus, minime credatis. Scriptum enim invenitur: *Qui negligit famam suam, crudelis est*[2] et quia oportet episcopum bonum testimonium habere etiam ab his, qui foris sunt[3].

a. Narn̄ *c.* b. *ex cod. lat. Monacensi* 13079 (*Ratisbon. civ.* 79) *membran. saec. XII fol.* 195.

1. Ruthardus anno 1131 abbas Eberbacensis factus est, eiusque successor Eberhardus iam in anni 1158 tabula comparet. V. Bär Diplomatische Geschichte von Eberbach p. 151 et 230. 2. Augustinus in sermone 355 c. 1 (Opp. ed. Caillau T. XXI p. 348). 3. 1 Timoth. 3, 7.

1153-1158 De contemptu quoque seculi scribere vobis necessarium duximus, de suspitione[a] diviciarum, auri videlicet et argenti, in quibus confidunt homines, de spe, de contemplatione futurorum bonorum, de iudicio, de ratione reddenda commissarum vobis animarum, de morte, de mortis supplicio iuxta illud sapientis: *In omnibus operibus tuis memorare*[b] *novissima tua et in aeternum non peccabis*[1]. Sepe namque evenire solet, quod, quando mundi gloria, rerum habundantia, temporalis potestas corda mortalium possidere incipiunt, mentis quadam cecitate, spiritus obstinatione tollunt ab oculis eorum mortis memoriam, aeternam confusionem, geennae[c] inopiam, perdicionis carcerem. Necessarium igitur vobis essent duri argutores, non blandi adulatores; mortis precones, non vitae promissores; amici veritatis, non socii vanitatis; ne aliquando rerum affluentia, temporalis dignitas abscondant ab oculis mentis vel supplantent futuras penas, gehennales miserias.

Dives quidam, qui mollibus vestiebatur, laute epulabatur — brevis est fabula — ne deliciae carnis animam in oblivionis voraginem precipitarent sed semper mortem suspectam haberet, o res memoriae digna, statuit ad mensam suam puerum duri oris et clamosum, qui ad singula queque fercula, quae inferebantur, preconis voce clamaret: *Sire, tu morás*, hoc est: *Domine, tu morieris;* et ille respondit: *Vór tu dîs,* hoc est: *Verum tu dicis;* parum prelibans, reliquum misit esurienti. Similiter cum veste nova ac preciosa dives indueretur, et puer, preco mortis, solito clamaret: *Sire, tu morás,* et ille compunctus respondisset: *Vór tu dîs,* veste nudum operuit, algentem calefecit. Quodsi hac parabola non tangeris, verum in epulis tuis et in gloria tua mavis temporali leticia consolari quam mortis memoria perturbari — cum tamen melius sit, ire ad domum luctus quam ad domum convivii — et ideo non inveniatur inter pueros tyrannorum, qui mensam tuam occupant, puer Hebreus, qui

a. suspitione *scripsi pro* suppeditione *c.* b. me. no. t. et in non p. *c.* c. geennae *scripsi pro* guttae *c.*

1. Eccli. 7, 40.

audeat tibi dicere: *Sire, tu morás,* ego, ego, durus tibi nuncius, admonitor condicionis, preco mortis clamosus et audax, libera voce pronuncio: *Sire, tu morás.* Et nisi vitam correxeris et conversus penitenciam egeris, morte procul dubio morieris. 1153-1158

Illud quoque valde obstupendum est, quod discretio vestra in hac parte dormitat, nec multum attenditis vel perpenditis: quo consilio, qua ordinatione quove iudicio Dei pauperes Christi ad ianuam regni vestri in camino paupertatis fame et gelu foris cruciantur, vos autem intus consolamini, canes vestri — ut taceam de filiis tyrannorum — panibus habundant. Illi penuriam paciuntur, cum tamen micae mensarum vestrarum, ut ita dicam, sufficerent nobis ad reficiendum, fimbriae vestimentorum vestrorum ad induendum. Audiat ergo, audiat universalis ecclesia et iudicet de Moguntino, quid responsurus sit in Dei iudicio pro pauperibus Christi, qui iacent ad ianuam eius, cupientes saturari de micis, quae cadunt de mensa diviciarum suarum, et non est qui porrigat, vestiri de fimbriis vestimentorum suorum, et non est qui operiat.

---

57. *Alexander III papa Conradum I archiepiscopum Moguntinum, apostolicae sedis legatum, monet, ne inter monasterium S. Zenonis Veronense et cives Ferrarienses diiudicatam controversiam redintegret* [a] [1].

Alexander episcopus servus servorum Dei venerabili fratri C(onrado) Maguntino archiepiscopo apostolicae sedis legato salutem et apostolicam benedictionem. 1172 Ian. 28

Dilecti filii nostri, G. potestas Veronensis et eiusdem civitatis communitas transmissis nobis litteris intimarunt, quod, cum super controversia, quae inter monasterium sancti Zenonis et cives Ferrarienses de Hostilia diutius est agitata, per arbitrum quendam Ubertum de Orto, quem utraque pars elegit in

a. *Edidit Ughellus Italia sacra, Romae* 1653, *V* 737; *et Venetiis* 1720, *V* 794.

1. In Regestis pontif. Romanorum p. 742 n. 8017 hanc epistolam ad spatium annorum 1171 et 1172 retuli. Sed Conradum archiepiscopum cum mensibus Ianuario et Februario anni 1171 in curia papali versatum esse reperiam, epistolam apparet anno 1172 scriptam esse.

1172 Ian. 28 arbitrum et eius super hoc stare mandato iuravit, definitiva sententia lata fuisset et praedicto monasterio praescripta Hostilia adiudicata, controversiam ipsam niteris suscitare; et abbati praescripti monasterii iterum in[a] Ferrarienses super hoc respondere mandasti. Quia vero non decet, quaestionem sopitam et eam maxime, ex qua tot homicidia et mala perpetrata noscuntur, retractare et sententiam rescindere, de qua observanda dicitur fuisse ab utraque parte iuratum — praesertim cum nullus esset litium finis, si causae, quae decisae sunt, in recidivae contentionis scrupulum devenirent; et oportet nos inter civitates Lombardiae et eorum cives, hoc tempore praecipue, pacem et concordiam ponere et ad eorum unitatem vigili studio et meditatione intendere — fraternitatem tuam monemus atque mandamus: quatenus, diligenter considerans et attendens, quam[b] tempora nunc gravia et periculosa existant ..... praefato abbati super praedicta Hostilia nullam moveat quaestionem, nec eum[c] exinde aliquatenus instinctu quolibet contendas molestiis vel gravaminibus fatigare. Si enim controversia illa suscitaretur, multa mala pericula et homicidia plurima provenirent et statum pacis et unitatis Lombardiae non modicum perturbarent. Ad quem conservandum te volumus toto studio et labore eniti. Datum Tusculani 5 Kal. Februarii.

---

58. *Alexander III papa Conrado I archiepiscopo Moguntino mandat, hortetur Theobaldum episcopum Pataviensem, ut monachis Lunaelacensibus ecclesias quasdam restituat*[d].

1175 Mart. 21 Alexander episcopus servus servorum Dei venerabili fratri C(onrado) Maguntino archiepiscopo et apostolice sedis legato salutem et apostolicam benedictionem.

Ex transmissa conquestione abbatis[1] et conventus monasterii Lunelacensis[e] accepimus, quod episcopus Pataviensis[2] aecclesias quasdam, quas se asserunt longo tempore possedisse, eis

a. iterum in *scripsi pro* item *ed.* b. quanta *ed.* c. enim *ed.* d. *ex cod. Caesareae bibliothecae Vindobonensis* 3825 *hanc epistolam in usum meum descripsit Willelmus Scherer. Edidi in Regest. pont. Rom. p.* 762 *n.* 8355. e. Lunelacuñ *c.*

1. Heinrici. 2. Theobaldus.

contra iusticiam abstulit et violenter habere praesumit. Unde, 1175 Mart. 21
quoniam universis Dei fidelibus et praesertim viris religiosis in sua iusticia debitores existimus, fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus: quatenus praedictum episcopum instanter moneas et omni cum districtione compellas, ut praefatis abbati et fratribus praescriptas aecclesias, postposita mora et occasione, restituat et libere deinde pacificeque dimittat, vel in praesentia tua plenam exinde iusticiam non differat exhibere. Data Ferentum duodecimo Kal. Aprilis.

---

59. *Alexander III papa magistro Girardo Pucellae reditus in Teutonia dimissos, petente Christiano I archiepiscopo Moguntino restituit*[a].

Alexander episcopus servus servorum Dei magistro Girardo 1178 Mart. 15
Pucellae[b] salutem et apostolicam benedictionem.

Litteratura tua ac probitas ac morum honestas nos monent propensius et hortantur, ut te sicut probum honestum et literatum virum sincero diligamus caritatis affectu et speciali praerogativa amoris et gratiae foveamus. Hac igitur consideratione inducti, et personam tuam speciali volentes dilectionis nostrae privilegio decorare, tibi redditus, quos in regno Theutonico in fervore scismatis nullo cogente spontanee dimisisti, de consueta clementia et benignitate sedis apostolicae, interventu quoque venerabilis fratris nostri Maguntini archiepiscopi[1], restituimus; statuentes, ut non obsit tibi ad diminutionem vel maculam famae tuae nec circa promotionem tuam tibi praeiudicium valeat in posterum generare, quod aliquandiu redditus inter schismaticos nosceris tenuisse. Datum Laterani Id. Martii.

---

60. *Alexander III papa Christiano I archiepiscopo Moguntino Leonatum abbatem Piscariensem commendat*[c].

Alexander episcopus servus servorum Dei venerabili fratri 1179 Mai. 3
Maguntino archiepiscopo[2] salutem et apostolicam benedictionem.

a. *ediderunt Duchesne Hist. Franc. SS. IV* 561, *Bouquet Rec. XV* 960. b. Puellae *ed.; scripsi* Pucellae, *v. Historia monasterii S. Augustini Cantuariensis p.* 420. c. *ex chron. Casauriensi ap. Dacherium Spicil. V* 521, *Muratori Rer. Ital. SS. II* 2, *p.* 909.

1. Christiani I. 2. Christiano I.

1179 Mai. 3 Quanto dilectum filium nostrum abbatem[1] Sancti Clementis de Piscaria consideratione devotionis, quam circa nos et ecclesiam gerit, et monasterii, cui praeminet, quod specialiter beati Petri iuris existit, sinceriori caritate diligimus, tanto attentius eundem dilectioni tuae duximus commendandum; sperantes, ad interventum nostrum celeriter peragendum, quod amore iustitiae, nemine commonente, effectui mancipari deberet. Cum igitur occasione discordiae, quae diu inter ecclesiam et imperium fuit, praescriptum monasterium grave sustinuerit in marchia[2] detrimentum, ad recuperandas iustitias suas praefatus abbas tuo potissimum indiget auxilio; quod tanto volumus efficacius ministrari, quanto propensius praescripto monasterio in suis tenemur necessitatibus providere. Quocirca fraternitati tuae per apostolica scripta rogamus monemus attentius et mandamus: quatenus praefatum abbatem vel nuntios eius pro reverentia beati Petri et nostra, sicut de te bene confidimus, benigne respicias; et eos, qui in marchia Anchonitana possessiones detinent ad iam dictum monasterium pertinentes, ad eas restituendas districte compellas; ita quod literae nostrae optatum sortiantur effectum, et nos solicitudinem tuam debeamus multipliciter commendare. Nolumus autem, ad restitutionem opponi, quod tempore schismatis possederunt; cum hostilitas praescriptionem praebetur[a] merito impedire. Datum Laterani quinto Nonas Maii.

---

61. *Wichmannus archiepiscopus Magdeburgensis capitulo Moguntino de civitate Halberstadensi per Heinricum Leonem ducem Saxoniae eversa significat*[b].

1179 W(ichmannus) Dei gratia sancte Magdeburgensis ecclesie archiepiscopus et canonicus quondam Halberstadensis ecclesie — que iam non est, quia in favillas heu redacta est — capitulo Moguntine ecclesie omnibusque prelatis et toti clero et populo eiusdem ecclesiae perpetuam in Domino salutem.

a. *an* perhibetur? b. *Hanc epistolam ex cod. bibl. Caesar. Vindobon.* 701 *fol.* 147 (*manu saec. XIII illatam*) *in usum meum descripsit Willelmus Scherer.*

1. Leonatum. 2. Anconitana.

Super horrendo et inaudito scelere, quod dux Saxonie in Deum et Halberstadensem ecclesiam perpetravit, luctu et merore confecti, rogamus vos, ut afflictis compaciamini et murum vos opponatis pro domo Israel et stetis in proelio Domini[1]. Siquidem dux Halberstadensem[a] civitatem funditus destruxit[2], monasterium beati Stephani omniaque monasteria et ecclesias igni succendit, canonicos nobiles et honestos puerosque scolares et plus quam quingentos homines utriusque sexus, qui iam inventi sunt, praeter eos qui inter[b] ruinas domorum et sub cinere adhuc latent, in monasteriis exussit. Corpora sanctorum et lignum Domini omnemque ornatum ecclesiarum in favillam redegit. Episcopum[3], dominum suum, captivavit et in vinculis tenet, et cum eo praepositum[c] ecclesie Halberstadensis et alios canonicos; quos ipse funibus colligatos trahi fecit. Matronas nobiles et virgines denudatas prostituit; et inenarrabiles execrationes perpetravit. Hec a seculis in christianos a christianis facta non sunt; ideoque temporibus nostris facta ingemiscimus et universum orbem terrarum super his commoveri[d], ut huius lamentabilis calamitatis clamor ascendat in celum. Ecclesia Halberstadensis Moguntine ecclesiae filia est; ideoque, quid pro exercendo[e] zelo iusticie in causa ista vobis agendum sit, diligenter animadvertat discretio vestra.

1179 Sept. 23

---

62. *Lucius III papa Teutonicis nunciat, Christianum I archiepiscopum Moguntinum mortuum esse*[f].

Lucius episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus archiepiscopis episcopis et dilectis filiis abbatibus, conventibus aliisque praelatis ecclesiae Teutonicae salutem et apostolicam benedictionem.

1183 Sept. 2

Ad vestram volumus noticiam pervenire, quod bone memorie Cristianus Maguntinus archiepiscopus, vir valde providus et magnificus, cum karissimo in Christo filio nostro Friderico

a. Halberstadensis *c.* b. in *c.* c. p̄p̄m *c.* d. volumus s. cupimus *excidisse videtur.* e. exercendū *c.* f. *ex cod. S. Michaelis Bambergensi edidit Schannat Vindemiae lit. II* 118, *Gudenus Cod. dipl. I* 279.

1. Ezech. 13, 5. 2. Sept. 23. V. Ann. Palid. 1179. 3. Ulricum.

1183 Sept. 2 illustri Romanorum imperatori et semper augusto longo tempore magnifice servivisset et contra officii sui debitum excessisset in multis, cum Romanorum perfidiam, qui patrimonium ecclesiae hostiliter devastantes Tusculanum nequiter obsidebant, aliter comprimere non possemus, eundem archiepiscopum ad obsequium ecclesiae convocavimus. Ipse vero, factus obediens usque ad mortem[1], ut, sicut antea exhibuerat membra sua iniquitati ad iniquitatem, ita se et suos exhiberet ad serviendum iustitiae in sanctificationem[2] vitae, aeris intemperiem parvi pendens, ad succurrendum ecclesiae fluctuanti cum ingenti exercitus multitudine properavit. Factumque est, volente Domino, quod Romani bis ad solius nominis eius terrorem fugierunt. Illo autem Tusculanum ingresso, muros civitatis iam predicte collapsos pro magna parte per illius auxilium, antequam decederet, fecimus reparari. Tandem Dominus misertus ipsius, ut salubriter impleret in eo, quod legitur: *Ubi te invenero, ibi te iudicabo,* febris eum egritudine flagellavit, iuxta quod scriptum est: *Quem diligit Dominus, corripit; flagellat autem omnem filium, quem recipit*[3]. Unde idem archiepiscopus in vera confessione et multa contritione cordis, servicio beati Petri et Romanae ecclesiae totus intendens, assumpta cruce et resignatis dignitatibus universis, octavo Kalendas Septembris diem clausit extremum. Quia autem multum tenemur de illius salute esse solliciti, qui pro servitio universalis ecclesiae mori non recusavit, et ex fine eius magnam possimus de remedio fiduciam obtinere, monemus universitatem vestram, hortamur in Domino et mandamus: quatenus eundem archiepiscopum, memoriam eius in vestris orationibus facientes, vestris apud Dominum intercessionibus adiuvetis, et in omnibus conventualibus ecclesiis tricenarium pro eo et anniversarium faciatis; ut maculas, quae illi de terrenis contagiis adhaeserunt, divina clementia indulgeat et abstergat, et vos de opere pietatis indeficiens mereamini a Domino premium obtinere. Datum Signiae 4 Non. Septembris.

1. Philipp. 2, 8. 2. Rom. 6, 19. 3. Hebr. 12, 6.

63. *Conradus I archiepiscopus Moguntinus suffraganeis suis de miraculo prope Erfordiam facto significat*[a].

Conradus Moguntinus archiepiscopus omnibus suffraganeis 1191
suis salutem.

Fraternitati vestre significandum duximus, qualiter in villula quadam, fere ad duo miliaria ab Erphorde distante, casus quidam ante nativitatem Domini[1] inopinatus emersit. Accidit, quorundam pauperum in eadem villa degentium duas filias virgines adhuc tenellas graviter egrotare, in tantum ut pater sacerdotem eiusdem ville vocaret secundum devotionem fidei nostre ad exhibendam puellis eucharistiam. Qua consummata, sacerdos iuxta consuetudinem generalem fecit ablutionem in bicarium, deforme quidem et, ut rem usque quaque exprimamus, nigredine sordidum, sordibus nigrum; qualia nimirum solent esse vascula pauperum. Set inde movemur minus; scientes, quia cum humilibus sermocinatio eius[2]. Inquirentibus igitur parentibus, quidnam de contenta in bicario ablutione faciendum esset, respondit prefatus sacerdos: ut infirmis potum petentibus preberetur. Quod semel factum est. Dum ergo secunda vice preberetur, quod mirabile et miserabile relatu est, apparuit in bicario caruncula cruenta, quasi ad formam digiti accedens; ipsa vero ablutionis aqua iam ceperat esse rubicunda, et repente tota facta est sanguinolenta, immo sanguis. Stupentes ergo ob inauditam novitatem facti, iam dicti pauperes retulerunt hoc sacerdoti. Ille vero, timens ne forte negligentie et culpe sue asscriberetur, voluit, ut occultatum amoveretur. Quod statim intelligens matrona quedam de eadem villa, vidua plurimum devota Deo, ne hoc fieret, instanter dissuasit. Cuius, ut compendio sermonum utamur, occasione et consilio servatum est vas et contentum intra vas sacramentum; negligentius tamen, quam deberet vel deceret. Brevi post tempore idem factum archipresbiter agnovit, set et ille referre negligens, tamen ad instantiam supradictae viduae maiori reverentia disposuit custodiri.

a. *ex cod. quondam Liesbornensi, hodie bibliothecae regiae Berolinensis, theol. fol.* 368, *membr. saec. XII f.* 1. *Ediderunt Martene et Durand Vet. script. coll. I* 997.

1. ante 25 Dec. 1190. 2. Prov. 3, 32.

1191 His ita factis, nos accessimus ad partes illas, pervenientes
Mart. 3 Erphorde in dominica *Invocavit*[1]. Relatione quam plurium omnia, sicut ex ordine recitata sunt, intelleximus; et destinavimus illo ex prelatis nostris duos viros religiosos, abbatem de Volcolderode[2] et prepositum[3] Uctrigeshusen[4]. Qui, reversi ad nos, affirmabant: se sicut relatum fuerat, ita certissime invenisse et vidisse. Misimus ergo prelatos nostros, quos tunc habere poteramus, videlicet maiorem Mogontinum prepositum[5] et maiorem eiusdem ecclesie decanum[6], abbatem de Monte sancti Petri[7], abbatem[8] de Valle sancti Georgii[9], abbatem[10] de Cella Paulinae, abbatem de Volcolderode et aliquot religiosos prepositos; et habito consilio, ad quoddam sanctimonialium cenobium vicinum illud sacramentum, iam tunc sigillo firmatum, cum debita veneratione transportari ordinavimus. Acta sunt hec anno 1191.

Iun. 23 Ipso anno in vigilia Iohannis baptiste facta est eclypsis solis media die.

---

64. *Petrus Blesensis, archidiaconus Bathoniensis, Conradum I archiepiscopum Moguntinum hortatur, agat, ne pro redemptione Richardi I regis Anglorum ab ecclesiis pecuniae exigantur*[a].

1193 Reverendo patri et domino C(onrado) Dei gratia Maguntino archiepiscopo Petrus Blesensis, Bathoniensis archidiaconus, salutem in auctore salutis.

Quia quandoque in scholaribus castris militavimus sub eodem doctore, et ex diutina[b] eiusdem hospitii cohabitatione socialis amicitiae iura contraximus, fiducialius vobis scribo. Excursus enim modici temporis nostro[c] non praescribit amori, nec apud me mutationem vestri status agnoscit affectio. Sane, postquam desideratissimam faciem vestram novissime vidi, vos in archiepiscopalis eminentiae gradum dispensatio divina promovit.

a. *Ediderunt* 1. *Gussanvilla in Petri Blesensis opp. p.* 223, 2. *Martene et Durand Thes. anecd. I* 642. b. diuturna 2. c. vestro 2.

1. 3 Mart. 1191. 2. Volkenroda. 3. Wólframum. 4. Ichtershausen. 5. Arnoldum. 6. Heinricum. 7. Erfurtensem. 8. Widekindum. 9. Georgenthal. 10. Gebehardum.

Sed, si bene recolo, quam solida semper apud me fuerit fidei vestrae et amoris integritas, certus sum, quod honoris assumptio circa statum amicitiae vestrae nullum praeiudicium mihi facit. Cum itaque hinc amor audaciam loquendi mihi pariat, inde vero ad planctum et gemitum dolor singultuosus urgeat violenter, indulgete mihi, si in aliquo verbo sobrietatem modestiae et limites honestatis excedo. Ex abundantia enim cordis os loquitur[1]. Nam in amaritudine est anima mea[2], quae totum huius epistolae cursum mihi de doloris atramentario subministrat. 1193

Quis vero inter communes lacrimas dolorem dissimulet aut supprimat planctus, ubi clerus dolet, lamentatur religio, gemit populus, nobilitas anxiatur? Non potest omnium moerore non plangi, qui colitur et fovetur amore communi. Decidit corona capitis nostri[3], et in luctum versus est chorus noster[4]. Rex noster[5] in frixorio est; et occasione illius in quam plures provincias huius malitiae sartago desaevit. Suo domino patienti contabescit et commoritur universitas, et per compassionem afflictio capitis in membra discurrit.

Vir sanguinum et cruentae conscientiae dux Austriae[6] non est veritus in christum Domini sacrilegas manus inicere, et pedes calceatos in euangelio[a] pacis ferreis humiliare compedibus. Terribilis in iudiciis Deus[7] destruat illum in finem et evellat de tabernaculo suo et radicem eius de terra viventium[8], pro eo quod non est recordatus facere misericordiam[9], sed persecutus est hominem[10] innocentem et peregrinum, adhuc in obsequio Crucifixi et in procuratione rei publicae constitutum. Cum enim pro testamento Dei labores anxios tolerasset, exhaustis bellicis sudoribus et expensis, ad propria remeabat, ut denuo, maius testimonium fidei[b] redditurus, prudentiore consilio et felicioribus auspiciis viam secundae peregrinationis instrueret. Et nunc, reges, intelligite, reminiscimini qui iudicatis terram, si unquam ab infantia nascentis ecclesiae aliquis rex, pacificus,

a. euangelium 2. b. fidei *om.* 1.

1. Matth. 12, 34. 2. Cf. 4 Reg. 4, 27. 3. Threni 5, 16. 4. Threni 5, 15. 5. Richardus I. 6. Leopoldus V. 7. Ps. 65, 5. 8. Ps. 51, 7. 9. Ps. 108, 16. 10. Ps. 108, 17.

1193 fidelis, innocens, peregrinus, tam subdole captus, tam malitiose detentus, tam crudeliter est venditus, tam indigne afflictus, et cum populis suis tam cupida et detestabili exactione gravatus. Ubi est lex naturae? ubi est aequitas? ubi peregrinorum reverentia? quos etiam Christi crucifixores venerati sunt, dum in agrum figuli ob peregrinorum sepulturam Christi venditi pretium transtulerunt[1]. Porro cum Abraham peregrinaretur in terra Chanaan, rex Abimelech ei gratiam plenae humanitatis exhibuit; Iacob apud Laban, Moyses apud Ietro, David apud regem Achis, et caeteri patres antiqui, nondum acceptis repromissionibus sed longe eas aspicientes[a] et confitentes, quia essent peregrini et hospites super terram, apud barbariem gentium multiplex suae peregrinationis solatium invenerunt. Et qui eum vendidit[2] et qui emit[3], in sortem Iudae Iscariotis[b] et in maledictione fraudis Iudaicae reputentur; ut sit cum eis ipsorum pecunia in perditionem[4]. Cum Dathan et Abiron terra eos viventes absorbeat, successores Iudae, filios avaritiae, servos mammonae, semen Chanaan, genimina viperarum[5], membra diaboli, ministros satane, praeambulos antichristi. Saeviente in populos istorum tyrannide, publica mortalitas invalescit, urbes evacuantur pestilentia et fame, quae superveniunt universo orbi.

Nec dissimulare possumus aut tacere, quod iuxta verbum apostoli iam mysterium[c] iniquitatis antichristus operatur[6], ut reveletur[7] in tempore suo; abundat enim iniquitas, et refrigescit caritas multorum[8]. Optimus est, qui non est nimis malus. In argumentum adventus illius filii perditionis generaliter mundus in maligno positus est[9], desaevit morbus pestilens et edulitas invalescit. Legitur, quod mors cum eo est, et faciem eius praecedit egestas[10]. Nobis in germana Germania haec mala germinant[d] universis. Heu, heu, principes aquilonis; vere ab aquilone panditur omne malum[11].

a. expectantes 2. b. Scariotis 2. c. ministerium 2. d. germinat 2.

1. V. Matth. 27, 7. 10. 2. Leopoldus V dux. 3. Heinricus VI imperator. 4. Act. ap. 8, 20. 5. Matth. 23, 33. 6. 2 Thessal. 2, 7. 7. 2 Thessal. 2, 8. 8. Matth. 24, 12. 9. 1 Ioh. 5, 19. 10. Iob. 41, 13. 11. Ierem. 1, 14.

Sed hoc malum regi nostro bene utenti convertetur in bonum. Nam iudex innocentiae Deus faciet in proximo iudicium iniuriam patienti, faciet misericordiam Dominus christo suo[1]. Zelus Domini exercituum faciet hoc[2]; et scient omnes, quia sunt reliquiae homini pacifico[3]. Domine, in virtute tua laetabitur rex[4]; iustus de angustia sua liberabitur[5]; cadet autem impius in laqueum[6], quem tetendit, et in verticem ipsius iniquitas eius descendet[7]. 1193

O rubigo animarum avaritia; o tinea cordium cupiditas, quae sic homines excaecasti, ut, Dei et iudiciorum eius obliti, neque suae parcerent animae neque famae. Consumetur quidem pecunia; sed nota proditionis non delebitur. Tanti sceleris immanitas derivabitur ad posteros, et in ungue adamantino haec iniquitas scribetur[a][8]. Filii plorationis[b] aeternae non de fiscali aerario, non de thesauris regalibus haec accipiunt, sed de patrimonio Crucifixi, de sustentatione pauperum, de viduarum lacrimis, de substantia religiosorum, de pupillorum alimentis, de dotibus virginum, de ecclesiarum utensilibus, de crucibus, de[c] calicibus consecratis. Quot solidos sibi congregant, tot accumulant sibi maledictiones, tot interminabiles cruciatus sibi in die irae terribilis thesaurisant. Quicquid ad decorem domus Dei venerandae antiquitatis munificentia erogavit, nunc inexplebilis avaritiae hiatus absorbet, ut haereditate possideant sanctuarium Dei, et tot sacrilegiis execrabiles fiant, quot in partibus occiduis[d] ecclesiae profanantur.

Exurge igitur, homo Dei; exurgant et alii patres conscripti, quibus dati sunt gladii ancipites in manibus eorum[9]. Succurrite plagae ecclesiae, arripiat iudicium manus vestra, et evaginato linguae gladio zelum, quem Petrus in Ananiam et Saphiram census ecclesiastici fraudatores exercuit[10], in publicos ecclesiarum praedones et invasores sacrilegos exercete. Rex illustrissimus

a. scribetur *om.* 2. b. Pharaonis 2. c. et 2. d. occidentales 1.

1. 2 Reg. 22, 51. 2. 4 Reg. 19, 31. 3. Ps. 36, 37. 4. Ps. 20, 2. 5. Prov. 11, 8. 6. Ps. 34, 8. 7. Ps. 7, 17. 8. V. Ierem. 17, 1. 9. Ps. 149, 6. 10. V. Act. ap. 5, 1—10.

1193 catenis carceralibus et fame torquetur. Ferrum pertransiit animam eius[1]. Sedet enim in mendicitate et ferro[2]; et non est, qui moveatur super contritione Ioseph[3]. Pallescit in ieiunio speciosa facies victualibus interdictis, virtusque corporis in robur animae migratura et vernans in facie decor natura succumbente marcescit. Si qua ergo in vobis benignitas, si quod solatium caritatis, si quis respectus ad Christum, si qua viscera miserationis, si qua memoria iudiciorum Dei, excitetur in vobis piae compassionis affectus. Ascendite ex adverso, cursumque tam detestabilis sacrilegii cohibeat pontificalis auctoritas; ne vestri principes malignentur in sancta[4], ne diutius occidentales populi doloribus intabescant et fletu, ne de manu vestra sanguis innocens requiratur. Vale.

---

65. *Capitulum Moguntinum Gardolfo episcopo Halberstadensi de praepositi ecclesiae S. Bonifatii Halberstadensis eiusque fratrum lite respondet*[a].

1200-1201 Venerabili domno G(ardolfo)[5] Dei gratia Halberstatdensis ecclesie episcopo ac universo maioris ecclesie capitulo, viro reverendo ecclesie beati Bonifacii preposito cum toto eiusdem ecclesie collegio ac universo in Halberstat clero, F. decanus, G. cantor cum toto capitulo maioris ecclesie in Maguntia cum voluntaria obsequiorum promptitudine tocius dilectionis ac devotionis sincerum affectum.

Sufficienter et habunde vestra novit industria, quod usque ad electi nostri[6] confirmationem regimen nostre metropolis et procurationis officium ossibus Moguntine sedis inseparabiliter est affixum. Unde ipsius sedis nomine, que quodam in respectu gubernatrix est quindecim patrum, capitulum maioris ecclesie Maguntine ambigua queque, que rite apud eius iurisdicionem per consultacionem sive per proclamationem fuerint proposita, ad

a. *ex apographo ineuntis saec. XIII, quod in tabulario Magdeburgensi servatur.*

1. Ps. 104, 18. 2. V. Ps. 106, 10. 3. Cf. Amos 6, 6. 4. Cf. Ps. 73, 3. 5. qui anno 1193 factus episcopus Halberstadensis, obiit d. 21 Aug. 1201. 6. Lupoldi episcopi Wormatiensis, mense Novembri sive Decembri a. 1200 electi archiepiscopi Moguntini.

certe diffinicionis statum, et sententias per appellationis remedium retractatas ad robur soliditatis inconvulsum vigili perducere tenetur officio. 1200-1201

Igitur in litteris tam conventus ecclesiarum vestrarum quam privatarum personarum iam pluries cognovimus: quod lis et controversia, que inter prepositum ecclesie beati Bonifatii et eius confratres super defectu stipendiorum suorum vertitur, sepenumero vel per iudicium vel transactionem vel arbitrorum censuram ad pacis unitatem et concordie bonum sit perducta; deinde post modici temporis intervallum ad lites et contenciones recidivo dolore sit recursum. Quod quivis sane mentis arbitratur honestati contrarium. Quoniam, si ordinario presidente iudice ultimus diffinitive sententie calculus contencionibus finem imposuit et sententia in rem iudicatam transiit, neutra parcium sine pena et exceptione rei iudicate, quod rite statutum fuit, retractare potuit. Si vero transactio litem sopivit et placita servata non sunt, pena transgressorem comitari debuit, que constitutionibus principum cauta reperitur. Si autem arbitrorum penale accessit iudicium, mulcta in arbitrio dictata partes compellere debuit[a], ut, quod utriusque conniventia decisum est, irrefragabilem vigorem obtineret in posterum. Verum cum haec suo loco minus observata sint, ea postmodum instaurari cogit necessitas; idemque persuadet utilitas, maxime ne contra legum sanctiones lites in infinitum protrahantur.

Pensatis itaque diligenter hinc inde variis parcium rationibus, quas nobis signatas[b] porrexistis, in mentis nostre libramine habitaque non perfunctoria set studiosa disputationis indagine, requisito tamen prius consensu nuntiorum et ab eis facta omnium allegandorum renunciatione, in hoc tandem nostrum resedit scrutinium et iudicium, ut sententiam a vobis latam, hanc scilicet: „ut prepositus ecclesie beati Bonifatii ex rebus, quas in villicationibus ecclesie super debitam prestacionem se habere confessus est, defectum prebendarum fratribus supplere debeat, nec inter propria illas posse computare“, ratam haberemus et in-

a. debuit *apogr.* b. signatas *apogr.*

1200-1201 convulsam. Hanc itaque sententiam, cum ab ea ad nostrum auditorium sit appellatum, de communicato prudentum virorum consilio auctoritate Maguntine sedis confirmamus; statuentes, illam firmum inviolabilem et perpetuum in verbo Domini habere vigorem, nisi competenti iuris amminiculo ab altera partium tamquam inefficax retractetur sententia. Equitati predicte sententie nostrum favorem inclinavit precise verbum comprehensum litteris vestris, scilicet quod penes prepositum amministracionis cura maneret; quod tamen secus est in quibusdam ecclesiis, ubi prepositus divisas a fratribus excolit possessiones.

Preterea hec questio plurimum celebris est et frequenter penes nos exagitata; quoniam quolibet die et maxime hoc in tempore, cum dies mali sint, fratres de suis super defectu stipendiorum querelantur prepositis. Que questio semper talem, ut hic sententiatum est, per extremam decisionem sortitur effectum.

Preterea a domno Friderico imperatore beate recordationis in presentia 10 episcoporum[a] intelleximus: quod etiam eulogia seu exenia, que a colonis ipsi preposito aliquando deferuntur, sint stipendia fratrum. Et sic omnes res, quas prepositus ecclesie nomine possidet, fratribus obligantur. Unde, debita deficiente stipe, ad similitudinem actionis subsidiarie semper recurrunt ad prepositum: ut ipse, qui est tamquam dominus agrorum, studiosissime excolat plantet et succidat; et annos pacis, in habundantia frugum stillantes, cum annis sterilitatis et guerre compenset; et laborantibus in area dominica die noctuque subsidia ministret; quoniam non alligabitur os bovi trituranti[1], et alibi: *Ubi ministerium, ibi collocetur et lucrum.*

Preterea ecclesia iure minoris illesa semper debet conservari. Prelatus res eius ampliare poterit; diminuere nequaquam. Quoniam magno gaudet ecclesia privilegio; unde, si res prelati patrimoniales intermixte sint cum rebus ecclesie inventario non confecto, et intestatus decedat, omnes ille res ob eius favorem iudicantur ecclesie. Idem dicendum, et si vivus

a. decretum esse *excidisse videtur.*

1. 1 Corinth. 9, 9: „Non alligabis os bovi trituranti".

de rebus propriis ecclesie res ad fructum uberioris status perduxit. 1200-1201

Nunc alias flectamus articulum. Domne preposite de Sancto Bonifatio, universitas nostra devotissime vestre supplicat honestati: quatinus nostri obsequii respectu cum confratribus vestris adhuc saltem amice componatis, ut animus vester cum ipsis in mutua quiescat caritate. Et vos, dominos et fratres ecclesie eiusdem, consulendo et exhortando ferventissime sollicitamus: ut animo compassionis preposito vestro condescendatis, gravem prepositure iacturam in rebus animadvertentes; quoniam plurima hominum est malicia, nec iam aliquis quiete possidet, quod multis expensis et laboribus ad esse salubre perduxit.

VITAE S. BONIFATII.

Gloria rerum Bonifatii gestarum in animis hominum vigente longe lateque[1], *populares eius et socii laborum Lullus et Megingozus, ecclesiis Moguntinae et Wirziburgensi ab ipso martyre praefecti episcopi, negotium dederunt Willibaldo presbytero*[2] *ecclesiae S. Victoris Moguntinae, ut vitam illius actam litteris consignaret. Is igitur, summa usus modestia, in tabellis ceratis narrationem exposuit et, cum episcopi eam probavissent, membranis commisit*[3]. *Quamquam autem nulla dubitatio est, quin etiam*

1. V. infra p. 429: „petentibus relegiosis ac catholicis viris, quibus vel in Tusciae partibus vel in Galliae terminis vel in Germaniae aditibus aut etiam in Brittaniae limitibus sancti Bonifatii martyris fama — perstrepuit". 2. V. ibid.: „Willibaldus, licet indignus, in Domino presbiter". 3. V. infra „Passionis S. Bonifatii" exitum: „Willybaldus vitam conversationemque viri Dei nec non et passionem conscripsit in loco, qui dicitur sancti Victoris ecclesia, in conclavi unius cubiculi, primitus in ceratis tabulis ad probationem domni Lulli et Megingaudi et post eorum examinationem in pergamenis rescribendam". — Non parum saepe scriptorem vitae Willibaldum episcopum Eichstetensem (741—786) fuisse putabant. Et primi per hunc errorem lapsi sunt saeculo XI Othlonus, qui inferius in praefatione retractatae Bonifatii vitae veterem vitam „sancti Willibaldi stilo editam" perhibet, et Anonymus Haserensis (Mon. Germ. SS. VII 255) verbis his: „Sancto autem Bonifacio per martyrium feliciter consummato, electus Dei confessor Willibaldus vitam eius finemque stylo, ut erat vir sapiens, perpulchre descripsit". Sed Wicelius (Hagiologium seu de sanctis, Moguntiae 1541 p. CLV), eadem opinionis levitate ductus, cum brevem Bonifatii vitam proposuisset, Passionis S. Bonifatii, quae supra leguntur, verba addidit hoc modo corrupta: „Ego Wilibaldus episcopus etc. vitam et passionem Bonifacii conscripsi in caeratis tabulis ad probationem Lulli et Megengaudi; post eorum examen in pergamenis rescripsi". Tantumque valuit adulterinum hoc additamentum, ut ex Willibaldanae Bonifatii vitae editoribus non modo Canisius et Serarius falle-

vito Pippino rege[1] *tredecimque post Bonifatii obitum annorum (755—768) intervallo conscriptus liber sit, tamen ex eodem apparet, cum ipso Bonifatio usum scriptori non intercessisse. Ne ullum quidem verbum reperitur, in quo vestigium eius rei insit; immo vero, expositio cum indigere confirmationis videbatur, narrator definite aliorum fidem afferebat et eorum quidem, „qui, cottidiano Bonifatii conloquio et relegionis conversatione sedulo praesentati, ea, quae audierunt vel viderunt, in exemplum posteris tradiderunt"*[2]. *Sed ex auctoribus suis unum tantum nominatim appellat Lullum episcopum, Bonifatii successorem*[3]. *Atque praeter ea, quae praesenti sermone audivit, de ipso Bonifatio scripta quoque a Willibaldo adhibita esse, non reperitur nisi unum capitis quinti testimonium; ex quo quidem intelligi potest, Danielis episcopi Wintoniensis epistolam scriptori praesto fuisse*[4].

Proinde cum Willibaldus tam paullo post Bonifatii mortem ea, quae ab eiusdem sociis amicisque acceperat, memoriae prodiderit, relatio in eorum monumentorum numero est, quorum et ipsa vetustas aestimatione dignissima et fides ob praestantissimos auctores egregie probata habetur. Neque usquam nascitur suspicio, a vero scriptorem discessisse. Habet autem oratio eius tur-

rentur, verum Mabilio etiam, licet non dissimularet rerum discrepantiam, tamen vanitati Wicelianae confideret. Henschenius demum (in Act. SS. Iunii T. I 453), depravationem a Wicelio factam perspiciens, ostendit, Willibaldum presbyterum eundem non fuisse ac Willibaldum episcopum; licet postea Seiters (Bonifacius der apostel der Deutschen p. 9 squ.) veterem errorem refricuerit.

1. Sic enim arbitrari licet ex capitis 8 devotis regi verbis his: „Cum vero Pippinus Domino donante regale Franchorum, felix supradicti germani successor, regnum suscepit"; et his: „quemadmodum a glorioso rege Pippino exivit edictum"; et ex capitis 9 verbis his: „Quod et a glorioso rege Pippino — conpertum est". 2. cap. 1. Cf. cap. 2: „sicut fideles confamiliaritatis illius viri pro certo testati sunt"; cap. 4: „quae et fidelium didicimus relatione virorum"; cap. 5: „quemadmodum rem rumigerulis refferentibus gestam conperimus". 3. cap. 9: „Quod — ad nos usque per venerabilem virum Lul episcopum delatum est". 4. Id nimirum non admodum ad ipsius Bonifatii gesta attinet, quod Willibaldus in rem suam convertit etiam Hieronymi librum de viris illustribus, Isidori Hispalensis etymol. L. VI, biblia.

gidius quiddam et perplexius; singulaque capita simplici hac arte facta sunt, ut introitus eas quae consequuntur res brevissime comprehendat, conclusionemque conformet sententia e bibliis assumpta.

Est vero cognitum, opusculum hoc non integrum usque ad nos remansisse. Prima enim capita septem cum eo quod dixi consilio affabre conscripta sint et rerum progressum iusto ordine persequantur, inde ab octavo capite, dimissa subito ratione priore, tam dissipate atque extra martyrium in Fresia actum tam parum plene expediuntur facta, ut, quocum quantum Bonifatio commercium fuerit ex epistolis eius patet, Zacharias papa in vitae descriptione ne nominetur quidem. Accedit, quod etiam in capite sexto lacuna comparet; ut maxime verisimile sit, iam primum vitae exemplar detrimenta cepisse hiatusque et rimas postea levi brachio oblitos esse.

Willibaldi liber compluries editus est; primum anno 1603 in Antiquae lectionis T. IV P. II 341—386 ab Henrico Canisio, qui codicem Rebdorfensem et Alberti Hungeri academiae Ingolstadiensis cancellarii apographum adhibuit, posteaque p. 742—745 variam codicis Windbergensis lectionem addidit[1]*. Huic successit anno 1605 Nicolai Serarii editio in „Epistolae S. Bonifaci" p. 253—284, parata ex codice saec. XV Francofurtensi, S. Bartholomaei LXIII*[2]*. Quibus quidem duabus editionibus anno 1672 Mabilio usus est in tertia editione curanda, Acta SS. ord. S. Benedicti saec. III P. II 1—27*[3]*. Atque anno 1695 Godefridus Henschenius denuo vitam in Act. SS. Iunii T. I 460—472 protulit ex superioribus exemplis et ex eo, quem vidi nec magni fecerim, codice membr. saec. XIII quondam S. Maximini, hodie bibliothecae civitatis Trevirensis n. 963. Pertzius denique anno 1829 in Mon. Germ. hist. SS. II 333—353 praecipue secutus est eum, de quo infra dicam, Carlsruhensem saec. IX*

1. Repetita haec editio est a Basnage in Canisii Ant. lect. II 232—249, Antwerpiae 1725. 2. Ex hac editione Serariana descripsit vitam anno 1844 Giles in S. Bonifacii opp. II 143—182. 3. Mabilionis editionem recepit Migne anno 1863 in Patrologiae T. LXXXIX 603—634.

codicem, habita quoque ratione duorum bibliothecae Vindobonensis codicum saeculis XI et XIII exaratorum[1].

Omnium autem qui supersunt codicum calamo scriptorum veterrimus, quem priores editores non noverunt quique unus ad recensendum opus maxime pertinet, a Carolo Halm summa cum benignitate mihi roganti suppeditatus est. Est enim

(F) codex quondam SS. Mariae et Corbiniani Frisingensis, hodie bibliothecae regiae Monacensis, Lat. 1086 (Bav. 86) aut exeunte saeculo VIII aut inito saeculo IX scriptus, forma quadrata, membranaceus, qui fol. 1—44 Bonifatii vitam a Willibaldo compositam et fol. 44—102 SS. Willibaldi et Wynnebaldi vitam continet. Nobilissimi huius codicis vestigia potissimum persequenti mihi opitulabatur etiam liberaliter huc missus

(A) codex bibliothecae Carlsruhensis antea monasterii Augiensis, membranaceus saec. IX, scriptus a Reginberto monacho Augiensi[2], *quem die 9 Maii*[3] *a. 846*[4] *obiisse scimus. In manus sumpsi etiam*

1. Hanc Bonifatii vitam singulari studio et sollertia Bernhardus Simson excussit et in Germanicum convertit: „Wilibalds Leben des heiligen Bonifazius, Berlin 1863". Praeterea vitam Germanice reddiderunt H. E. Bonnel Berolini 1857, Ph. H. Külb in Sämmtliche Schriften des heiligen Bonifacius T. II 213—270 Ratisbonae 1859, W. Arndt Berolini 1863. 2. In folio enim anteriori codicis tegmini agglutinato leguntur haec: „In nomine dei Patris et Filii et Spiritus sancti A et ω. Hunc libellum ego Reginbertus scriptor, servorum Dei servus, cum permissu et voluntate seniorum ad servitium Dei et sanctae Mariae ceterorumque sanctorum, quibus in Auua servitur, meo studio ac labore confeci; eumque usibus fratrum inibidem famulantium aptari et conservari deposco; perque Deum optestor, ut nulli a quoquam extra monasterium donetur aut prestetur, nisi qui ibi fidem et pignus dederit, donec eum sanum et salvum suo loco restituat". Habet autem codex praeter Bonifatii vitam etiam vitas et passiones S. Marcialis, S. Medardi, Sergii et Bacchi, S. Goaris, S. Quintini; ita ut palam fiat, hunc codicem nullum alium esse, nisi qui in ipsius Reginberti catalogo (ap. Neugart Episcopatus Constantiensis p. 549) sic inducitur: „In undecimo libro constat. inesse vitas et passiones sanctorum Bonifacii, Marcialis, Medardi, Sergii, Bacchi, Goaris presb., Quintini martyris". 3. V. Necrologium Augiense (Mittheilungen der antiquarischen Gesellschaft in Zürich T. VI): „7 Id. Maii Reginbertus presbyter". 4. Annalium Alamannicorum cont. Augiensis (Mon. Germ. SS. I 50) 846: „Reginbertus obiit".

(B) codicem olim monasterii Benedictoburani, nunc Monacensem Lat. 4618 (Ben. 118), membranaceum, forma quadrata, in cuius fol. 21—46 vitam posuit librarius saec. XI vel XII. Sed cum et hic et ceteri, quos per bibliothecas repperi, codices temerariis correctionibus imo depravationibus redundent, eis non multum debet editio mea.

Willibaldum varii medio aevo vitae Bonifatii explicatores consecuti sunt, quorum nullus nimis magnam materiam ad veram rerum illius gestarum cognitionem attulit.

Etenim Passionem S. Bonifatii scripsit, ut ex extremo libello sentiri potest, canonicus monasterii S. Victoris Moguntini, paullo postquam Willigisus archiepiscopus anno 1011 mortem obiit. Hic, quae auditione famaque cognoverat, credulus et criticae artis expers litteris mandavit, affixa tamen de Willibaldo vitae Bonifatii scriptore et de ecclesia S. Victoris Moguntina relatione haudquaquam negligenda. Tenetur passio haec in uno codice, quondam S. Maximini, hodie bibliothecae civitatis Trevirensis n. 963 membr. saec. XIII, forma maxima; quo usus Henschenius in Act. SS. Iunii T. I 473—477 opusculum primus publicavit[1]*. Ex eodem codice, quem Carolus Schoemann commodissime huc misit, mea editio effecta est.*

Deinde videmus item undecimo saeculo Fuldenses, cum Bonifatii vitam a Willibaldo parum plane dilucideque scriptam intellexissent, de eodem libello in melius mutando assidue cogitavisse. Egbertus enim abbas Fuldensis (1048—1058) a Leone IX (1048—1054)[2] *precatus est, ut ipse pontifex Romanus novam martyris vitam formaret; quoque accuratius et commodius res ageretur, Romam et librorum adiumenta et proprium scribam misit. Sed papa, labore non effecto, anno 1054 de vita migra-*

1. inscriptum sic: „Supplementum auctore presbytero Moguntino". Editionem Henschenianam repetiit Pertzius in Mon. Germ. SS. II 353—357 cum hoc titulo: „Appendix auctore presbytero Moguntino". 2. Egbertus a Leone IX bullam accepit die 13 Iunii 1049, Romaeque apud eundem papam fuit anno 1054; v. Regesta pont. Rom. n. 3172 et 3289.

vit[1]. *Itaque decem fere post annis idem operis velut xenium flagitabant Fuldenses a suo hospite Othlono, monacho S. Emmerammi Ratisponensi, variorum librorum scriptore*[2], *qui, propter episcopi iniurias coenobio suo illatas profugus, Fuldae spatio annorum 1062—1066 commorabatur. Atque is, Fuldensium precibus motus, non modo elocutionem Willibaldi mutavit, sed ipsam etiam narrationem adauxit, aliquibus epistolis Bonifatianis immiscendis*[3] *adhibitisque tum Eigilis vita S. Sturmi tum relationibus non multo diversis ab iis, quibus scriptor Passionis S. Bonifatii usus est, et additis quoque suapte ratione nonnullis rebus, quae spectentur dignis*[4]. *Integrum vero Othloni de Bonifatio librum pervulgarunt*[5] *Canisius anno 1603 ex cod. Rebdorfensi in Antiqu. lect. IV P. II 393—468, Serarius a. 1604 Moguntiacarum rerum libri V 325—434, Mabilio a. 1672 in Act. SS. ord. S. Bened. saec. III P. II 28—87, Ioannis a. 1722 Volumen primum rerum Moguntiacarum 205—273, Migne a. 1863 in Patrologiae T. LXXXIX 633—664. Neque vero meum putavi, totum hoc opus editione repetere, sed in excerptis tantum*

1. V. Othloni praefationem infra. 2. de quo v. quae afferunt Wilmans in Mon. Germ. SS. XI 376 squ. et Wattenbach Deutschlands Geschichtsquellen (ed. 2) p. 304 squ. 3. Protuli supra p. 13 n. 5, Othlonum non recepisse epistolas Bonifatianas nisi ex minore collectione desumptas. Idque apertissimum est. Sed cum in extremo libro I vitae referat Othlonus, se eas Bonifatii epistolas, „quas ad gentis suae populos id est Anglos transmiserit, praetermittere voluisse", factum esse potest, ut Fuldensis codex, quo Othlonus et Flacius utebantur, praeter minorem collectionem etiam nonnullas epistolas contineret, quae nunc in solo codice Vindobonensi leguntur. 4. De hoc opere Othlonus in libro de temptatione (Mon. Germ. SS. XI 390) ita refert: „Cum igitur — fugiens ad Fuldense monasterium venirem ibique, per annos quatuor cum tranquillitate magna commoratus, viderer dictandi scribendique studium frequentare, postulabar — ut sancti Bonifacii vitam, difficili stilo editam, aliquid facilius ederem —; causa ergo tali librum sancti Bonifacii promptus scripsi". Atque licet Othlonus ipsam Bonifatii vitam sine suo nomine proposuerit, tamen in codice Rebdorfensi, quem Ingolstadii 1603 Canisius Antiqu. lect. IV P. II 393 secutus est, vita hunc titulum prae se tulit: „Incipit prologus venerabilis presbyteri Othloni et m. s. coenobii Bonifacii in vitam ipsius". 5. Surius mutato sermone opus Othlonianum edidit a. 1579 De probatis sanctorum historiis III 467—509.

acquievi lectu utilibus, ex quibus quid proprium libelli sit cognoscatur. Quae quidem omnia transtuli ex Abdinghofensi quondam codice bibliothecae cathedralis Trevirensis 102, membr. saec. XI (fol. 83—120), quem Holzer reverendissimus ecclesiae Trevirensis praepositus ad me humanissime misit.

Aetate quidem canonicum Moguntinum et Othlonum antecessit presbyter S. Martini Ultraiectensis, qui iam circiter ineunte saeculo nono[1] *de Bonifatii vita conscripsit. Sed haec relatio, ex codice Ultraiectensi edita ab Henschenio in Act. SS. Iunii T. I 477—481, tantulum momenti habet, ut mea non retulerit nisi de Bonifatii morte narratiunculam inde excipere.*

Penitus vero excludenda videbatur levis et perinfirma vita, quam, in Act. SS. Iunii T. I 481—483 deprompiam, a Monasteriensi scriptore esse nulla probabili coniectura collegit Henschenius.

Berolini Kalendis Decembribus a. 1865.

1. Scriptor enim tradidit, ex iis, qui occidi Bonifatium vidissent, unam tantum mulierem „sed iam valde decrepitam“ suo tempore superfuisse. Eundem ad ecclesiam S. Martini Ultraiectensem referendum esse, planum Henschenius fecit. Sed de Ratbodo episcopo Traiectensi (899—918) cogitari aetas eius vetat; licet eidem in cod. Gothano 64 (ut docet Wattenbach Deutschlands Geschichtsquellen, ed. 2, p. 236) opusculum hoc tribuatur atque Trithemius (in Catalogo illustrium virorum et De scriptoribus ecclesiasticis, opp. ed. Freher T. I 128 et 258) Ratbodum pronuntiet „scripsisse laudes sancti Bonifacii Moguntini archiepiscopi et martyris lib. 1“. — In fabularum numerum reponendus est Ruthardus monachus Hirsaugiensis, quem Trithemius in Chronico Hirsaug. 863 „passionem S. Bonifacii archiepiscopi heroico carmine pulcherrime in duobus libris“ scripsisse mentitur, cuiusque vitam adumbrat ex chronica Megenfridi monachi Fuldensis, scriptoris ipsius omnino excogitati. Qua re decepti, et Cangius (in glossario, 1678 T. I p. CLXXI) Ruthardum in medii aevi scriptoribus refert, et Mabilio aliique interitum poetae dolent, qui nullo unquam tempore fuit.

WILLIBALDI VITA S. BONIFATII.

Dominis[a] sanctis et vere in Christo carissimis Lullo et Megingozo[1] coepiscopis[2] Willibaldus[b], licet indignus, in Domino[c] presbiter. Praecepto piae paternitatis vestrae effectu pariter et voto — non propria[d] ludi[e] litterarii[f] scientia confidens, sed debitum oboedientiae[g] obsequium vestrae inpendens sanctitati[h] — libenter parui[3]; arduumque, quod suggessistis exiguis viribus, opus inchoavi, ad perfectionis terminum fine tenus deducens. Sed obsecro: ut, si quippiam aliter quam vestra expetierit voluntas provenerit, infirmitatis meae inbecillitatem operisque inpositi sublimitatem aequo animo sustentetis[i]. Quoniam maximum mecum reverentiae est indicium[k], cum vestre sublimitatis imperio oboedientiae operam non denego. Quia, si dignum aliquid et nostris temporibus profuturum confecerim[l], divino utique muneri[m] ac praecepti vestri desiderio conferendum est. Quoniam pia quandoque desiderantis voluntas et[4] manum imitatur emunctoris, et inpressionis suae violentia vel minimam quandam desideratae scientiae dulcedinem parat familicumque inpertiendo reficit. Decrevit enim sanctitas vestra insipientem sapientibus et minus idoneum prudentibus coaequare ac praeferre et, quod — sine vestro[n] videlicet conatu — prudenti sermone revelare potuistis, hoc mihi velut ignaro inponere. Sed deprecor: ut, quem praecepti vestri torcular deprimit, precatus adsiduae orationis infundat[o][5]; et mentem, ignaviae caligine obtunsam, voluntas spontaneae dilectionis vestrae vel e somno re-

a. Incipit vita vel passio beatissimi Christi martyris et archiepiscopi Bonifatii. Dominis *A*. b. Willibald *A*. c. in Domino *om. A*. d. proprię *F*, propriae *A*, propria *B*. e. ludis *F*, *corr. in* laudis *A*, ludi *B*. f. litterari *F*, litterali *A*, litteralis *B*. g. obodientiae *F*. h. sanctitate *F*. i. sustenetis *F*, sustineatis *A*, *B*. k. indicium *scripsit Pertzius contra omnes codices*. l. confecerimus *A*, confecero *B*. m. munere *F*, *B*, muneri *A*. n. uro *corr. in* nro *F*, uro *A*, *B*. o. infundet *F*, *B*, infundat *A*.

1. episcopo Wirzeburgensi. 2. sociis dignitatis episcopalis. 3. iunge verba sic: „Praecepto parui effectu pariter et voto". 4. hic quaedam excidisse puto. 5. riget.

suscitet, ut ad ea quae[a] cogentibus vobis invitata est tenacior[b] vivaci sermonum narratione reddatur.

Conpulistis enim me, ut ad normam eorum, quorum aut vitae castimoniam aut[c] morum sanctimoniam sancti procul dubio patres elegante[d] verborum ambage cartis inserendo tradiderunt — petentibus relegiosis ac catholicis viris, quibus vel in Tusciae partibus vel in Galliae terminis vel in Germaniae aditibus aut etiam in Brittaniae[e] limitibus sancti Bonifatii martyris fama miraculorumque choruscatio[f] perstrepuit — sicut discipulis eius secum diu commorantibus vel vobis ipsis referentibus comperirem, prohemium mediumque aut finem vitae eius, quanta valeam indagatione, litteris inseram. Et quemadmodum, primae praevaricationis resoluto cyrografo et verae lucis radio inluciscente[g], Aegesippus, qui sub Anacleto[1] Romam venisse fertur, quinque aecclesiasticorum actuum libros ob utilitatem legentium edidisse perhibetur; Eusebiusque Cesariensis, nominatissimus historiographorum scriptor, cum Pamphilo martyre et adiutore suo suorum sibique antecedentium temporum historias mira eloquii dissertitudine[h] texentes, infinita scriptis volumina ediderunt[2]; nec non et Gregorius, qui erat vir beatae memoriae litterarum studiis eruditissimus glorioso apostolicae sedis culmine praesidens, beatorum scribens confessorum vitam, dialecticum miro ostendens moderamine morem, quattuorque logica expressit ratiocinatione[i] libros[3], qui huc usque, aecclesiarum inserti[k] bibliothecis, elugubratam[l] posteris scientiae adferunt dignitatem; ita beati viri vitam praecelsasque eius virtutes et cultum piętatis[m] atque absti-

a. *sic codd. pro* ad quae; *cf. infra Bonifatii verba Willibrordo dicta:* ut me ad has quas missus sum terras diregas. b. sensus *add. B.* c. at *F*, aut *A*, *B*. d. eleganti *A*, *B*. e. Britaniae *A*. f. coruscatio *A*. g. inlucescente *A*, *B*. h. disertitudine *A*, *B*. i. ratione *A*. k. inserta *F*, *B*, inserti *A*. l. elucubratam *A*. m. piętati *F*, pietatis *A*, *B*.

1. Hieronymus de viris illustribus c. 22 (opp. ed. Vallarsius II 850): „Hegesippus — multaque ad utilitatem legentium pertinentia congregans, quinque libros composuit. Asserit, se venisse sub Aniceto Romam“. 2. Hieronymus l. l. c. 81 (opp. II 906): „Eusebius Caesareae episcopus — et bibliothecae divinae cum Pamphilo martyre diligentissimus pervestigator, edidit infinita volumina“. 3. Dialogorum libros IV.

nentiae robur[a] praesentibus ac post secuturis saeculis iubetis demonstrare. Sed quamvis ad demonstrandam tantarum rerum rationem exiguum me parvumque fieri[b] auctorem cognoscam[c], tamen, exigente benivolentiae vestrae voluntate, hoc quod demandastis, vobis iuvantibus[d], non propriae praesumptionis insollertia[e] fretus sed adsertione catholicorum confisus, adgrediar opus; neque ex parvitatis meae stilo propriae laudis[f] praeconium requirens, sed ex tantae[g] rei relatione[h] profuturum legentibus praebens exemplum; dum hiis quisque instruitur formulis et ad meliora profectus sui perfectione perducitur.

EXPLICIT PROLOGUS[i].

ORDITUR LIBER SANCTI BONIFATII[k].

I[l]. Inlustrem igitur ac vere beatam sancti Bonifatii summi pontificis vitam moresque eius, sanctorum magnopere imitatione sacratos, licet opacitate praepediti scientiae, exili tamen opusculi huius stamine[1] innectere ac simplici historiae tegmine — quemadmodum relegiosis[m] viris referentibus conperimus, qui, cottidiano eius conloquio et relegionis conversatione sedulo praesentati, ea, quae audierunt vel[n] viderunt, in exemplum posteris tradiderunt — congregata verborum raritate[2] texendo[3] nitimur enodare[4], et ab exordio usque ad finem, quanta possumus indagatione, divinae contemplationis eius sanctimoniam revelare.

Cum enim primaevo puerilis aetatis decore multa ut solet maternae sollicitudinis cura ablactatus atque enutritus esset, magna nimirum delectatione, ceterorum postposito amore filiorum, adfectatus est a patre. Sed quia iam labentia cuncta animo subiecerat et aeterna magis quam praesentia cogitare dis-

a. robor *F*, robur *A*. b. fiere *F*, fieri *A*, *B*; *an* fore? c. agnoscam *A*. d. iubantibus *F*, iuvantibus *A*, iubentibus *B*. e. insollertia *F*, insolentia *A*, *B*. f. ludis *F*, laudis *A*, *B*. g. tanta *F*, tantae *A*. h. relatio *F*, relatione *A*. i. explicit prologus *om.* *A*, *B*. k. archiepiscopi *add.* *B*. l. Qualiter in infantia Dei servitium inchoavit *F*, Qualiter in infantia Domini servitium subiit *A*. m. religiosis *A*, *B*. n. et *B*.

1. stamini (i. e. texto, panno). 2. i. e. „congregata verborum (meorum) paucitate". 3. iunge sic: „historiae tegmine texendo". 4. explicare.

posuerat, cum esset annorum circiter quattuor seu quinque, Dei servitio se subiugare studivit[a] multoque mentis conamine de monasteriali iugiter vita insudare et ad eam mentis cottidie nisibus anhelare. Cum vero aliqui — sicut illis regionibus moris est — presbiteri sive clerici populares vel laicos[b] praedicandi causa adissent et ad villam domumque praefati patris familias venissent, mox, quantum possibilitatis eius pusillanimitas in infantia sua praevaluit, coeperat cum eis de caelestibus loquendo tractare et, quid sibi suaeque infirmitati in futurum proficeret, interrogare. Cumque ita diu de caelestibus diuturna mentis meditatione cogitaret ac totum se in futurum extenderet et ad superna erigeret, patri etiam demum haec, quae animo gerebat, revelavit et, ut suae consuleret voluntati, rogavit. Quo conperto obstupefactus, pater magna eum increpationis instantia partim minis, ne se desereret, prohibuit, partim etiam blandimentis ad saecularis negotii curam instigabat; ut temporaneo eum transitoriae hereditatis subiungeret lucro et, sese quandoque defuncto, suae terrenae facultatis custodem immo etiam heredem relinqueret. Verbis quidem quam plurimis, fraudulenta humanae calliditatis usus versutia, tenerum a coepti[c] perfectione propositi animum declinare temptavit; magisque hanc suae tolerabiliorem esse infantiae activam, quamque vitam monasterialis militiae contemplativam, multiplici sermonum adolatione[d] promittit; ut vel sic a propositi huius conamine eum cohiberet et ad mundani[e] luxus mollitiem incitaret. Sed vir, iam Deo in pueritia plenus, quanto est a patre plus prohibitus, tanto, mentis arrepta fortitudine, caelestem adquirere sibi thesaurum et sacris se coniungere litterarum studiis ancxius anhelabat. Fitque mirum in modum, sicuti semper divina agere solet misericordia, ut suo inbecillioris[f] aetatis militoni[1] Deus et coeptae rei solacium et ancxiae voluntatis augmentum obsistentisque repentinam patris mutationem[g] mentis providens condonavit[h]; ita

a. studuit *A*, *B*. b. laici *B*. c. a concepti *B*. d. adulatione *A*, *B*. e. mundanę *F*, mundani *A*, *B*. f. inbecilliores *F*, inbecillioris *A*, *B*. g. motationem *F*, mutationem *A*, *B*. h. condonaret *A*.

1. militi. V. Dieffenbach Glossarium latino-germanicum: „milito".

ut uno eodemque temporis successu et festina patrem egritudo, subitaneo iam inminente mortis articulo, subrepserit[a] et pia quantotius pueri magno temporis intervallo praepedita voluntas succreverit[b]. Dominoque Deo[c] adiuvante, succrescendo impleta est ac perfecta.

Postquam enim miro dispensationis Dei iudicio carnalem ingens[d] sancti viri patrem arripuerat languor, deposita mox pristina mentis pertinacia, puerum, propinquorum facta conventione, ad monasterium, quod priscorum nuncupatur vocabulo Adescancastre[1], spontaneus, a Domino quidem correptus, direxit et fideli viro Wolfhardo[e], qui et abbas illius exstitit monasterii, per fideles suae legationis nuntios redditum commendavit. Quem, puerilibus adhuc in annis constitutus[f], sapienter, suis[g] adstantibus amicis, adlocutus est; et quod multo videlicet tempore monasteriali se regulae[h] subicere desiderasset, rationabile[i] prolata petitione, sicut a parentibus pridem edoctus erat, indicavit. Cui protinus pater monasterii — inito fratrum consilio et eorum accepta, sicut regularis vitae ordo poposcit, benedictione — consensum praebuit et effectum. Sicque vir Dei, carnale[k] orbatus patre, adoptivum nostrae redemptionis secutus est patrem; terrenisque saeculi renuntians lucris, mercimonium deinceps aeternae hereditatis adquirere satagebat; ut iuxta veridicam veritatis vocem, patrem relinquendo aut matrem aut agros aut alia, quae huius mundi sunt, centuplum acciperet et vitam aeternam possideret[2].

II[l]. Expleto igitur, licet summatim, primordiali expositionis nostrae ordine, quali[m] se in initio studiose conversationis

a. surrepsit *B*. b. succrevit *F*, *B*, succreverit *A*. c. domino deoque *A*. d. *superscriptum est* egritudo *in F*. e. Uulfhardo *A*. f. constitutus *corr. in* constitutum *F*. g. suis secum *A*, *B*. h. regula *B*. i. rationabili *A*, *B*. k. carnali *A*, *B*. l. Qualiter adolescentiae incentiva primitus frangeret et omnibus bonis inhereret. *F*, *A*. m. qui quali *F*, quia quali *A*, *B*.

1. „quod Edwardus Maihew in Martyrologio Anglo-Benedictino non male interpretatur Exoniam, vulgo Exeter, primariam Devoniae civitatem ad Iscam flumen, quae Adescancastrum dicta sit, quasi Castrum-ad-Iscam; tametsi monasterium apud Exoniam tum fuisse nullum prodit monumentum“. MABILIO. 2. Matth. 19, 29.

sanctimonia[a] subdiderit, breviter protulimus; ut, fabricae a nobis fundamento confecto, structure paulatim sublimitas ad summa altius erigeretur. Postquam enim aetas et mira in eo scientiae praevaluit fortitudo infantiaequę septem, puerilis adveniente decore aetatis, evolvuntur anni, magna siquidem mentis et ineffabili gravitate, caeleste[b] inspirante gratia, sicut subsequentia huius operis documenta declarant, ditatus est et multarum castimonia virtutum — iuxta ostensum sanctorum exemplar praecedentium et venerabilium instituta patrum — subditus declaratus ac decoratus. Adeo etiam divino exarsit ingenio ac lectionis adprimę se subdidit exercitio, ut, singulis quibusque additis temporis[c] momentis atque horis annorumque curriculis, augerentur etiam in eo superni adiumenta divinaque donorum incrementa protectoris. Et quanto pastoralis pedagogio magisterii est provectus, tanto ad profectum aeternae beatitudinis — sicut fideles confamiliaritatis illius viri pro certo testati sunt — eum cottidiana eius studia iugi ludi litterarii[d] meditatione die noctuque incitavere et contra infestas diabolicae suggestionis persecutiones, que tenerum sepe apud mortales iuventutis florem ceu nebulosae quadam caecitatis caligine obtegere solent, mirabiliter protexere; ita ut etiam propter indesinentem diuturne sollicitudinis eius curam et sempiternam sanctarum legum examinationem inlecebrosa in eo adulescentiae incentiva et carnalium desideriorum impetus primitus inpingentes, domino Deo auxiliante, maxima ex parte sedavere[e]. Magisque ac magis ad communem provehunt populorum[1] doctrinam; quam, non multo transacto temporis intervallo, secundum pontificale aecclęsiasticae diffinitionis[f] decretum[2] inchoavit dilatavit ac perfecit. Quoniam, caduca huius mundi contempnens ornamenta, monasterialis vitae normam in infantia sua rite ac regulariter sub moderata praefati patris gubernatione annos quam plurimos custodivit; donec

a. sanctimonia *corr. in* sanctimoniae *F*, sanctimonia *A*, *B*. b. caelesti *A*, *B*. c. temporis *scripsi pro* temporibus *codd.* d. ludis litterari *F*, laudis litterarii *A*, ludi litteralis *B*. e. sedassent *A*. f. definitionis *A*.

1. sc. paganorum. 2. Gregorii II papae.

— pueritiae[a] facessente[b] lascivia, et pubertatis inchoante adolescentia — ardentior illum[c] ingenioli sui voluntas accendit[d], ut ad finitima quoque monasteria, magisteriali lectionis provocatus penuria, cum consensu atque consilio conservorum fidelium patrisque monasterii perveniret.

Cumque voto simul et mente Omnipotentis sibi adesse incessanter magna precum perseverantia suffragium postularet, tandem, divina caelitus inspirante gratia, ad monasterium, quod usque hodie dicitur Nhutscelle[1], pervenit; et beate memoriae Wynberchtes[e] abbatis, qui venerabiliter praedictum sub regulari disciplina regebat monasterium — spiritali litterarum diligentia provocatus — elegit magisterium fratrumque, secum in Domino viventium, contubernium[f]. Ac sic servorum Dei iunctus consortio, devotum domino Deo servitium et laboriosam vigiliarum instantiam lectionisque divinae operam ingenti meditationis studio exhibuit; ita ut maxima demum scripturarum eruditione — tam grammatice artis eloquentia et metrorum medullata facundiae modulatione, quam etiam historiae simplici expositione et spiritalis tripertita intellegentiae interpretatione inbutus — dictandique peritia laudabiliter fulsit[g]; ut etiam aliis demum paternarum extitit[h] pedagogus traditionum et auctor magisterii, qui et discipulus ante ea[i] subiectorum esse non recusavit[k]. Quoniam[l] sacrae mos est conversationis: ut praeferre se ceteris pertimescat, qui subici aliis rennuerit; quia et recte oboedientiae operam subiectis inpendere non valebit, quam superna praelatis dispensatione iuste non exhibebit[m]. Hanc enim ita omnibus, in commune viventibus, et maxime suo — sub regulari videlicet disciplina — abbati monachica subditus oboedientia praebebat, ut labore manuum cottidiano et disciplinali officiorum administratione incessanter secundum praefinitam beati[n] patris Bene-

a. pueritia *corr. in* pueritiae *F*; pueritiae *A*, *B*. b. facessante *F*, *B*, *corr. in* facessente *A*. c. ardentis *A pro* ardentior illum. d. accenderet *A*. e. Wynberhtes *A*, Wintberhti *B*. f. contuberniā *F*, contubernia *A*, contuberniū *B*. g. fulserit *A*. h. extitit *F*, *B*, extiterit *A*. i. antea *A*, *B*. k. recussavit *F*. l. quia *A*, *B*. m. exhibebat *B*. n. beatissimi atque eximii *B*.

1. Nutshalling s. Nursling, a Wintonia inter occidentem et meridiem, a Southampton inter occidentem et septentriones.

dicti[a] recte constitutionis formam insisteret; omnibusque exemplum bene vivendi in verbo in conversatione in fide et castitate se praebens, ut omnes de fructu eius perciperent et ipse[b] omnium[c] mercedis aeternae perciperet portionem. Sed et humilitatis quoque eius et caritatis excellentiam solus, qui occultorum cognitor est, Deus intime[d] inspectionis eius[e] consideratione novit. Qua omnes sibi commilitones sollerti cura subiuncxerat, ut ab eis timore[f] pariter habebatur[g] et amore et, quem divina dilectione haberent socium, mutuo apostolicae admonitionis honore praevenirent[1] ut patrem. Tantaque in eo affabilitatis erga fratres et caelestis doctrinae succrevit magnitudo, ut, rumore sanctae exortationis eius crebrescente, fama eius multis per monasteria tam virorum quam etiam virginum Christi apertissime[h] claruit[i]. Quorum quidem quam plurimi, virili sexus robore confortati et lectionis instantia incitati, ad eum confluxere et, saluberrimum scientiae fontem potantes, numerosa scripturarum volumina legendo recensere[k]. Quibus ergo sexus infirmioris inbecillitas[l] inerat et adsidua pergendi abnegabatur facultas, tante sibi sapientiae virum, divini inflate[m] spiritu amoris, praesentari fecerunt; paginarumque seriem transcurrentes, celesti instanter scrutinio inhesere[n] et sacramentorum archana[o] mysteriorumque abdita iugiter meditantur[p]. Quem ita superna sublevavit gratia, ut — iuxta egregii praedicatoris exemplar et gentium doctoris[2] vocem — formam habens sanorum verborum in fide et dilectione Iesu Christi[3], sollicite curans se ipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem[q], recte tractantem verbum veritatis[4].

a. confessoris Christi *add. B.* b. *om. F.* c. et ex omnibus ipse *B.* d. intima *B.* e. suae *A.* f. timori — et amori *A*, *B.* g. haberetur *A.* h. aptissime *A.* i. clareret *A.* k. recensuere *B.* l. inbecillitatis *F*, inbecillitas *A*, *B.* m. inflate *corr. in* inflāte *F*, inflatae *A*, *B.* n. inherere *B.* o. arcana *A.* p. meditabantur *A.* q. inconfusibile *A.*

1. Rom. 12, 10: „caritate fraternitatis invicem diligentes, honore invicem praevenientes". 2. S. Pauli. 3. 2 Timoth. 1, 13: „Formam habe sanorum verborum, quae a me audisti in fide et in dilectione in Christo Iesu". 4. 2 Timoth. 2, 15: „Sollicite cura te ipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis".

III[a]. Ad[b] generalem ergo cottidiane contemplationis eius formam et diuturnam parsimoniae continentiam sermo a nobis directus aliquantisper dirivatur[c]; ut[d] per singulos quosque ascensus sublimia huius sancti viri opera propensius conpendiosa verborum raritate exequamur, studiumque vitae per omnia venerabilis sancti Bonifatii subtilius indagando prosequamur; ut et aequa libraminis moderatione exemplar nobis aeternitatis et patens fiat apostolicae eruditionis norma. Qui per sanctorum exempla, arduam[e] caelestis intellegentiae semitam feliciter scandens ac praevium populis ducatum praebens, portam domini Dei nostri, quam iusti intrabunt, ipse ingressus aperuit. Et ab infantia sua usque ad decrepitam aetatis senectutem praeteritorum non mediocriter patrum sapientiam imitatus est; dum prophetarum iugiter et apostolorum verba, stilo sanctitatis conscripta, et gloriosam martyrum passionem, litterarum apicibus insertam, sed et euangelicam domini Dei nostri traditionem cottidię commendabat memoriae, et secundum apostolum, sive manducasset sive bibisset sive aliud aliquid egisset[1], laudis semper praeconium et devote fastigium iubilationis tam mente quam etiam ore persolvebat Deo, iuxta illud psalmigraphi: *Benedicam Dominum in omni tempore; semper laus eius in ore meo*[2]. In tantum enim scripturarum exarsit desiderio, ut omni se intentione earum imitatione et auditione sepius coniungeret; et quae ob doctrinam populorum conscripta sunt, ipse quippe populis[f] mira eloquii dissertitudine[g] et sollertissima parabularum adsertione efficaciter praedicando retexuit. Cui tale discretionis temperamentum inerat, ut[h] et vigori[i] correptionis mansuetudo, et vigor praedicationis mansuetudini[k] non deerat[l]; sed, quem zelus accenderet[m] vigoris, mansuetudo mitigabat[n] amoris. Diviti-

a. Quod doctrinae verbum omnibus praeberet, et quod hanc non suo ante tempus aetatis arbitrio arripuerat. *F*, *A*. b. Sed *B*. c. *corr. in* derivatur *A*. d. tū *B*. e. arduum *corr. in* arduam *F*; arduam *A*, *B*. f. *om. A*. g. disertitudine *A*. h. ut *om. B*. i. vigore *F*, *B*, vigori *A*. k. mansuetudine *F*, mansuetudini *A*, *B*. l. deesset *A*, *B*. m. accenderet *F*, accenderat *A*, *B*. n. mitigaret *B*.

1. 1 Corinth. 10, 31: „Sive ergo manducatis sive bibitis sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite". 2. Ps. 33, 2.

bus ergo ac potentibus liberisque ac servis aequalem sanctae exortationis exhibuit disciplinam, ut nec divites adolando[a] demulceret nec servos vel liberos districtione praegravaret; sed iuxta apostolum omnibus omnia factus est, ut omnes lucrificaret[1]. Qui et doctrinae caelestis documentum[2] non suo ante tempus arripuit arbitrio nec obstinationis suae rapina usurpatum adquisivit, sed sanctae humilitatis profectu — triginta aut eo amplius annorum habens aetatem — magisteriale et familiare[b] sublevatus[c] electione, iuxta canonicae constitutionis regulam suscepit, et ad sacerdotalis officii gradum, diversis donorum ditatus muneribus, accessit; ita ut elemosinis quidem misericordieque operibus, quantum sub regulari monasterialique praevaluit districtione, opere penitus ac voluntate deserviret, sed et, nocturna vigiliarum spatia omnibus horis preveniens, orationis se sollicitius laboriosa operatione exercuit. Cuius nec patientiam ira subripuit nec longanimitatem furor commovit, nec libido continentiam expugnavit nec abstinentiam gastrimargia[d] violavit; sed ita omni se ieiunii frugalitate subiugavit, ut, vinum et siceram non bibens[3], utriusque testamenti imitatus est[e] patres et cum egregio gentium diceret doctore: *Castigo corpus meum et servituti subicio, ne forte, aliis predicans, ipse reprobus efficiar*[4].

IV[f]. Collecta ergo sparsim superius sublimitate sancti huius viri virtutum, silentio quae subsequuntur minime[g] pretermittenda estimamus — quae et fidelium didicimus relatione virorum, et manifesta equidem scripturae patefactione exerere curamus —: quanta suarum perseverantia virium et coeptis bonis inheserat[h] et ad alia quaeque, festine properando, animum[i] incitaret. Cumque diutius mentem supra enumeratis virtutibus edomaret et de die in diem ad altiora bonorum documenta sub predicto

a. adulando *A*. b. magisteriali et familiari *A*, *B*. c. est *add. F*. d. castrimargia *B*. e. imitaretur *A*. f. De eo, quod ab omnibus primatibus directus sit ad Cent, et quod postea ad Fresiam pervenit. *F*, *A*. g. minimae *A*. h. inhaereret *A*. i. animarum *B*.

1. 1 Corinth. 9, 22: „Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos". 2. signum (sc. tonsuram sacerdotalem). 3. Luc. 1, 15: „et vinum et siceram non bibet". 4. V. 1 Corinth. 9, 27.

se presbiteratus gradu proveheret, iam, regnante Ine[a] Westsaxonum rege[1], subitanea quaedam incubuerat, nova quadam seditione exorta, necessitas; et statim synodale a primatibus aecclesiarum cum consilio predicti regis servorum Dei factum est concilium. Moxque omnibus in unum convenientibus, saluberrima de hac recenti dissensione consilii questio inter sacerdotales aecclesiastici ordinis gradus sapienter exoritur. Et prudentiori inito consultu, fideles in Domino legatos ad archiepiscopum Cantuariae civitatis, nomine Berechwaldum[b][2], distinandos[c] deputarunt; ne eorum praesumptioni aut temeritati[d] adscriberetur, si quid sine tanti pontificis agerent consilio. Cumque omnis senatus et universus clericorum ordo, tam providenti[e] peracta conlatione, consentirent, confestim rex cunctos Christi famulos adlocutus est et, cui huius praefate legationis nuntium inponerent, sciscitaret[f]. Tum[g] repente summus in Christo archimandrita qui praedicto praeerat monasterio nomine Wynberch[h], et Wintra[3] qui monasterio quod dicitur Dyssesburg[i][4] praesedebat[k], et Beorwald[l][5] qui divina coenobium gubernatione quod antiquorum nuncupatur vocabulo Glestingaburg regebat, nec non et alii multi huius sancti propositi patres sanctum hunc virum accitum adduxerunt ad regem. Cui et nuntium rex et legationis notitiam inposuit et, adhibitis secum sociis, direxit cum pace. Qui etiam, nuntio sibi inposito, iuxta mandatum seniorum prospero itenere[m] pervenit ad Cent[n], et archiepiscopo summi pontificatus infula praedito sapienter cuncta, quemadmodum edoctus erat a rege, per ordinem revelavit. Et sic, spontaneo accepto responso,

a. iam regnante ..... Saxonum *A*, *ubi inter* regnante *et* Saxonum *rasura est.* b. Berechwaldum *F*, Berehtwaldum *A*, Berethwaldum *B*. c. destinandos *A*, *B*. d. praesumptione aut temeritate *F*, praesumptioni aut temeritati *A*, praesumptioni aut temerari *B*. e. evidenti *B*. f. sciscitatus est *A*, sciscitarent *B*. g. dum *B*. h. Wynberht *A*, Wynberh *B*. i. Tyssesburg *A*, Tyusburch *B*. k. *corr. in* praesidebat *A*. l. Berowald *B*. m. itinere *A*, *B*. n. Caent *A*, Gent *B*.

1. 688—725. 2. 692—731. 3. „Wintra abbas“ et „Beornwald abbas“ comparent in Inae regis tabula d. d. 26 Mai. 704 ap. Kemble Cod. dipl. aevi Saxonici I 57—58 et ap. Thorpe Diplomatarium aevi Sax. p. 13. 4. quod putant esse Tisbury in Wiltschire, a Salesbury ad occidentem. 5. de quo v. supra p. 48 n. 3.

post non multos dies reversus est ad patriam, praefatoque regi ac praedictis servis Dei secum adsistentibus a venerabili archiepiscopo spontaneum scienter detulit responsum, et magnum universis contulit gaudium. Ac sic deinceps mira dispensationis Dei benivolentia nomen eius diffamatum est et celebre apud omnes tam seculares dignitates quam[a] ecclesiastici officii ordines habebatur; ita ut a modo, iam in futurum proficiens, synodali sepissime eorum intererat[b] instituto.

Sed quia mens etiam Deo dicata[c] favoribus non adtollitur humanis nec laudibus sublevatur, coeperat ad alia multa sollicitudinis cura adtentius properare, et parentum adfiniumque suorum consortia devitare, et peregrina magis quam paternae hereditatis terrarum loca desiderare. Sed cum sic longo temporis intervallo secum sollertissime deliberaret, ut patriam parentesque desereret; tandem, arrepto beatae memoriae et praedicti patris consultu, cuncta animi[d] sui secreta, intra conscientiam ante ea[e] abscondita, patenter aperuit et magna precum instantia ad consensum suae voluntatis sancti viri animum provocavit. Qui etiam, magna primitus admiratione obstupefactus, poscenti sane supplicantique desideratum ad tempus contradixit iter, ut cepti propositi sedaret industriam; sed ad extremum, invalescente omnipotentis Dei providentia, convaluit[f] sermo petentis. Et tanta[g] abbatis fratrumque suorum, secum sub regulari disciplina viventium, devotione adoptatum[h] inchoaverat[i] iter dominoque Deo dispensante compleverat[k], ut[l] ei etiam humani sumptus solacia libenter inpenderent et magna cordis commotione lacrimarum diutius infusiones orationumque supplicationes pro eo ad Deum[m] funderent.

Hic etiam dum, spiritali confortatus armatura et seculari sublimatus sumptura, utriusque vitae stipendiis minime careret, adhibitis secum duobus aut tribus fratribus, quorum corporali
716 spiritalique indigebat sustentaculo, profectus est. Ac sic, in-

a. etiam *add.* *A*, *B*. b. interesset *A*. c. deo dedicata *A*. d. animis *F*, animi *A*, *B*. e. antea *A*, *B*. f. etiam *add.* *A*, *B*. g. tanti *B*. h. optatum *B*. i. inchoaret *B*. k. compleret *B*. l. utque *B*. m. dominum *A*.

mensis peragratis terre partibus, prospero ovans[a] fratrum comitatu, pervenit ad locum, ubi erat forum rerum venalium et usque hodie antiquo Anglorum Saxonumque vocabulo appellatur Lundenwich[b][1]. Ac non multo transacto post liminio[2], nautarum naviter novus quidem epipata[3], consentienti[c] nauclerio, adgressus est navem; nauloque inpenso, prospero ventorum flatu pervenit ad Dorstet[d][4], ibique aliquandiu commoratus, debitum domino Deo exsolvit die noctuque preconium. 716

Sed quoniam, gravi ingruente paganorum impetu, hostilis exorta dissensio inter Carlum principem gloriosumque ducem Franchorum[e] et Raatbodum[f] regem Fresonum[5] populos ex utraque parte perturbabat maximaque iam pars ecclesiarum Christi, quae Franchorum[g] prius in Fresia subiecte erant imperio, Raatbodi[h] incumbente persecutione ac servorum Dei facta expulsione, vastata erat ac destructa, idolorum quoque cultura exstructis delubrorum fanis lugubriter renovata, tum vir Dei, perspecta perversitatis nequitia, pervenit ad Trech[i]; ibique aliquantis exspectatis diebus, advenientem regem Rędbodum[k] adlocutus est. Et multis illarum[l] circumvallatis ac conspectis terrarum partibus, utrum sibi in futurum praedicationis uspiam patesceret locus, perquireret; proponensque animo, ut, si quanam in parte huius populi euangelii umquam aditus claresceret, verbi quidem Dei semina ministraret. Quod etiam, multis transactis annorum curriculis, gloriosa martyrii testificatio conprobavit.

Adlocutus est cum Ratpotum regem.

Sed quia sanctorum singulare munus est sanctitatis, ut, dum

a. ebans *F*, ovans *A*, *B*. b. Lundewich *B*. c. consentiente *A*. d. Dorfstet *B*. e. Francorum *A*. f. Raatbodum *F*, Rẹ̊dbodum *A*, Radbodum *B*. g. Francorum *A*. h. Rẹ̊dbodi *A*, Radbodi *B*. i. Trehct *A*, Trecht *B*. k. Raedbodum *A*, Radbodum *B*. l. *in F sequuntur haec:* adlocutus est cum Ratpotum regem. *Quae verba cum ex margine in textum devenisse pateat, in marginem ea revocavi.*

1. London. 2. exsilio. V. Ducangii et Dieffenbachii glossaria: „liminium". 3. vector. 4. Wijkbij Duurstede ad Lacam fl. (Leck), ab Ultraiecto inter orientem et meridiem. 5. anno 716; v. Annales Petavianos, Laureshamenses, S. Columbae Senonenses, Mettenses, Chron. Moissiacense, Mon. Germ. SS. I 7, 24, 102, 323, 291. Ad eundem annum 716 refert primum hunc Bonifatii ad Fresiam accessum ipse Willibaldus infra narrans, eum (a. 755) mortuum esse „quadragesimo peregrinationis anno revoluto".

716 ad tempus suum sine spiritalis virore germinis laborem minime[a] pollentem perspiciunt[b], ad alia prorsus loca foecunda[c] laboris cum fructu migrant[d] — quoniam in cassum[e] inhabitatur locus, si et fructus deest sanctitatis — sanctus enim vir, dum stere-
717 lem[f] aliquandiu Fraesonum terram inhabitaret et estatis autumnique aliquantulum tempus praeteriret, iam arida caelestis rore fecunditatis relinqueret[g] arva. Et ad natale, suis[h] secum sumptis conviatoribus, solum migravit ac, monasterii sui secreta petens, etiam ibidem secundi siquidem anni[1] hiemem, tripudiantium fratrum amore susceptus, hiemando transegerat, et[i] apostolicam gentium doctoris vocem imitaretur dicentis: *Ibi enim constitui hiemare*[2].

V[k]. Transcursis iam ex parte sancti viri virtutibus, subsequentia eius, quemadmodum rem rumigerulis refferentibus gestam conperimus, patenter proferimus, ut apertior in perpetuum vitae morumque eius ad normam sanctae conversationis illius tendentibus pateat callis. Cumque ingens peregrinationis exegisset discrimen gurgitumque maris evasisset dispendium, et fratrum suorum iterum reversus se societati[l] dedisset eorumque contubernio dies deinde plurimos iniuncxisset; gravi demum mentis arreptus est merore et recenti oppressus animi mestitia: dum senilia iam magistri membra infirmari conspiceret extremumque, adstante monachorum congregatione, obitus sui diem, languoris convalescente inmensitate, vibrando[m] palpitandoque inminere; et tandem, deposito corporis ergastulo, sub triste[n] merentium aspectu fratrum ultimum efflare spiritum videret. Quia in sanctorum frequenter cordibus conpassionis specialiter condolens refulget pietas[o]; qua ad tempus sedulo solent con-

a. minimae *A*. b. perspexerint *A*. c. faecundo *A*, *B*. d. migrent *A*, *B*. e. casum *F*, cassum *A*, *B*. f. sterilem *A*. g. reliquerat *A*, *B*. h. sui *F*, suis *A*, *B*. i. et *F*, *corr. in* ut *A*. k. Qualiter, defuncto abbate suo, cum fratribus aliquantum tempus commoratus est, et postea ad Romam cum commendaticiis episcopi sui litteris pervenit *F*, Quantulum tempus commoratum est — pervenit *A*. l. societate *F*, societati *A*, *B*. m. bibrando *F*. n. tristi *A*, *B*. o. est *add*. *F*.

1. secundi anni, postquam in Fresiam profectus est. 2. Tit. 3, 12.

tristari, sed, apostolico inherentes precepto[1], in Domino iugiter 717
consolantur. Iam blande adorsus est fratres et spiritalibus eos conloquiis, paternae memor traditionis, hortatur: ut regularis iugiter constitutionis formam et aecclesiasticae diffinitionis[a] normam in omnibus conservarent; et, ut patris cuiuslibet spiritali[b] se subiungerent imperio, instruxit. Tunc omnes uuanimiter[c] consonis instabant vocibus, et sanctum hunc virum, qui illo dicitur in tempore Wynfrith[d], cuncti precarentur[e]: ut pastorale super eos abbatis susciperet magisterium. Sed, refutatis mox patriae facultatibus et primatu regiminis abiecto, ad praedistinata iam promptus ac paratus, sollerti se cura excusavit[f]. Omnemque proheredum substantiam abnegando rennuit.

Cum vero hibernale iam tempus praeteriret et calor estatis 718
candesceret, pristinaque labentis anni renovatur[g] intentio, et omni quippe sollicitudine iter omissum iterando renovare studivit[h]. Tunc litteris etiam commendaticiis a beatae memoriae Danielo[i], Dei plebis speculatore[2], acceptis, ad limina apostolorum Romam venire temptavit. Quem tamen[k] resistentium aliquandiu fratrum orbata patris inpedivit necessitas, caritasque heiulantium ac conpassio utrubique dolentium ad tempus obsistebat; ita ut magno quidem mentis angore premebatur[l] et, in quam se verteret partem, ignorabat[m]. Metuebat enim, ne grex, magistro commissus, iam sine vigilanti pastoris custodia, eo decedente, luporum morsibus[n] pateret; et, ut peregre proficiscendi autumnale sibi deficeret tempus, formidabat[o]. Cumque omni-

a. definitionis *A*. b. spiritalis *A*, *B*. c. unianimiter *F*. d. Wynfrid *A*, Winfrid *B*. e. *corr. in* precabantur *A*. f. excussavit *F*. g. renovaretur *A*. h. studuit *A*, *B*. i. Danihele *A*, *B*. k. tē *B*. l. premeretur *A*, *B*. m. ignoraret *A*, *B*. n. mursibus *F*. o. formidaret *F*, formidabat *A*, *B*.

1. 2 Corinth. 1, 5: „sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra". 2. Daniel ep. Wintoniensis tabulae ap. Kemble Cod. dipl. aevi Saxonici I 113 subscripsit sic: „Ego Daniel dei plebis famulus et speculator". Saepissime autem posuit haec: „dei plebis famulus"; v. supra p. 71 et 161 et tabulas ap. Kemble I 92 et 98. Itaque, cum Daniel in Bonifatii et Lulli ep. 11, supra p. 61, qua Wynfrithum omnibus commendat, sese „Dei famulorum famulum" appellet, has „litteras commendaticias", quas quidem legisse Willibaldus videtur, ab illa epistola diversas fuisse liquet.

718 potens Deus, solita non inmemor pietatis suae clementia, servum suum tanta[a] animi pressura perturbatum et ancxio vellet dolore eripere et iocundum gregi praevidere magisterium[b], iam praefati antistitis[c] erga fratres intestina facta est meditatio; et bone indolis virum nomine Stephanum huic praesedere[d] fecit aecclesiae, et sanctum hunc virum, per longas peregrinationis vias ire volentem, ad loca incolomem destinata direxit.

Qui protinus quidem, valedicens[e] fratribus, profectus est, locumque per longa terrarum spatia, qui iam praedicto dicitur nomine Lundenwih[f], voti compos adiit. Et celocis celeriter marginem scandens, coepit ignotas maris temptare vias. Trepudiantibusque[g] nautis, inmensa choro[1] flante carbasa consurgebant; et pleno vento prosperoque cursu hostia citius fluminis quod dicitur Cuent[h][2], omni iam expertes periculi naufragio, aspiciunt; et ad aridam sospites terram perveniunt. Sed et castra metati sunt in Cuentawich[3], donec superveniens se collegarum[i] multitudo congregasset.

Omnibusque collectis, per singulos quosque[k] dies inminente hiemis frigore, profecti sunt. Multasque sanctorum ecclesias orando adierunt, ut tutius, opitulante Altithrono, alpina nivium iuga transcenderent Longobardorumque[l] erga illos humanitatem[4] mitius sentirent militumque[5] malitiosam superbiae ferocitatem facilius evaderent. Cumque, sanctorum suffragante patrocinio et domino Deo dispensante, omnis quippe cohors contribulium[m] comitatu[n] huius sancti viri inherens limina beati Petri apostoli prospere adgressus est, inmensas statim Christo pro sospitate

a. *om. F.* b. magis *F*; magistrum *corr. in* magisterium *A*; magisterium *B.* c. antistites *F.* d. praesidere *A, B.* e. valedicentis *F*, valedicens *A, B.* f. Lundenwich *A, B.* g. tripudiantibusque *A*, tripudiantibus vero *B.* h. Gent *B.* i. collegum *F*, collegarum *A, B.* k. *om. F.* l. Langobardorumque *A.* m. contribunalium *F, A, B.* n. comitatui *A.*

1. coro, cauro. 2. Canche fl. in Picardia. 3. is „vicus ad Quantiam" non iam exstat, fuisseque videtur prope Stapulas (Etaples) et monasterium S. Iudoci (St. Iosse). Cf. Valesii Notitia Galliae p. 461. 4. cf. infra, ubi est de „optimo Longobardorum rege Liodobrando". 5. de his imperatorum Graecorum militibus in Italia constitutis v. Roth Gesch. des Beneficialwesens p. 295.

eorum grates persolvunt; atque aecclesiam sancti Petri principis 718
apostolorum magno cum gaudio ingressi, abolitionem[a] peccaminum postulantes, diversa quidem munera eorum quam plurimi detulerunt.

Transactis autem[b] diebus non multis, sanctus vir iste venerabilem sedis apostolicae papam beatae memoriae Gregorium[1], a primo secundum et novissimo priorem, affatus est — qui et vulgarica Romanorum lingua dicitur *iunior* — omnemque sibi per ordinem iteneris[c] sui atque adventus occasionem[d] manifestavit et, quali ancxius desiderio diutius desudasset, aperuit. Sanctus itaque papa, repente hilari vultu adridentibusque oculis intuitus in eum, inquisivit, an litteras ab episcopo suo commendaticias detulisset. At ille, et iam concitus exempto[2] pallio[3], cartam ex more involutam litterasque protulit deditque mirabili sanctae recordationis viro. Qui statim, acceptis litteris, annuens ei, ut abiret. Apostolicus vero papa, perlectis litteris et recensita commendaticiae conscriptionis carta, sedulum deinceps cum eo habebat cottidianae disputationis conloquium; donec
proficiscendi redeundique estivum instaret tempus. Cum vero 719
Nisan mensis, qui est Aprelis[e], praeteriret, et Iari[f], qui et Maius, iam porte patescerent, tum etiam, postulata atque accepta
apostolicae sedis benedictione et litteris[4], a beatissimo papa[g] Mai. 15
ad inspiciendos inmanissimos Germaniae populos directus est; ut, an inculta cordium arva, euangelico arata vomere, praedicationis semen recipere voluissent, consideraret.

Ac sic extimplo, collecta numerosa reliquiarum multitudine, reciproco suorum reditu conservorum[h] Italiae fines adiit[i]; optimumque Longobardorum regem Liodobrandum pacificis salutatum
muneribus compellavit; et honorifice ab eo susceptus, lassata[k] Adlocutus cum Liutprando rege.
ex itenere membra requiescebat. Ac sic remuneratus, ardua ac

a. obolitionem *F*, *B*. b. h̃ *F*. c. itineris *A*. d. occassionem *F*. e. Aprilis *A*, *B*. f. Iair *F*, Iari *A*, *B*. g. pape *F*. h. servorum *F*. i. *in F sequuntur haec:* Adlocutus cum Liutprando rege, *sine dubio e margine in textum illata.* k. lassato *F*.

1. II. 2. sc. e sinu sive e pera. 3. panno (scripta comprehendente). 4. Bonifatii et Lulli ep. 12 supra p. 62.

719 plana agrorum peragrans spatia, praerupta Alpium iuga transcendit.

Incognitosque[a] Baiuariorum[b] et confines Germaniae terminos adgrediens, in Thyringeam iuxta mandatum apostolicae sedis considerando progressus est; ad instar videlicet prudentissime apis, quae suotim[c] camporum circumvolat arva et, numerosam redolentium herbarum copiam pennigeris molliter perstrepens alis, circumvallat, carpentique rostro pertemptat, melliflua ubi nectaris lateat dulcedo, et suis eam, omni penitus mortiferi sucus[d] amaritudine contempta, alveariis[e] invehit, et secundum quandam apostolicae ratiocinationis eloquii[f] similitudinem, omnia probat et quod bonum est tenet[1]. Sanctus itaque vir in Tyringea iuxta insitum sibi mandatum apostolici pontificis senatores denique plebis[g], totius[h] populi principes, verbis spiritalibus affatus est, eosque ad veram agnitionis viam et intellegentiae lucem provocavit, quam olim ante maxima[i] siquidem ex parte, pravis seducti doctoribus, perdiderunt. Sed et sacerdotes ac presbiteros — quorum alii relegioso Dei se omnipotentis cultu incoluerunt, alii quidem, fornicaria contaminati pollutione, castimoniae continentiam, quam sacris servientes altaribus servare debuerunt, amiserant — sermonibus euangelicis, quantum potuit, a malitiae pravitate ad canonicae constitutionis rectitudinem correxit admonuit atque instruxit.

Et Franciam deinde, fratribus secum comeantibus, ingressus est. Statimque audita[k] Raatbodi[l] Fresonum regis[2] morte, alveum[m] quidem fluminis[3], magno gavisus gaudio, navigio ascendit, optans, quod etiam Fresia recipisset[n] verbum Dei; et ad[o] incultas caelesti praedicatione terras pervenit. Iamque atrocis cessante regis Raatbodi[p] persecutione, doctrinae caelestis semina ministravit; et, verbi Dei fame expulsa, familicam paganicae

a. incognitasque *F.* b. Baguariorum *A*, *B.* c. suotim *F*, *A*, consuetim *B*; *an* sugotim? d. sucis *F*, sucus *A.* e. albeariis *F*, alveariis *A*, *B.* f. eloqui *F.* g. pleb̄ *F*, plebis *A.* h. totiusque *A*, *B.* i. maxime *F*, *corr. in* maxima *A.* k. audito *F.* l. Raedbodi *A*, Radbodi *B.* m. albeum *F.* n. recepisset *A*, *B.* o. aut *F*, ad *A*, *B.* p. Raedbodi *A*, Radbodi *B.*

1. 1 Thessal. 5, 21. 2. quem a. 719 obiisse constat. 3. Rheni.

superstitionis multitudinem pabulo aeternae praedicationis reficit. 719
Cumque desiderantis repente[a] mentem spontaneus operis sequeretur effectus et votiva praedistinatae doctrinae lux, domino Deo dispensante, claresceret, Carlique[b] ducis gloriosi super Fresones roboratum esset imperium, iam bucina caelestis verbi increpuit et, praedicatorum adveniente superni roris fertilitate, vox intonuit Dei, et iam[c] per Willibrordum, virum venerabilem, ac cooperatores eius propagatus est sermo. Sed quia messe[d] quidem multa operarios inesse paucos[1] cerneret[e], sanctus hic Dei
famulus cooperator etiam factus est per tres instanter annos 719—722
Willibrordi archiepiscopi; multumque in Christo laborans, non parvum Domino populum, destructis delubrorum fanis et exstructis aecclesiarum oratoriis, praefato pontifici[f] opitulante adquisivit.

Cum vero summus hic senuerat[g] pontifex et aetatis plurimis gravabatur[h] annis, decrevit, etiam suggerente discipulorum coetu, ut solacium tanti ministerii[i] suae decrepitae senectuti praevideret et fidelem de parva congregatione virum elegeret, qui tanto praeesse potuisset populo. Accitoque hoc Dei[k] famulo, salutari eum instructione admonuit: ut episcopalis quippe regiminis susciperet gradum, et[l] ad regendum Dei populum sibi subveniret. Qui etiam, humiliter repente respuens, minime se dignum esse episcopatus gradu referebat; et, ne sibi tantae dignitatis fastigium adolescentiae adhuc in annis constituto inponeret, deprecatus est; et, quoniam quinquagesimi anni iuxta canonicae rectitudinis normam necdum plene reciperet aetatem, testatus est; ut omni se penitus excusationis tergiversatione ab huius gradus[m] celsitudine declinaret. Praedictus itaque tam sancti praeconii[n] pontifex placidis illum verbis increpavit, et diligenti eum cura ad huius propositi gradum instigavit, populique sub-

a. repentē *F.* b. *corr. in* Carolique *A*; Carolique *B.* c. et iam *om. F.* d. messes *F*, messe *A*, *B.* e. cernebat *A.* f. pontifice *A.* g. senuisset *A*, senueret *B.* h. gravaretur *A.* i. ministeri *F*, ministerii *A*, *B.* k. huic *F* *pro* hoc dei; hoc dī *A*; huic dei *B.* l. *om. F.* m. gradu *F.* n. p̄coni *F.*

1. Matth. 9, 37.

719—722 iecti maximam magnopere paupertatem praedicebat[a]. Sed cum neque sic correptus ad suscipiendum huius celsitudinis gradum consentiret, iamque per longas tricationum moras spiritalis inter eos orta est contentio et consona pulchre discretionis facta dissensio. Hic vero, grandi praeventus humilitate, tanti[b] gradum contradixit honoris; ille autem, piissimi appetitu lucri inretitus, salutem concupivit animarum. Cumque sic diversa iam sermocinationum verba invicem protulissent, et sanctus hic Dei servus, velud in spiritale[c] quodam stadio positus, placite prorsus excusationis exerens sermonem, ait: *O summe sanctitatis pontifex, o spiritalis proreta agonis. Ego enim a beato sanctae recordationis Gregorio papa Germanicis mandatum gentibus detuli; ego, apostolicae sedis legatione fungens ad occidentales barbarorum regiones, sponte tuae me gubernationis dominio iniuncxi et propriae voluntatis arbitrio, ignorante dominorum sublimatu, copulavi; quorum usque in hodiernum diem sponsionis voto constrictus sum servituti ac subiectus. Quapropter sine apostolicae sedis consultu et authenticae iussionis mandato tam praeclare sublimitatis ordinem suscipere non audeo.* Sed et alia quoque rationabile[d] petitionis supplicatione verba proferebat, dicens: *Obsecro igitur, ut me, propriae sponsionis vinctum catenis, ad has quas primitus a sede apostolica missus sum terras distinando diregas*[e]. Cui protinus vir Dei, audita tantae professionis causa, data ei benedictione, licentiam dedit abeundi.

722 Qui, etiam statim proficiscens, pervenit ad locum cui nomen inscribitur Amanaburch[f 1], iuxta apostolum enutritus verbis fidei et bonae doctrinae, quam adsecutus est[2].

VI[g]. Per singulos enim a prochemio[h] gradus virtutis documenta et laboris in Domino constantiam huius sancti viri perstrincximus, ut sequentia subtilius bonorum eius exempla conglobatim ad memoriam revocemus. Cumque ingentem Do-

a. praediceret *F*, *B*, praedicebat *A*. b. tangi *F*. c. spiritali *A*, *B*. d. rationabili *A*, *B*. e. dirigas *A*, *B*. f. Amanaburg *A*, *B*. g. Qualiter per omnem aetatem suam praedicationis studium exercuit et quali hunc mundum fine dereliquid *A*. h. prohemio *A*, *B*.

1. Amöneburg in Hassia. 2. 1 Timoth. 4, 6.

mino populum in Fresonis adquireret, multique, ab eo spiritali 722 doctrina edocati[a], ad agnitionem veritatis, inradiantibus vere lucis radiis, pervenerunt, tunc quippe Domino patrocinante[b] alias Germaniae praedicandi causa partes adiit et supra dictum locum, cui gemini praeerant germani, Dettic[c] videlicet et Deorwlf[d], Domino auxiliante obtinuit. Eosque a sacrilega idulorum[e] censura, qua sub quodam christianitatis nomine male abusi sunt, evocavit; ac plurimam populi turbam, recte patefacta intellegentiae via[f], errorum deposito horrore, a malivola gentilitatis superstitione retraxit; et monasterii, collecta servorum Dei congregatione, cellam construxit. Similiter et iuxta fines Saxonum Hessorum populum, paganicis adhuc ritibus oberrantem, a demoniorum, euangelica praedicando mandata, captivitate liberavit.

Multisque milibus hominum expurgata paganica vetustate baptizatis, idoneum quippe nuntium ac fidelem suarum litterarum portitorem, nomine Bynnan, Rome[g] direxit; patrique venerabili apostolicae[h] sedis pontifici universa, quae circa illum Domino donante facta sunt, muta quidem littera[i] ministrante, per ordinem revelavit et, ut[k] magna siquidem hominum multitudo, divino inlustrante spiritu, regenerationis perciperet sacramentum, manifestavit. Sed et de rebus, quae ad cottidianam aecclesiae Dei necessitatem populique proventum pertinebant, plura ob consilium sedis apostolicae interrogando conscripsit. Cum enim aliquantos dies praefatus hic nuntius praedicto maneret loco et iam reditus sui tempus instaret, tunc etiam a praefato sedis apostolicae pontifice mutuum legationis suae responsum accipit[l]. Et statim reversus, cartam sedis apostolicae conscriptionis iam, non multo transacto tempore, magistro adtulit.

Cumque sanctus vir adlatas legisset litteras carptim, se invitatum ad Romam intellexit; festinusque summum oboedientie gradum implere temptavit. Clientumque confestim stipatus caterva et fratrum circumseptus agmine, Francorum ac Burgun-

a. educati *A*. b. pratrocinante *F*. c. dę ettic *F*, Dettic *A*, Dectihc *B*. d. deoruulf *F*, deorulf *A*, *B*. e. idolorum *A*, *B*. f. viae *F*. g. Romam *A*, *B*. h. apostolici *F*. i. muto — littero *F*. k. quod *A*. l. accepit *A*.

722 dionum Italiaeque, iam collibus Alpium transcensis, limitum fines militumque[1] terminos transmigravit. Et Romanae urbis moenibus conspectis[a], Altithrono repente condignas gratiarum laudes rependit et, ad beati Petri mox aecclesiam perveniens, diligenti se oratione munivit. Cum vero lassata paulisper membra quievissent, iam beato Gregorio apostolicae sedis pontifici nuntiatum est, quod hic Dei famulus adveniret. Qui etiam bene susceptus, zenodochium[b] adductus est.

Adveniente itaque oportuno conlocutionis eorum die et ad basilicam beati Petri apostoli adventante glorioso sedis apostolicae[c] pontifici[d], confestim hic Dei famulus invitatus est. Et cum paucis ad invicem ac pacificis se salutassent verbis, iam de simbulo et fidęi aecclesiasticae traditione apostolicus illum pontifex inquisivit. Cui mox hic vir Dei humiliter respondit, dicens: *Domine apostolicę, novi me imperitum, iam peregrinus, vestrae familiaritatis sermone*[2]*; sed queso, ut otium*[e] *mihi tempus conscribendae fidęi concedas, et muta tantum littera meam rationabiliter fidem adaperiat.* Qui etiam protinus consensit et, ut festine hanc scripturam deferret, imperavit. Cumque, aliquanto temporis evoluto spatio, sanctae Trinitatis fidem, urbana eloquentiae scientia[f] conscriptam, detulisset, reddiditque[g] praefato pontifici. Exspectavit nihilominus quippe dies adhuc aliquos.

Sic saltim reinvitatus est; et, Lateranem introductus, humiliter prono vultu protinus, postulata benedictione, pedibus apostolici pontificis advolutus est. Quique repente elevavit eum a terra; et cartam, in qua integra et incorrupta fidęi patuit veritas, huic Dei famulo reddidit; eumque consedere fecit. Et salutare[h] eum admonitionis doctrina instruxit, ut hanc sine intermissione intemeratam fidęi munitionem conservaret et aliis instanter suarum pro possibilitate virium praedicaret. Multa quoque alia de relegione sanctitatis et fidęi veritate sciscitando

a. conspectibus *F.* b. zenodochiam *F*, xenodochium *A*, *B.* c. apostolici *F.* d. pontifice *A.* e. *manus recens corr. in* otiosum *F.* f. urbana eloquentiae scientiae *F*, urbana eloquentiae scientia *A*, *B.* g. reddidit *A.* h. salutari *A.*

1. Cf. supra p. 444 n. 5. 2. sermone tum Romae populari.

profert, ita ut omnem pene diem pariter conloquendo alternatim ducerent. Et ad extremum, qualiter populi, per devia prius facinorum oberrantes, fidei documenta sua praedicatione perciperent, sciscitatus est. Et cum pro certo comperisset, quod maximam quidem multitudinem plebis[a] a sacrilega demonum cultura ad consortium sanctae aecclesiae adsciscceret[b], intimavit quippe ei, quia episcopatus sibi inponere gradum voluisset, populisque — pastorali prius sollicitudine privatis et iuxta sententiam domini Dei nostri iacentibus sicut oves non[c] habentes pastorem[1] — praeferre. Sed quia contradicere huic tanto pontifici apostolice[d] sedi[e] praelato non auderet, consentit etiam et oboedivit. Sicque summus sanctae auctoritatis pontifex diem constituit ordinationis, id est pridie Kalendarum Decembrium. 722

Cumque sanctus sacre sollempnitatis dies et natalicius sancti Andreae[2] et praefinitae ordinationis inluxisset, iam sacer sedis apostolicae pontifex episcopatus sibi et nominis, quod est Bonifatius[3], inposuit dignitatem. Eique libellum, in quo sacratissima aecclesiasticae constitutionis iura pontificalibus sunt digesta conventibus, accommodavit; et, ut ex hoc inconvulsus[f] apud se pontificalis hic[g] disciplinate institutionis ordo permaneret populique subiecti his inbuantur exemplis, imperavit. Sed et familiaritatem sanctae sedis apostolicae tam sibi quam omnibus sibi subiectis ex hoc in futurum condonavit. Et Carli ducis gloriosi[h] suis sacratissimis litteris[4] regni munimine ac devotione sanctum hunc virum, episcopatus gradu pollentem, subiugavit[5] .... Nov. 30

.... Quique etiam, dum per longos viarum anfractus ingentium populorum adisset confinia, iam quidem ad praefatum Franchorum[i] principem venit. Et venerabiliter ab eo susceptus, 723

a. pleb̄ *F*, plebis *A*. b. adsciciret *F*. c. *Pertzius praebet perperam:* sicut necnon. d. apostolico *F*. e. *corr. in* sedis *A*. f. inconvulsa *F*, *A*. g. haec *F*. h. gloriosis *F*. i. Francorum *A*.

1. Matth. 9, 36: „iacentes sicut oves non habentes pastorem". 2. 30 Nov. anni 722, v. supra p. 21. 3. Certum est, Wynfritho iam antea etiam Bonifatium nomen fuisse (v. Bonifatii ep. 12, 14, 16, supra p. 62, 66, 74); itaque Gregorius II papa, episcopum consecrans, eidem solum et proprium nomen Bonifatio indidit. 4. Bonif. ep. 21, supra p. 81. 5. Hic quaedam excidisse, apertum est.

723 litteras praedicti Romani pontificis sedisque apostolicae Carlo duci[a] detulit; eiusque dominio ac patrocinio subiectus[1], ad obsessas ante ea Haesorum moetas[b] cum consensu Carli ducis rediit.

Tum[c] vero Haesorum[d] iam multi, catholica fide subditi ac septiformis Spiritus gratia confirmati, manus inpositionem acciperunt[e]. Et alii quidem, nondum animo confortati, intemeratae fidęi documenta integre percipere rennuerunt; alii etiam lignis et fontibus clanculo, alii autem aperte sacrificabant; alii vero ąruspicia et divinationes, prestigia[f] atque incantationes occulte, alii quidem manifeste exercebant; alii quippe auguria et auspicia intendebant diversosque sacrificandi ritus incoluerunt. Alii etiam, quibus mens sanior inerat, omni abiecta gentilitatis profanatione, nihil horum commiserunt[g]. Quorum consultu atque consilio roborem quendam[h] mire magnitudinis, qui prisco paganorum[i] vocabulo appellatur *robor Iovis*[k], in loco qui dicitur Gaesmere[l][2], servis Dei secum adstantibus, succidere temptavit. Cumque, mentis constantia confortatus, arborem succidisset, magna quippe aderat copia paganorum, qui et inimicum deorum suorum intra se diligentissime devotabant. Sed ad modicum quidem arbore praecisa[m], confestim inmensa roboris moles, divino desuper flatu exagitata[n], palmitum confracto culmine, corruit. Et quasi superni nutus solatio[o] in quattuor etiam partes disrupta est, et quattuor ingentis magnitudinis aequali longitudine trunci absque fratrum labore adstantium apparuerunt. Quo viso, prius devotantes pagani etiam versa vice benedictionem Domino, pristina abiecta maledictione, credentes reddiderunt. Tunc autem summe sanctitatis antistes, consilio inito cum fratribus, ligneum ex supra dictae arboris metallo[p] oratorium construxit illudque[q] in honore sancti Petri apostoli dedicavit.

a. duce *F.* b. antea Hessorum metas *A.* c. cum *F*, tum *A.* d. Hessorum *A.* e. acceperunt *A.* f. prestigria *F.* g. commisserunt *F.* h. quendam *F*, quandam *A.* i. Romanorum *Cod. Vindob. s. XIII, quo Pertzius usus est.* k. lobis *F.* l. Gaesmerae *A*, Geismere *B.* m. praeciso *F*, praecisa *A.* n. exagitatur et *A.* o. *corr. in* nutu solacii *A.* p. materia *B*; *an* medulla? q. eamque *F*, illudque *A.*

1. V. Bonif. ep. 24 supra p. 84. 2. Geismar prope Fritzlariam, ad occidentem. Cf. Wenck Hessische Landesgeschichte II 234, 235.

Atque universis quae praediximus conpletis et superno suffragante nutu peractis, ad Thyringeam profecto profectus est. Et seniores plebis populique principes affatus est eosque, relicta ignorantiae caecitate, ad acceptam[a] dudum christianitatis relegionem iterando provocavit.

Quia, facessante[b] suorum regum dominio, magna quidem eorum comitum multitudo sub Theotbaldi[c] et Hedenes periculoso primatu, qui lugubre super eos tyrannici ducatus et infestum vastationis potius quam devotionis obtinebant imperium, vel corporali per eos praeventa morte vel hostili siquidem eductione captivata est in tantumque diversis constricta malis, ut cetera quae manebat residua populi turba Saxonum se subiecerat[d] principatu[e]. Quoniam, cessante relegiosorum ducum dominatu, cessavit etiam in eis christianitatis et relegionis intentio; et falsi, seducentes populum, introducti sunt fratres, qui sub nomine relegionis maximam hereticae pravitatis introduxerunt sectam. Ex quibus est Torchtwinę[f] et Berehthere[g], Eanbercht et Hunraed, fornicatores et adulteri, quos iuxta apostolum iudicavit Deus[1]. Qui validissimum adversus hominem Dei excitaverunt[h] conflictum; sed, veris verborum oppositionibus confutati, dignam reconpensationis sortiti sunt sententiam.

Cumque renovatus per populum fidęi inluxisset candor, et plebs ab ingenti erroris erepta[i] est[k] laqueo, iam expulsis profani hostis amicis et infestis populi supradictis seductoribus, messem quidem multam cum paucis admodum messoribus[2] incoluit. Et magnam primitus mundi huius penuriam ac frugalitatem sustenuit[l], magnisque tribulationum angustiis coartatus, verbi Dei semina propagavit. Sed cum credentium paulatim[m] pollesceret multitudo, praedicatorum quoque multiplicatus esset catalogus[n], tunc etiam aecclesiae repente instaurantur et praedicatio eius doctrinae multiformiter emanavit. Monasteriumque,

a. ceptam *A* b. *an* fa(moso) cessante? *Cf. infra:* „cessante relegiosorum ducum dominatu". c. Theodbaldi *A*. d. subiceret *A*. e. principatui *A*. f. Trohtwine *A*, Torchwinc *B*. g. Berhthere *A*, Berechthere *B*. h. excitaverant *A*. i. ereptus *F*. k. esset *A*. l. sustinuit *A*. m. *om. A*. n. catalogū *F*.

1. Hebr. 13, 4: „et adulteros iudicabit Deus". 2. Cf. Matth. 9, 37.

congregata servorum Dei unitate et monachorum summa sanctitate, constructum est in loco, qui[a] dicitur Ordorp[b][1]; qui propriis sibi more apostolico manibus victum vestitumque instanter laborando[2] adquesierunt[c].

Sicque sanctae rumor praedicationis eius diffamatus est in tantumque inolevit, ut per maximam iam Europae partem fama eius perstreperet. Et ex Brittaniae[d] partibus servorum Dei plurima ad eum tam lectorum quam etiam scriptorum aliarumque artium eruditorum virorum congregationis convenerat multitudo. Quorum quippe quam plurimi regulari se eius institutione subdiderunt, populumque ab erratica gentilitatis profanatione plurimis in locis evocavere. Et alii quidem in provintia Haesorum[e], alii etiam in Thyringia[f], dispersi late, per populum pagos ac vicos verbum Dei praedicabant.

Cumque ingens utriusque populi multitudo fidei sacramenta, multis milibus hominum baptizatis, perciperet[g], iam defuncto[3] beatae memoriae Gregorio secundo sedis apostolicae papa, et glorioso praefatae sedis Gregorio iuniore[4] apostolici culminis
c. 732 cathedra[h] praesidente, denuo Romam nuntii eius venerunt. Sanctumque sedis apostolicae pontificem adlocuti sunt, eique prioris amicitiae foedera, quae misericorditer ab antecessore suo sancto Bonefatio[i] eiusque familiae conlata sunt, manifestaverunt. Sed et devotam eius in futurum humilitatis apostolicae sedi subiectionem narraverunt et, ut familiaritati ac communioni[k] sancti pontificis atque totius sedis apostolicae ex hoc devote subiectus communicaret, quemadmodum edocti erant, precabantur[l]. Statim ergo sanctus sedis apostolicae papa pacificum profert responsum et suam sedisque apostolicae familiaritatis et amicitiae communionem tam sancto Bonifatio quam etiam sibi subiectis con-
De pallio. donavit; sumptoque archiepiscopatus pallio[5], cum muneribus

a. quę *F*. b. Orthorpf *A*, Ortelorf *B*. c. adquisierunt *A*. d. Britaniae *A*. e. Hessorum *A*. f. Thyringea *A*. g. perciperent *A*. h. cathedrā *F*, cathedra *A*. i. Bonifatio *A*. k. communione *F*. l. precarentur *F*, p̄cabantur *A*.

1. Ohrdruf, a Gotha ad meridiem. 2. 1 Corinth. 4, 12: „laboramus operantes manibus nostris". 3. 731 Febr. 11. 4. III, 731—741. 5. v. Bonif. ep. 28, supra p. 91.

diversisque sanctorum reliquiis legatos honorifice remisit ad patriam. c. 732

Advenientibus ergo nuntiis ac spontanea[a] viri apostolici referentibus responsa, iam gratulabundus, apostolicae sedis nimium confortatus devotionis suffragio, opeque divinae misericordiae inspiratus, duas videlicet aecclesias Domino fabricavit: unam quippe in Frideslare, quam in honore sancti Petri principis apostolorum consecravit; et alteram in Amanaburch[b], hanc etiam in honore sancti Michaelis[c] archangeli dedicavit. Duo quoque monasteriola duabus[d] iniunxit aecclesiis, hiisque[e] non minimam servientium Deo multitudinem subrogavit, ita ut usque hodie gloria et benedictio et gratiarum actio domino Deo devote confertur.

Hisque omnibus rite confectis, Baioariorum[f] temporibus Hucperti[g] ducis[1] terras adiit praedicationisque studium apud eos diligentissime exercuit et multas considerando circuit aecclesias. Tantoque divinae fortitudinis zelo armatus est, ut quendam quidem scismaticum heretica pravitate deceptum nomine Eremwlfum[h] iuxta canonum decreta damnavit atque abiecit; et populum a perversa sectae[i] eius idolatria correxit. Et ad fratres, sub suae dioceseon gubernationis constitutos, rursus migravit, iuxta illud apostoli cupiditatem habens veniendi ad fratres[2].

VII[k]. Igitur huius viri aliquantisper meritorum documenta excerpsimus, ut, quanto[l] se relegionis regimine per cunctos[m] aetatis suae gradus indesinenter rexerit, brevi videlicet profera-

a. spontaneo *F.* b. hamanaburch *F*, hamanaburg *A*, Amanapurg *B.* c. Michahelis *A.* d. duobus *F*, duabus *A.* e. hisque *A.* f. Baguariorum *A.* g. Hugoberti *A*, Huguberti *B.* h. Erenwlfum *B.* i. secta *F.* k. Qualiter expulsis hereticis Baguariorum provinciam in quattuor dividit parrochias *A*, *B.* l. quanta *F.* m. cuntos *A.*

1. quem obiisse a. 739, docent Auctarium Garstense et Annales S. Rudberti Salisburgenses (Mon. Germ. SS. IX 563 et 768). Nec probem rationem, quam iniit Mederer (Beiträge zur Geschichte von Baiern, IV Stück p. 218), ex dubio tabulae cuiusdam numero mortem Hucperti ad a. 735 vel 736 referens. 2. Rom. 15, 23: „cupiditatem autem habens veniendi ad vos“.

mus sermone. Quoniam quidem diutinus sanctorum usus est, ut cottidię aliorum per exempla ad meliora se provehant et, decrescente dierum calculo, crescat in eis etiam intimi virtus amoris. Cumque aecclęsiarum erat[a] non minima in Hassis et in Thyringea multitudo exstructa, et singulis singuli providerentur[b] custodes, tum etiam tertio propter familiarem sancti apostolici pontificis totiusque clericatus commonionem[c], discipu-
c. 737-738 lorum comitante coetu, Romam venit, ut apostolici videlicet patris salubri frueretur conloquio et sanctorum se, iam aetate provectus, orationibus commendaret. Ast ubi post inmensam iteneris[d] vastitatem domno apostolico Gregorio *iuniore* secundo[1] praesentaretur[e], benigne susceptus est ab eo[2]. Tantaque a cunctis, tam Romanis quam etiam advenis, veneratione habebatur, ut multi ad salutarem eius doctrinam[f] confluerent. Franchorum[g] enim et Baioariorum[h] nec non ex Brittania[i] advenientium Saxonum aliarumque provinciarum ingens sedulo eius admonitione adhe-
c. 737-739 rebat multitudo. Cumque non minimum anni spatium in his morabatur[k] regionibus et sanctorum peragrando atque orando circuisset reliquias, tunc quippe resalutato venerando viro ac sedis apostolicae pontifici[l], cum muneribus et reliquiis[m] sanctorum honorifice ditatus remeavit. Italiamque perveniens, Ticenae urbis ingressus est moenia et apud honorandum Longobardorum Liutbrandum[n] regem, iam senio fessis membris, requiescebat.

739 Et recedens, non solum invitatus Baioariorum[h] ab Odilone duce sed et spontaneus, visitavit incolas. Mansitque apud eos diebus multis, praedicans et euangelizans verbum Dei; vereque fidęi ac relegionis sacramenta renovavit[o] et destructores aecclę-

a. esset *A*. b. praeviderentur *A*. c. communionem *A*. d. itineris *A*. e. praesentabatur *A*. f. ad salutare eius doctrina *F*. g. Francorum *A*. h. Baguariorum *A*. i. Britania *A*. k. moraretur *A*. l. viro pontifice *A*. m. reliquis *F*. n. Langobardorum Liodbrandum *A*. o. renovabit *F*.

1. Gregorio III (secundo, qui „iunior“ vocatus est; etenim iam Gregorius II pari modo erat appellatus, v. supra p. 445). 2. v. Bonifatii ep. 34, supra p. 100: „gratanter nos cum gaudio apostolicus pontifex suscepit“.

siarum populique perversores abigebat. Quorum alii pridem 739
falso se episcopatus gradu praetulerunt; alii etiam presbiteratus se officio deputabant; alii, haec atque alia innumerabilia fingentes, magna ex parte[a] populum seduxerunt. Sed quia[b] sanctus vir, iam Deo ab infantia deditus, iniuriam domini sui non ferens, supra dictum ducem cunctumque vulgum[c] ab iniusta hereticae falsitatis secta et fornicaria sacerdotum deceptione cohercuit. Et provinciam Baioariorum[d], Otilone[e] duce consentiente, in quattuor divisit parrochias[1] quattuorque hiis praesedere[f] fecit episcopos, quos, ordinatione scilicet facta, in episcopatus gradum[g] sublevavit[2]. Quorum primus nomine Iohannes, aecclesiae in oppido quod[h] dicitur Salzpurch[i] episcopatus cathedram suscepit; secundus[k] Erembercht, qui Frisingensi aecclesiae superspeculatoris tenuit principatum; tertius[l] Goibald[m], qui aecclesie civitatis Réginae pastorale excubitoris subiit magisterium.* Cumque

* *In margine F manus saec. XII posuit haec:* Quartus Vivilo, qui super Pataviensem aecclesiam sacrae indagationis obtinuit dignitatem.

In B sequuntur haec in litura scripta: Quartum in Nova civitate nomine Mannonem, cui Uodalhart episcopus successit. Duas videlicet aecclesias consecravit, unam beato Altone venerando viro, quam in honore Dei genitricis Mariae consecravit; alteram reverentissimo viro Lantfrido in loco Puron, quam in honore confessoris Christi Benedicti dedicavit[3]. Duo[4] quoque monasteriola duabus iniunxit aecclesiis hisque non minimam servientium Deo multitudinem subrogavit; ita ut us-

a. ex parte *om. F.* b. qc *F*, quia *A.* c. vulgus *A.* d. Baguariorum *A.* e. Odilone *A.* f. his praesidere *A.* g. graduū *F.* h. qui *F*, *B*, quod *A.* i. Salzpuch *F*, Saltburg *A.* k. secuudum *F*, secundus *A.* l. tertium *F*, tertius *A.* m. Gaibald *A.*

1. Haec rerum institutio anno 739 facta est, post Hucperti ducis mortem, quae ad ipsum annum 739 pertinet (v. supra p. 455 n. 1), et ante mensem Octobrem, ut docet Bonifatii ep. 38 supra p. 104. 2. Bavariam a Bonifatio in quatuor paroecias divisam esse, sed tres tantum episcopos ordinatos, cum iam antea Vivilo episcopus a Gregorio III papa ordinationem accepisset, liquet ex Bonif. ep. 38 l. l. 3. Cf. Chron. Benedictoburanum ed. Wattenbach in Mon. Germ. SS. IX 214. 4. „Duo quoque — conferatur“ desumpta sunt ex superiore vitae Bonifatii loco p. 455.

739 omnia, confirmato christianitatis ordine, rite agerentur et canonum sunt[a] iura in Baioariis[b] recuperata, iam ad proprias remeando rediit aecclesias. Populique sibi commissi[c] curam gerens caulasque gregum[d] circumspiciens et excubias plebis providens, oves a nefandis luporum morsibus[e] eripuit.

post 741 Cumque Carli[f] ducis gloriosi[1] temporale finitum esset regnum et filiorum eius Charlomanni[g] et Pippini roboratum est[h] imperium, tunc quippe, domino Deo opitulante[i] ac suggerente sancto Bonifatio archiepiscopo, relegionis christiane confirmatum est testamentum, et orthodoxorum patrum synodalia sunt in Francis correcta instituta, cunctaque canonum auctoritate emendata atque expiata. Et tam laicorum iniusta concubinarum copula partim, exhortante sancto viro, separata est, quam etiam clericorum nefanda cum uxoribus coniunctio seiuncta ac segregata. Tantusque in supra dictis ducibus divinae caritatis per doctrinam sancti Bonifatii fervor exarsit, ut plebem quidem a perversa inolite consuetudinis censura multum liberarent, qua — proprio inplicata arbitrio et hereticorum decepta suggestione — iussa[k] aeternae hereditatis amiserat. Adeo enim spiritalis in populo doctrinae lucem hereticorum suffocaverat secta, ut tenebrosa hereticae deceptionis caligo magnam siquidem plebis[l]
744—745 obtexerat[m] partem. Ex quibus quidem Eldeberch[n] et Clemens a via veritatis populum, profana pecuniarum cupiditate seducti, iugi averterunt studio; sed a sancto Bonifatio archiepiscopo, consentientibus Charlomanno[o] et Pippino gloriosis ducibus, ab aecclesiae unitate expulsi, iuxta apostolum traditi sunt satanae in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat in die[p] Domini[2].

que hodie gloria et benedictio et gratiarum actio domino Deo devota conferatur[3].

In cod. Vindob. s. XIII, quo Pertzius usus est, haec leguntur: Quartus Willibaldus in civitate Eistetensi regimen suscepit.

a. essent *A.* b. Baguariis *A.* c. commisi *F.* d. gregium *F.* e. mursibus *F.* f. *corr. in* Caroli *A.* g. Carlomanni *A.* h. esset *A.* i. opilante *F.* k. ius *A.* l. pleb̄ *F.* m. obtexerit *A.* n. Aeldeberch *A.* o. Carlomanno *A.* p. diē *A.*

1. qui obiit m. Octobri a. 741. 2. 1 Corinth. 5, 5. 3. v. supra p. 457 n. 4.

VIII[a]. Convenientibus in unum episcopis ac presbiteris, 742? diaconibus atque clericis omnique gradu aecclesiastico, quos inclite recordationis Carlomannus dux sub regni sui imperio adsciscere fecit, quatenus[b] synodale factum est concilium. In quo Bonifatius archiepiscopus, Magontiae civitati, ipso Charlomanno consentiente[c] ac donante, pontificatu praesidens, Romanae aecclesiae sedisque apostolicae legatus — primum[d] missus a sancto et venerabili sedis apostolicae pontifici[e] Gregorio iuniore, a primo secundo, et Gregorio, a secundo iuniore, cum primo tertio, viro honorabili — quattuor primitus principalium[f] synodorum[1] numerosa canonum constituta ob salutarem[g] doctrinae caelestis augmentum admonuit conservari; et, quemadmodum in Nicena, Constantino augusto orbis monarchiam gubernante, Arrianae[h] eversa est perfidia blasphemiae[2]; et centum quinquaginta patrum, Theodosio seniore Constantinopolim imperante, congregatio quendam Machedonium[i], Spiritum sanctum deum esse refutantem, condemnavit[3]; atque ducentorum episcoporum unitas sub iuniore Theodosio, apud Effesinam urbem adventata, Nestorium, geminas in Christo personas profitentem, a catholica[k] iusto anathemate segregavit aecclesia[4]; nec non et Calcedonensis synodi sexcen-

a. Qualiter per ordinem aetatem suam predicationis studium exerceret. Quali hunc mundum fine dereliquid *F.* Quomodo, sinodalia iura in Francia sepius celebrans, ad Fresiam praedicaturus perrexit et ibi martyrizatus est *A, B.* b. quat̄ *F,* quater *A.* c. consentienti *F.* d. primum missus — viro honorabili *in margine archetypi posita esse videntur, indeque a librario quodam in textum perperam post* quattuor primitus — canonum constituta *inserta. Quo loco igitur etsi inveniuntur in codicibus, tamen ex manifesta scriptoris voluntate ordinem verborum restitui.* e. pontifice *A.* f. principalū *F.* g. *corr. in* salutare *A.* h. Arriani *F.* i. Macedonium *A.* k. catholico *F.*

1. Isidori Hispal. Etymol. L. VI c. 16 (Opp. ed. Arevalus III 264): „quatuor esse venerabiles synodos, quae totam principaliter fidem complectuntur“ et (p. 266): „Quatuor hae sunt synodi principales“. 2. Isidori Hisp. Etym. l. l.: „Nicaena synodus — Constantino augusto imperante peracta est, in qua Arianae perfidiae damnata blasphemia“. 3. Isidori Et. l. l. (p. 265): „Secunda synodus centum quinquaginta patrum sub Theodosio seniore Constantinopoli congregata est, quae Macedonium, Spiritum sanctum Deum esse negantem, condemnans —“. 4. Isidori Et. l. l.: „Tertia synodus Ephesina — ducentorum episcoporum sub iuniore Theodosio — Nestorium, duas personas in Christo asserentem, iusto anathemate condemnavit“.

742? torum[a] triginta[b] sacerdotum conventio Euticen Constantinopolitanae urbis abbatem et Dioscorum defensorem eius, catholicae fidei in unitate[c] rebellantes, iuxta praefinitam patrum sententiam anathematizavit[1]; ita equidem apud Franciam, omni funditus eradicata hereticorum perfidia et exstirpata iniquorum coniuratione, legis divine augerentur[d] incrementa et synodales generalium conciliorum canones reciperentur[e], synodalisque spiritalis consilii episcoporum congregatio iuxta praefinitam authenticae constitutionis diffinitionem pariter conveniret[f].

Quae ob cottidianas bellorum suspiciones et infestam circumvallantium barbararum[g] gentium seditionem, qua extraneorum alieni Franciam populorum praedones atrociter demolire[h] conabantur, vel minime facta est vel etiam tanta erat oblivione[i] tradita, ut, omni penitus oblitterata praesentium seculorum memoria, iam nulla esset ratione cognita. Quia[k] mundus cottidie in se naturaliter sui detrimentum diminutionis saltim, etiam recuperatus, patitur; non renovatus quidem, per omnia suo evanescit dispendio et ad praedistinatum anhelando finem festinat. Quapropter, si quae in hac mortali huius peregrinationis vita ad communem in hoc mundo infirmantium profectum ab spiritalibus medicinaliter sunt conperta auctoribus, et iam si quandoque humanis inserta fuerint mentibus, magna sunt munitionis fortitudine a catholicis conservanda et praefixa mentis immobilitate tenenda; ne vel oblivio humana obrepat vel etiam mundanae oblectationis inlecebrosa delectatio diabolo instigante praepediat[l]. Quam ob causam sanctus hic Domini antistes, hac sollertissimae sollicitudinis cura inspiratus, plebem a pestifera tortuosi serpentis persuasione eripere curavit, et Charlomannum[m]

a. *corr. in* ducenti *A.* b. DC. XXX. *F.* c. munitate *F, A.* d. augebantur *A.* e. recipiebantur *A.* f. conveniebat *A.* g. barbarum *F.* h. demoliri *A.* i. tantae erat oblivioni *A.* k. qui *F*, quia *A.* l. praepedat *F.* m. Carlomannum *A.*

1. Isidori Et. l. l.: „Quarta synodus Chalcedonensis sexcentorum triginta sacerdotum — in qua Eutychen Constantinopolitanum abbatem, verbi Dei et carnis unam naturam pronunciantem, et eius defensorem Dioscorum — una patrum sententia praedamnavit“.

ducem ad congregandum supra dictum synodorum conventum 742? sepissime incitavit[a], ut tam praesentibus quam posteris spiritalis scientiae sapientia patesceret et, aversa animarum circumventione, cognitio christianitatis innotesceret.

Cumque quoddam canonicae rectitudinis speculum omnibus ad exemplum gradibus bene vivendi opponeret, et evidens cunctis veritatis vestigium oriretur, iam sibi suaeque infirmitati[b], longevo aetatis senio decrepitus, salubre exhibuit consilium, et iuxta aecclesiasticae dispositionis normulam pastorale populis praevidit magisterium; ut, sive vivente illo sive etiam moriente, medicinali plebs pastorum officio minime careret. Et duos bonae industriae viros ad ordinem episcopatus promovit, Willibaldum[c] et Burchhardum[d], eisque in intimis orientalium Franchorum[e] partibus et Baioariorum[f] terminis aecclesias sibi commissas inpertiendo distribuit. Et Willibaldo suae gubernationis parrochiam commendavit in loco cuius vocabulum est Eihstat[g], Purchhardo[h] vero in loco qui appellatur Wirzaburch[i] dignitatis officium delegavit, et aecclesias in confinibus[k] Franchorum[l] et Saxonum atque Sclavorum suo officio deputavit. Et usque ad gloriosum exitus sui diem incessanter arctam[m] regni caelestis viam plebibus patefecit.

Cum vero Pippinus Domino donante regale Franchorum[n], 747
felix supradicti germani successor, regnum suscepit[o] et, iam aliquantulum sedante populorum perturbatione, in regem subleva- 752
tus est[p], coepit anxius vota Domino devota persolvere et synodalia confestim recuperare instituta ac canonica, a germano suo iuxta exortationem sancti Bonifatii[q] archiepiscopi fideliter inchoata, instaurare mysteria; eumque habitu simul et honore praeferre et suis in Domino parere praeceptis. Sed quia sanctus vir, infirmitate corporis pergravatus[r], synodalia conciliorum conventicula per omnia adire non poterat, iam consultu atque con-

a. concitavit *A*. b. infirmitate *F*, infirmitati *A*. c. Willebaldum *A*. d. Burghardum *A*. e. Francorum *A*. f. Baguariorum *A*. g. Haegsted *A*. h. Burghardo *A*. i. Wirzaburg *A*. k. confiniis *A*. l. Francorum *A*. m. artam *A*. n. Francorum *A*. o. susciperet *A*. p. esset *A*. q. Bonifati *F*. r. pergravatus *F*, p̄gravatus *A*.

silio gloriosi regis idoneum praeponere[a] ministrum supra dicto gregi definivit. Et Lul, suum ingeniosae[b] indolis discipulum, ad erudiendum[c] tante plebis numerositatem constituit et in epi-
754—755 scopatus gradum provehit atque ordinavit eique hereditatem, quam in Christo instanti labore adquesierat, inplicavit[d]; qui et fidelis in Domino comes peregrinationis eius erat, et testis utrubique: passionis et consolationis.

Cum autem servum suum Dominus de huius mundi vellet temptatione eripere et temporalis vitae tribulationibus sublevare, tunc etiam Domino dispensante difinitum est: ut ad Fresiam — olim corpore, non quidem mente, omissam[e] [1] — servis Dei secum migrantibus perveniret; ut ubi, primitus praedicationis studium ingrediens, praemiorum[f] inchoaverat incrementa, etiam ę saeculo rediens, sumptus reciperet remunerationis.

Sed miro quodammodo vaticinii[g] praesagio sequentem obitus sui diem praedicto episcopo praenuntiavit et, quali mundum fine demum relinqueret, insinuavit. Eique per ordinem de aecclesiarum structura et populi doctrina proposuit, dicens: *Ego enim propositum pergendi iter complere cupio; ego me a desiderato proficiscendi itenere*[h] *revocare non potero. Iam enim instat resolutionis meae dies, et tempus obitus mei adpropinquat; iam enim, deposito corporis ergastulo, aeternae retributionis revertar ad bravium. Sed tu, fili*[i] *karissime, structuram in Thyringea*[k] *a me ceptam aecclesiarum ad perfectionis terminum deduc; tu populum ab erroris invio*[l] *instantissime revoca; tuque aedificationem basilicae iam inchoatae ad Fuldan*[m] *conple, ibidemque meum multis annorum curriculis corpus inveteratum perduc.* Hisque conpletis sermonibus, adhuc ampliora huiuscemodi addidit verba et ita inquiens ait: *Fili*[i], *tuo*[n] *cuncta prudentissimo provide consilio, quae in hoc nostro sint usui itenere co-*

a. proponere *A.* b. ingeniosi *F.* c. erudiendam *A.* d. instanti inplicavit labore adquesierat *F*, instanti adquisierat labore implicavit *A.* e. omisam *F.* f. p̄ morum *F*, praemiorum *A.* g. vaticini *F.* h. itinere *A.* i. filii *F*, fili *A.* k. *corr. in* Thuringea *A.* l. *corr. in* devio *A.* m. Fuldam *A.* n. tua *F.*

1. cf. Bonifatii ep. 107 supra p. 259.

pulanda; sed et lintheum[a], *quo meum decrepitum involvatur corpus, in theca librorum meorum repone*[1]. Cum enim praefatus tante querellositatis antistes suspiria non ferens sed statim se in lacrimas dedisset, iam sanctus Bonifatius finito conloquio ad alia rediit; et diebus non multis interpositis, a cepto[b] se minime retraxit itenere. 754—755

Sed, sumptis secum conviatoribus, navem ascendit ac, per 755
Reni[c] fluminis alveum penetrans, nocturna portuum navigio exquisivit loca; donec, aquosa Fresonum arva ingrediens, trans stagnum, quod lingua eorum dicitur Aelmere[2], sospis[d] pervenit infoecundaque divino germine litora inspiciendo circuit. Cumque periculosum fluminum marisque et ingentium aquarum evasit[e] discrimen, in periculum iam sine periculo incedit, gentemque paganam Fresonum visitavit[f]. Quae interiacentibus aquis in multos agrorum dividitur[g] pagos, ita ut, diversis appellati nominibus, unius tamen gentis proprietatem portendunt. Sed quia[h] longum est, ut per ordinem replicentur, eos tantum de nomine denudare studemus, qui[i] ad narrationis nostrae seriem veraciter proferuntur; ut et locus et lingua relatam a nobis beati viri sanctimoniam aequaliter prodat et, quali hunc mundum fine desereret, aperiat.

Per omnem igitur Fresiam pergens, verbum Domini, paganico repulso ritu et erraneo gentilitatis more destructo, instanter praedicabat aecclesiasque, numine confracto dilubrorum[k], ingenti studio fabricavit. Et multa iam milia hominum, virorum ac mulierum sed et parvulorum, cum commilitone suo: chorepiscopo[l] Eoban baptizavit — quem ad subveniendum suae senilis aetatis debilitati[m] Fresonis, iniuncto sibi episcopio in urbe quae[n] vocatur Trehct, subrogavit — et presbiteris ac diaconibus, quorum haec sunt nomina: Wintrung et Waltheri[o] simul

a. linteum *A.* b. accepto *F*, a cepto *A.* c. Rheni *A.* d. sospes *A.* e. evassit *F*, evasisset *A.* f. visitaret *F*, visitavit *A.* g. divitur *F.* h. q̇ *F.* i. q; *F.* k. delubrorum *A.* l. corepiscopo *A.* m. debilitate *F*, infirmitati *A.* n. qui *F.* o. Walthere *A.*

1. V. Bonif. ep. 79 supra p. 220, ubi „In quo loco (Fuldensi)“ inquit Bonifatius „proposui — post mortem iacere“. 2. Zuiderzee.

755 et Aethelheri[a], sacerdotali presbiteratus officio praeditis[b]; Hamund, Scirbald[c] et Bosa, levitarum obsequio deputatis; Wacchar[d] et Gundaecer[e], Illehere et Hathowlf, monasteriali monachorum ordine sublevatis. Qui etiam in tantum vitae aeternae semen cum sancto Bonifatio late per populum devulgantes[f], domino Deo patrocinante, diffamaverunt, ut quibus iuxta apostolicae institutionis normam cor erat unum et anima una[1], una eademque[g] palma esset martyrii[h] et remuneratio triumphi.

Postquam igitur fidęi, ut praediximus, per Fresiam inluxerat[i] splendor et felix sancti[k] huius vitae adpropinquaret finis, iam quidem secus ripam fluminis quod dicitur Bordne, quod est in confinibus eorum, qui rustica dicuntur lingua Ostar[l] et Westeraeche, suorum tantum stipatus clientum numero, erexit tentoria. Sed quia festum confirmationis neophitorum[m] diem et nuper baptizatorum ab episcopo manus inpositionis et confirmationis populo praedixerat iam longe lateque disperso, ad propriam unusquisque reversus est domum, ut secundum diffinitam[n] sancti episcopi sententiam universi praedistinato confirmationis eorum die praesentarentur.

Iun. 5 Cum autem praedictus dies inluxisset et aurora lucis, orto iam sole, prorumperet, tunc etiam versa vice pro amicis inimici, et novi denique lictores[o] pro noviciis fidęi cultoribus advenerant, hostiumque ingens in castra, vibrantibus armis, astata ac scutata inrueret[p] multitudo. Tunc repente ex adverso pueri e castris prosilientes, utrubique se armis inpetunt, et sanctos postmodum martyres contra insensatum[q] furentis[r] populi exercitum defendere gestiunt. Sed vir Dei statim, audito tumultuantis turbe inpetu, accito ad se clericorum clero[2], sumptis sanctorum reliquiis quas secum indesinenter habere consueverat, e tentorio procedit. Et confestim increpando pueris pugne interdixit cer-

a. Aethelhere *A.* b. praeditus *F.* c. Scirbald *om. F.* d. Waccar *A.* e. et Gundaecer *om. F.* f. divulgantes *A.* g. et *add. A.* h. marteri *F.* i. inluxeret *F.* k. sanctis *F, A.* l. ostor *A.* m. neobitorum *F.* n. definitam *A.* o. litores *F.* p. inruerat *A.* q. *sic scripsi pro* sanctos contra insensatum postmodum martyres *F, A.* r. furentes *F.*

1. Act. apost. 4, 32. 2. κλήρῳ, sorte, ordine.

tamen, dicens: *Cessate, pueri, a conflictu pugneque deponite bellum. Quoniam scripture testimonio veraciter erudimur, et ne malum pro malo, sed etiam bonum pro malis reddamus*[a][1]. *Iam enim diu optatus adest dies, et spontaneum resolutionis nostrae tempus inminet*[2]. *Confortamini igitur in Domino, et permissionis suae gratiam gratanter sufferte*[b]; *sperate in eum, et liberabit*[c] *animas vestras.* Sed et adstantes tam presbiteros quam etiam diacones inferiorisque ordinis viros, Dei subditos servitio, patria[d] admonens voce, ait: *Viri fratres, forti estote animo. Et ne terreamini ab his, qui occidunt corpus; quoniam animam sine fine manentem necare non possunt*[3]. *Sed gaudete in Domino et spei vestrae ancoram*[e] *in Deum figite*[f]; *quia extimplo perpetuae reddet vobis remunerationis mercedem, et caelestis aule sedem cum supernis angelorum civibus condonat. Nolite vos vana huius mundi delectatione subicere; nolite caducis gentilium adolationibus delectari*[g]; *sed subitaneum hic constanter subite mortis articulum, ut regnare cum Christo possitis in evum.* Cumque tali doctrinae hortamento discipulos ad coronam martyrii affabiliter incitabat[h], confestim furens super eos paganorum tumultus cum gladiis cunctaque militiae armatura inruit et felici sanctorum cede corpora cruentavit. 755 Iun. 5

Statimque, mortali iustorum multata carne, tripudians gentilium turba victricem suae damnationis praedam arripuit, castraque depopulans, manubias diripiendo inpertivit. Sed et thecas, in quibus multa inerant librorum volumina, et reliquiarum capsas abstulit, magna se ditatam auri argentique copia credens, ad naves, quibus cottidianus inerat[i] clericorum ac puerorum victus et aliquantulum adhuc residuum eiusdem stipendii[k] vinum — obserratis[l], ut erant, vasculorum claustris[m] — asportavit. Ac repente, conperto adamati[n] liquoris haustu[o], coepit gulosam[p] ventris satiare ingluviem et vino madidum inebriare

a. reddimus *A.* b. sufferre *F.* c. liberavit *F.* d. patri *F*, patris *A.* e. anchoram *A.* f. eum defigite *A.* g. delectare *F.* h. incitaret *A.* i. erat *A.* k. stipendi *F.* l. obserratis *F*, *corr. in* obseratis *A.* m. clustris *F*, claustris *A.* n. adamato *F.* o. hausto *F.* p. gylosam *F.*

1. 1 Petr. 3, 9. 2. Cf. 2 Timoth. 4, 6. 3. V. Matth. 10, 28.

755 Iun. 5 stomachum, tandemque de acceptis praede spoliis, inito consilio, mirabili omnipotentis Dei dispositione tractare et, qualiter non visum quidem aurum vel argentum inter se invicem dispartiretur[a], consulere. Cumque prolixius de tanta pecuniarum estimatione sermocinaret, iam iamque iurgiorum disceptatio exorta est et tanta discordiae demum inimicitia inchoata, ut, furore etiam vesaniae insaniens, turba in duas divisa est[b] factiones; et ad extremum arma, quibus sanctos ante ea[c] martyres iugularunt, in se ipsos crudeliter pugnando verterunt.

Tunc itaque, maxima insanientis turbe parte prostrata, iam qui supervixerant, ad lucrum, animarum viteque damno adquisitum, iacentibus adversariis qui sibi super desiderato cupiditatis thesauro obsistebant, gaudentes cucurrerunt. Et confractis librorum repositoriis, etiam pro auro volumina et pro argento divinae scientiae cartas reppererunt[d]. Sicque pretioso auri argentique pretio privati, codices, quos invenerunt, alios per campi planitiem disparserunt[e], alios siquidem paludum arundineto[f] inferentes, alios etiam in diversis quibusque locis abscondentes proiecerunt. Sed tam omnipotentis Dei gratia quam etiam precibus sancti Bonifatii, summi pontificis atque martyris, inlesi et intemerati, magno postea dilapso temporis spatio, reperti sunt, et ad domum, in qua[g] usque hodie animarum prosunt saluti, a singulis quibusque inventoribus remissi[h]. Carnifices autem, super estimatae amissione[i] pecuniae contristati, domum reversi, maio-
Iun. rem[k] domesticarum rerum post trium indutias dierum damnum sed et vitae dispendium, mortis recepta talione, perceperunt. Quia[l] omnipotens mundi conditor ac reformator ulcisci se voluit de inimicis et fusum[m] pro se sanctorum sanguinem consuete[n] misericordiae zelo puniri ac diu protelatam idulorum[o] cultoribus iram, novo recentis malitiae furore permotus, publice ostendere.

Cumque inprovisa sanctorum martyrum temporalis interemptio exitii[p] per pagos ac vicos omnemque provinciam voli-

a. dispertiretur *A.* b. esset *A.* c. antea *A.* d. repper̄ *F.* e. disperserunt *A.* f. harundineto *A.* g. quo *F.* h. remisi *F.* i. amisione *F.* k. *corr. in* maius *A.* l. qui *F*, quia *A.* m. fusam *F*, fusum *A.* n. c̄uete *F*, consuetae *A.* o. idolorum *A.* p. exitu *F.*

taret, repente christiani, corporali conperta[a] martyrum morte, 755 Iun.
maximam congregantes expeditionem exercitus, confinium terminos, prompti[b] postmodum future ultionis bellatores, expetunt et, revoluta supra dicta dierum supputatione, infidelium, sospites sed indevoti hospites, adgrediuntur terram; ac paganos, eis e diverso obviantes, ingenti strage prostraverunt. Sed quia pagani primo[c] populi christiani impetui[d] obsistere non valebant, in fugam siquidem versi, magna etiam clade corruerunt et terga vertentes vitam simul cum intestina eorum suppellectili et heredibus perdiderunt. Sicque saltim christiani, superstitiosorum tam uxoribus quam etiam filiis nec non servis et ancillis depraedatis, ad propria redierunt. Fitque modo mirabili, ut superstites gentilium accole, praesentibus confracti malis, aeterna potius tormenta, fidȩi fulgore inluminati, devitarunt[e] et praefati antestitis[f] doctrinae documentum, quod eo vivente rennuerunt, ȩtiam moriente, divinae increpationis moderamine perterriti, susciperunt[g].

Corpus vero beati pontificis prosperis velis ventorumque flatibus trans fretum quod dicitur Aelmere[h] — sed et aliorum martyrum — post dies non multos perductum est ad supra dictam urbem, quae dicitur Trecht[i], ibique conditum ac sepultum. Donec a Magoncia relegiosi et fideles in Domino fratres, a Lullo episcopo successore quidem huius sancti pontificis et martyris Christi directi navigio — ad perducendum beati viri cadaver ad monasterium, quod eo vivente construxerat, et secus ripam fluminis quod dicitur Fulda[k] situm est — advenerunt[l]. Quorum unus, qui et auctor iteneris comitatusque aliorum extiterat, singularem sanctimoniae ac privatam castimoniae continentiaeque[m] gerebat vitam, nomine Hadda[n], cui privatim praefatus praesul legationis huius nuntium sanctique corporis advectionem cum fratribus secum proficiscentibus inposuit; ut maior sanctae reverentiae viro devotionis inpenderetur honor, et plurimorum am-

a. conperto *F.* b. prumpti *F.* c. primi *F*, primo *A.* d. impetu *F*, impetui *A.* e. devitarent *A.* f. antistitis *A.* g. susceperunt *A.* h. Aelmerae *A.* i. Trehct *A.* k. Fulta *in litura A.* l. advenerant *A.* m. continentiae qua *F.* n. Haddo *A.*

755 Iun. plius testificatio in his, quae auditu vel visu perciperent, praevaleret.

Cumque honorabiles tam sanctae consocietatis fratres ad praedictam urbem pervenerunt[a], tunc quippe aliquantula eis obviam[b] populi erat congregata collectio; eiusdemque urbis praefecti, eis audientibus — quemadmodum a glorioso rege Pippino exivit ędictum — insonuit interdictum et, ne inde praedicti pontificis corpus amoveretur, indictum est. Sed quia Omnipotentis magis quam hominum[c] convalescit fortitudo, mirabile[d] statim ac memorabile cunctis adstantibus, angelica magis quam humana peractum cognitione, auditum est miraculum: aecclesiaeque gloccum[e] in signum amotionis[f] sancti corporis, humana non continguente[g] manu, commotum est; ita ut omnes, repentino timoris pavore perculsi, maximo tremore obstupuerunt[h] et, iusti huius reddendum esse corpus[i], proclamaverunt[k]. Sicque statim redditum est corpus, et a praedictis sancte recordationis fratribus cum psalmis hymnisque honorifice ablatum, ac sine remi-
Iul. 4 gantium labore tricesima obitus sui die perductum est ad civitatem supradictam Magonciam.

Miraque Dei omnipotentis providentia factum est, ut uno eodemque die, sine statuto praediffinitionis tempore, quasi ad statutum praedistinationis diem tam legati, sanctum deferentes corpus, quam etiam de longinquis longe lateque regionibus multi virorum ac mulierum fidelium ad tanti viri mortis obsequia convenerant. Sed et supra dictus Domini antistes, tam venerande dignitatis successor, qui regali illo in[l] tempore praesens erat palatio, huius omnino ignarus causae, adventusque[m] sancti corporis inscius, ad civitatem, quam praediximus, velud sub uno eodemque hore momento pervenit. Tantaque omnibus, aliunde advenientibus vel etiam eiusdem urbis civibus et doloris incubuerat mestitia et gaudii exuberabat[n] laetitia[o], ut etiam, tanti perspecta pontificis temporanea[p] corporis morte, et amissum[q]

a. pervenirent *A.* b. obbiam *F.* c. huminum *F.* d. mimirabile *F.* e. cloccum *A.* f. ammonitionis *F.* g. contingente *A.* h. obstupuissent *A.* i. corporis *F.* k. proclamarent *A.* l. in *om. A.* m. adventuque *F.* n. exuberat *F.* o. laetititia *F.* p. temporaneo *F.* q. amicum *F.*

carnaliter dolerent et futurum sibi suisque in posterum perpetualiter patronum crederent. 755 Iul. 4

Quapropter, geminis his causis existentibus, conpuncti cordibus cum presbiteris ac diaconibus omnique gradu ecclesiastico ad eum, quem vivens praedistinaverat, locum[1] perduxerunt et, novo in aecclesia confecto sarcofago, ex more sepelientes posuerunt. Omnibusque rite peractis, redierunt et, fidei robore confortati, ad propria pervenerunt.

Sed in loco, ubi sanctum deposuerunt corpus, divina deinceps beneficia redundabant. Et sancti viri precibus hii, qui ad eundem diversis infirmitatibus obsessi perveniunt locum, salubre tam corporum quam etiam mentium remedium consequuntur; ita ut alii, iam toto corpore praemortui peneque per omnia exanimes, ultimum tamen interim exalantes[a] spiritum, pristinae redditi sunt[b] sanitati[c]; alii vero, luminibus caecitate pressis, suum recipiunt visum; alii quidem diaboli laqueis adstricti, etiam mente sunt capti et insanientes, animi postmodum detenent[d] integritatem. Et pristina dediti salute[e], laudantes glorificant Deum, qui suum dignatus est servum tanto munere decoratum ditare et honorare et, praesentibus ac secuturis[f] seculorum temporibus chorusca[g] miraculorum patefactione ostensa, quadragesimo peregrinationis eius anno revoluto glorificare; qui et incarnationis Domini septingentesimus quinquagesimus quintus annus, cum indictione octava, conputatur. Sedit autem[h] in episcopatu[i] annos 36, menses 6 et dies 6[2]. Et sic ordine supra scripto die Nonarum Iuniarum[k], martyrii triumpho remuneratus, Iun. 5
migravit ad Dominum; cui est honor et gloria in secula seculorum[l].

a. *corr. in* exhalantes *A*. b. sint *A*. c. sanitate *F*. d. detinent *A*. e. pristinae — saluti *A*. f. futuris *A*. g. corusca *A*. h. h̄ *F*. i. epis *F*. k. Iun̄ *F*, *A*. l. Amen *add. A*.

1. Fuldam; v. supra p. 463 n. 1. 2. Bonifatium scimus d. 30 Nov. a. 722 episcopum factum esse (v. supra p. 21). Sedit itaque annos 32 menses 6 dies 6; facileque cognosci potest, quam levi errore pro „annos XXXII menses VI et dies VI“ scriptum sit: „annos XXXVI menses VI et dies VI“.

IX[a]. Enumeratis igitur beati viri gestis, quibus in infantia et pueritia vel adolescentia et iuventute aut etiam in senectute floruerat, ad ea, quae post emensam huius mundi metam et felicem vitae istius decursum mirabiliter ad nuendam[b] mortalibus beati viri vitae sanctitatem Domino cooperante peracta sunt, redeamus, et memorabile quoddam miraculum populisque imitabile[c] ad memoriam reducimus. Quod et a glorioso rege Pippino, sicut ipsis sibi referentibus, qui huic praesentes erant miraculo[d], conpertum est et[e] ad nos usque per venerabilem virum Lul episcopum delatum est, atque ita ipso nuntiante intimatum: quod in loco, ubi quondam pretiosus sancti martyris effusus est[f] sanguis, cum consilio plebis atque ingentis partis populi Fresonum structura cuiusdam tumuli propter inmensas ledonis[1] ac malinae[2] inruptiones, quae diverso inter se ordine maris aestum oceanique cursum sed et[g] aquarum diminutiones infusionesque commovent, ab imo in excelsum usque construeretur; super quem denique aecclesiam, sicut postea gestum est, exstruere cogitabant, ac servorum Dei habitationem in loco eodem[h] collocare. Sed cum praefatum colliculi opus iam ex integro aedificarent et omne quippe aedificium ipsius structure conplerent, etiam ad se reversi, quid[i] incole, habitatores[k] loci ipsius[l], de insulsae penuria limphe[m] — quae per omnem pene[n] Fresiam maximam tam hominibus quam etiam animantibus difficultatem gignit — inter se invicem disputarunt. Tum demum unus Domino miserante, qui officium praefecture secundum indictum gloriosi regis Pippini super pagum locumque illum gerebat et princeps ipsius erat operis, nomine Abba, sumptis secum collegis, equum ascendit ac, circumagrato colle tumuloque inspecto, repente cuiusdam caballus[o] pueri ex inproviso, tantum pedibus

a. Qualiter in loco, ubi martyrum sanguis effusus est, ecclesiae paraturam explorantibus fons vivus apparuit *A*. b. ad nuendam *F*, annuendam *A*; *an* ad nudandam? c. *sic codd.*; *Simson coniecit:* intimabile. d. miracula *F*. e. et *om. A*. f. esset *A*. g. sed et *F*, sedat *A*. h. eadem *F*. i. *sic codd. An* quod? k. habitatoresque *A*. l. illius *A*. m. lymphae *A*. n. pene *om. F*. o. *corr. in* cavallus *A*.

1. undarum recedentium. 2. aestus intumescentis.

terrae inpressis, ruinae penitus casuram temptabatur, anterioribusquę humo infixis cruribus, volutabatur; donec hii, qui agiliores solertioresque extiterant, discensis[a] suis praepropere caballis[b], ęquum terrae inherentem extraherent. Sed stupendum statim ac spectaculo dignum his qui aderant ostensum erat miraculum: et limpidissimus extra consuetudinem illius terre fons, mire suavitatis gustu indulcatus[c], prorumpebat et per incognitos penetrans meatus profluebat, ut rivus iam maximus esse videretur. Quo obstupefacti miraculo, exultantes atque alacres domum reversi, ea, quae viderunt, plebibus devulgarunt.

PASSIO S. BONIFATII.

Incipit passio sancti Bonifacii Moguntinensis archiepiscopi, qui extitit temporibus Karoli nobilissimi regis qui senior dicitur et Pippini fratris eius.

Temporibus venerandi Karoli qui senior dicitur et Pippini, fratris eius, fuit quidam antistes nomine Geroldus, qui post Raobardum[1] sanctam Moguntine sedis rexit ecclesiam. Eo tempore inquietabant Saxones Thuringiam regionem ita, ut conpulsi sint sponte confugere ad supradictum principem Karolum, quatenus suo patrocinio tutarentur. Quos ille susceptos utrumque et muneribus onustavit et consilium impendit. Contigit namque, praedictum principem cum exercitu contra Saxones ire, simulque Geroldum antistitem cum suis Karolo suffragando et hostibus refragando certamini interesse. Quid plura? Certantibus altrinsecus exercitibus, venerabilis antistes Geroldus, irruentibus iaculorum nubibus, interemptus occubuit.

Fuit autem eodem tempore quidam nomine Gewelip in palatio regis acceptissimus, supra memorati antistitis filius dictus. Qui post obitum patris eandem gubernare suscepit ecclesiam.

a. descensis *A.* b. *corr. in* cavallis *A.* c. indulcoratus *A.*

1. V. Catalogi ep. Mog. supra p. 2 et 3, ubi Geroldi praedecessores Laboaldus et Rigibertus vocantur.

Hic autem honestis moribus, ut ferunt, suam vitam circumspexit, nisi tantum quod cum herodiis[1] et canibus per semet ipsum iocabatur. Sed tamen diligentius inquirens et explorans nomen viri, qui suum seniorem occiderat, exercitu non multo post adunato, una cum venerando Karrolo ad eosdem Saxones, ubi pater eius fuerat extinctus, perrexit. Et sedentibus e regione exercitibus in ripa fluminis Wisuraha[a], praecepit ipse antistes, nomen illius, qui patrem suum occiderat, inquiri. Responsumque est, eum affuisse. *Rogate* inquid *illum in medio amne fluminis mecum sermocinari.* Et ille haut segniter equo parato, in occursum eius, ut erat invitatus, festinavit. *En* inquid Gewelib *accipe, quo patrem vindico, ferrum.* Dictoque, pariter transfodit eum; et ille cadens in flumine exalavit vitam. Et ob hoc consertis cuneis, omni nisu utrimque dimicatum est. Superatisque Saxonibus, Karolus cum suis, spoliata strage, ad propria remeavit. Episcopus autem, a cede regressus, rudi populo rudis adhuc praesul, licet etate maturus tamen fide[b] ..., praeficitur; non computantibus nec rege nec ceteris optimatibus, vindictam patris crimen esse, dicentibusque: *Vicem reddidit patris morti*[c].

Eodem itaque tempore venerabilis Bonifacius Domino ducente de Brittannia, Anglorum gente, Germaniam ingressus, materiam, quam invenit optimi operis, quaerens praedicandi et baptizandi; Renotenus cunctis lustratis civitatibus, caute ut prudens prospiciens pastor, qua parte errantes quaque recto itinere gradientes conspiceret oves, usque dum ad magnam metropolitanam sancte Moguntie civitatem, Domino secum commorante, pervenit. Illic nefando opere episcopi conperto, statim ad caput regni et ad comprovintiales episcopos cum fervore Spiritus sancti, ut confracta solidaret et dissuta acumine praedicationis euangelii consueret, confluxit; ne veteris consuetudinis pannus totam fidei vestem fedaret. Eisque, ut erat magni ingenii, de periculo gregis et de habitudine episcopi silenter intimavit.

a. Wisuraba *c.* b. *non est lacuna in c.* c. morte *c.*

1. falconibus.

At ille, ab eisdem vocatus et a sancto Bonifacio admonitus, ne sibi periculum et populo pariter praecipicium[a] . . ., statim sine repugnatione honestis monitis consentit; et sine sinodali disceptatione sedem et parrochiam, a quibus acceperat, redonavit; sumque elaboratum ad Sanctum Martynum tradidit in pecunia et mancipiis, quia hereditatem aliam in istis regionibus non habebat. Et in beneficium Spanesheum villulam et ecclesiam, que Caput-montis dicitur, acceperat; et exinde quatuordecim annos honeste in sua domo[b] et maxime hospitalitatis[c] gratie operam dabat. Et nunquam ad Moguntiam[d] in conventum postea vel in synodum venit; raro tamen ad lavationem pedum in cena Domini orationis causa in ecclesiis se representavit.

At domnus Bonifacius, a supradictis principibus magnificentissime honoratus, legationeque cum eo missa ad domnum papam Gregorium, in sedem Moguntine ecclesie electione cleri et populi constitutus est. Pontifex autem eum, honorifice susceptum, episcopum ordinavit, infula ditavit, nomenque[e] mutavit, ad Franciam direxit; ut veridice de eo scriptum per Salomonem putamus: *Iustum deduxit Dominus per vias rectas*[1] et reliqua. Exin cepere nobiles viri, ei suos filios commendare ad erudiendum. Quos ille, libenter susceptos, adiutores sibi quasi adoptivos filios enutrivit secumque gregis Dei cautos fecit esse pastores, ne aliunde quam per ovile heretice tortitudinis lupi catholicam[f] ingrederentur ecclesiam.

De Adelberto heretico.

Hisdem temporibus fuit quidam pseudopropheta, nomine Adelbertus, qui in semet ipso sanctitatis gratiam simulavit; qui quosdam mercede conductos[g], ut se dicerent debiles, claudos sive cecos, quatinus in nomine Trinitatis eis fallendo daret sanitatem; sic delirando errabundus et vagus et numquam stabilis, ut scriptum est inconstans in omnibus viis suis[2], seductus

a. *non sequitur lacuna in cod.* b. *sequitur iterum* acceperat, *sed est deletum.* c. hospitalitati *c.* d. mogña *c.* e. numenque *c.* f. chatolicam *c.* g. *an* conduxit?

1. Sap. 10, 10. 2. Iac. 1, 8.

et seducens ita, ut pene venerandum principem Karolum in eandem simulationem adduxerat. Unde factum est, ut domnus Bonifacius, ingeniose calliditate eius conspecta, suasit principi, ut caveret eius venenosa colloquia sive consortia; quia ob pecunie avaritiam, quod Paulus ydolorum servitutem[1] nominavit, ei assidue coherebat[a]. Karolus tamen pia monita auscultabat[b]; alter in sua vesania perdurabat. Novissime tamen Karolus, iam victus altercatione eorum, permisit, ut utrimque disputando, quis vere fidei cultor eorum esset, ostenderet.

Ergo statuto die, cum perferre suas sententias in medium debuerunt, eadem nocte vir Dei in sompnis putabat, se cum tauro palestrare et confractis utrisque cornibus; eum tali coniectura cognoscebat superari. Mane autem facto, suadebant illum sui clerici Lul et Megingaudus nec non et Sturmi, uti cum tali gypsa[2] disceptare desineret[c]. At ille sompnium eius asserens, dixit: *Maior est, qui in nobis regnat, quam qui illum possidet.* Et statim in congressione locutionis adversarius victus confusus sanctoque traditus, apud Moguntiam, ut dicunt, degradatus est. Et exinde Vuldensi monasterio translatus, carceris obscuritate detrusus, diu longeque vexatus est. Ad extremum miser ille fugam iniit, et nichil aliud ad viaticum nisi tantum unam caligam, plenam nucleis, secum tulit. Et sic curso tenus fluminis Fulde nesciendo errabat; et incidit in subulcos, qui etiam eum occiderunt spoliaverunt lignisque obruerunt; et hic finis erroris eius extitit. At truncus, quem rodendo de carceris lamina sua panda[d] conspicaverat, transportatur ad Moguntiam; ibique diu supra portam, que ducit ad Sanctum Albanum, pro miraculo transeuntibus et aspicientibus suspensus est.

Qualiter domnus episcopus ob penuriam verbi divini feminas de sua gente invitavit.

Tanta etenim fames divine predicationis orientales obsederat, ita ut nullus presbiter trans flumen Wisaraha esset nisi

a. choerebat *c.* b. ascultabat *c.* c. desiniret *c.* d. *sic.*

1. Ephes. 5, 5: „avarus, quod est idolorum servitus". 2. dipsade, serpente.

unus nomine Vinfrit in Turingia; qui et ille ex patre, nuncupato Ullart, cognatus episcopi fuit, ex matre vero de progenie Turingeorum. Unde contigit, ut, necessitate conpulsus, de sua provintia evocaret feminas religiosas, quatinus sui clerici et nobilium filii ab eisdem nutrirentur et celestis predicationis ministri imbuerentur. Teclam nanque iuxta fluvium Moin collocavit, ut in illis locis quasi lucerna in caliginoso luceret loco, id est Chizzingun[1]; ubi adhuc domni episcopi, ut ferunt, femoralia et subtalares pro reliquiis habentur. Nec non et Liobam virginem ad Biscofesheim, constructo monasterio, constituit; que multitudini virginum in eodem loco recte vite normulam docendo et vivendo prebuit.

De constructione episcopatus.

In diebus etiam illis errantibus preposuit ovibus pastores et pullulanti messi operarios inmisit. Siquidem inprimis divisit de Reganesburg et Augustburg et Salzburg Nordgewi et Salafeld; et adunavit unum membrum ecclesie, et episcopalem sedem ibi constituit, ibidem Willibaldum venerabilem virum ordinavit episcopum; loco autem nomen, ut antea habuit, Eistat[a] imposuit. Burghardum autem, virum probabilem, ad Virziburg destinavit, ipsumque ibi episcopum ordinavit. Quibus terribiliter suo baculo oves suas conmendavit, dicens: *Per illum omnium conmunem Deum vos obtestor, quatinus tantam diligentiam cure gregis istius impendatis, quantum oneris vos scitis adeptos, et quantum ego usque in presens impendi*[b] *et impendar pro animabus eorum.*

De eo quod per alitem Dominus ei cibum ministravit.

Quodam autem tempore supra dictus vir Dei, iter faciens de civitate Moguntia, in orientalium fines predicando et baptizando pervenit. Tendensque ad Turingeam, invenit amenissi-

a. Ehistat *corr. in* Eistat *c.* b. impendam *c.*

1. Kitzingen.

simum campum nec non et flumen, iocundo alveo decurrens; ibique fixis tentoriis pernoctabat. Eadem quippe nocte lux de celo habitaculum eius circumfulsit, et angelica visitatione et allocutione ibidem perfrui meruit; quod ex eo etiam conici datur, quia et locum et ecclesiam in honore sancti Angeli illic dedicavit. Mane autem facto, misse sollempnitate peracta, precepit, sibi mensam apponi escamque deferri. Dicente ergo ministro, quo ille vesceretur, se non habere cibum; respondit: *Nonne qui multitudinem populi in deserto quadraginta annis, manna de celo misso, potuit pascere, michi ultimo servulo suo non potest ad unius diei refectionem*[a] *pabulum ministrare?* Apposita itaque mensa et laude Dei ante cibum decantata, ecce quidam aliger volando portabat unam truttam, sufficientem ad illius diei refectionem, et ante mensam[b] unguibus elapsam in terram deiecit. Tunc Deo gratias sancto referente, levata et assata ad mensam honorifice portata est.

De prophetia, quam se periurantibus predixit.

Contigit etiam post modicum tempus, clericum quendam Adelherum nomine ingruente languore infirmari. Hic vero castis moribus episcopo ferventius inherebat et, secretorum ipsius sciolus, honeste servitia sibi impendit. Cumque cerneret appropinquantem diem mortis sue, cum consilio viri Dei suam hereditatem ad Sanctum Martinum Moguntiae tradidit. Postea, egritudine ingravescente, vitam finivit. Et statim fratres eius preripiebant, quicquid frater eorum Sancto Martino tradiderat in locis subter nominatis: ad Amanaburg et ad Prettenbrunnen et Seleheim. Cum autem vocati et interpellati fuissent huius rei causa, spoponderunt[c], se iuramento illa in ius proprium evendicare; et episcopus se ibidem presentem affuturum promisit. Statutoque die iuramenti congregaverunt multitudinem suorum propinquorum. Affuit etiam vir Dei pariter, cumque secum adiuratores ad altare traxissent, dixisse fertur: *Vos soli iurate, si vultis; nolo, ut hos omnes perdatis.* Illi autem iuraverunt. Sta-

a. refecionem *c.* b. mensa *c.* c. sposponderunt *c.*

timque ad eos conversus episcopus inquid: *Iurastis?* At illi: *Iuravimus* inquiunt. Et ait ad maiorem: *Ursus te in proximo occidet;* ad iuniorem vero ait: *Numquam ex tuo semine videbis filium aut filiam.* Quod utrumque eventus rei probavit. Et sic ecclesia beati Martyni traditam sibi hereditatem optinuit.

Qualiter Lullum omnibus orientalibus commendavit.

Vir autem Dei, divina inspirante gratia, ubique gestiebat verbi Dei semina pullulasse. Gentes adhuc indomitas destinavit adire Fresonum; ut, ritu supersticioso derelicto, cultura ydolorum deposita, verum omnium creatorem Deum colerent. Synodali auctoritate et consensu principis Pippini Lullum Mogontie ordinavit, secum primitus ad Thuringeam deduxit et omnibus in illa regione nobilibus illum commendavit, unde[a] fidei katholice astipulatores ei assisterent. Novissime autem precepto Romani pontificis et consilio venerandi principis Pippini et synodalis auctoritatis licentia et omnium episcoporum et abbatum nec non canonicorum et monachorum omniumque christianorum ad suam diocesim pertinentium, profectus est. Sed et Lullum ante iuramento constrinxit, dicens: *Est quidem animo, proficisci, quocumque me divina gratia dirigere voluerit. Nunc autem da fidem, ut, ubicumque obierim, meum corpus ad destinata transferas.* Et ille quidem spopondit, se omnia, prout possibilitas sineret, custodire.

De disceptatione viri Dei cum Stephano papa.

Eodem tempore contigit, Romanos domnum apostolicum Stephanum[1] et servitores sancti Petri insolenter, ut mos eorum est, infestare. Et ob[b] hoc arrepto itinere, insciis illis, sumpto secum gladio, venit in Frantiam ad supradictum principem Pippi- 754
num, patrocinia poscens; eo modo, ut cum duobus presbiteris Ian.
totidemque diaconibus intra conclave unius oratorii in cilitio et cinere una cum antedictis presbiteris et dyaconibus in terra iaceret. Et per nuntium regem ad se invitavit. Eo quoque ve-

1. III. a. un *c.* b. ab *c.*

754 niente, sic inquit Stephanus papa: *Honor sancti Petri deiectus*
Ian. *est, et gloria domus eius imminuta est; et ideo patrocinia Francorum et regis eorum querimus.* Et sic producto gladio, dedit ei; et in eo, quantum sibi concessa esset, dedit patrocinandi potestatem. Et ille, missis nunciis, et iniuriam apostolici et temeritatem quam in sanctos audebant vindicavit. Et postea aliquantum temporis in regionibus Francorum demoratus est. Tunc quoque accidit, ut domnus apostolicus Rutgangum ordinaret[1] Metensem episcopum. Qua de re venerabilis episcopus Bonifacius in fatiem ei restitit, dicens, ei non licere suam sedem derelinquere et terminos patrum transgredi, et sine consensu episcopi ad cuius dyocesim pertinet locus, quilibet ille est, episcopum ordinare; quod nec decessores eius fecissent nec ecclesiastica regula docet. Atque in hunc modum in presentia regis — illo contradicente, apostolica auctoritate fecisse — contendentibus, Pyppinus rex in pace reconciliari eos nitebatur, dicens: *Non oportet, ut, qui caput aecclesiae estis, ceteris membris exempla contentionis prebeatis; sed, me inter vos mediante, reconciliari convenit.* Audito igitur eius consilio, ut erat[a] uterque eorum in lege divina eruditus, consenserunt sermonibus eius et in pace reconciliati sunt. Acceptaque benedictione domni apostolici, ad destinata profectus est.

De gloriosa passione viri Dei.

Sicut enim per omnia divina mandata assecutus est, ita, quod — quasi de singulari precepto — Dominus ex toto corde se diligendum[2] et proximum sicut se ipsum[3] precepit, et custodivit. Eandemque caritatem sectando, semet ipsum, ut Christus
755 docuit, pro amicis suis dedit[4] atque[b], Fresonum lustrata gente, thesaurum sibi conmissum non in sudario ligatum vel in terra suffossum abscondit, sed augmentum in eo querentibus porrigit. Appropinquante autem tempore passionis eius et suis secum

a. ut erat ut erat *c.* b. q; *c.*

1. V. Regesta pontificum Romanorum n. 1771. 2. Deuteron. 6, 5. 3. Levit. 19, 18. 4. Ioh. 15, 13.

clericis sive laicis caute contra insidias adversariorum vigilantibus, nocte eadem lux de celo tabernaculum, in quo vir Dei gratas[a] Deo tota nocte persolvebat laudes, emicuit et sic in maiorem partem diei perseveravit[b]. Illucescente[c] igitur die, exhortabatur suos dicens: *Viri fratres, fortes estote animo;* quatenus, quando diu optata dies veniret, parati essent. Nec mora[d]; irruentibus contrariis et ipsi interdicenti bellum, Hyltibrant, qui sue mense minister erat, semicaltiatus se in pessum dedit. Et post eum frater eius Hahmunt dyaconus, statim ut egressus fuerat e tentorio, occubuit. Deinde alii atque alii, sicut hystoria passionis eius narrat. Ad extremum ipse episcopus, martyrio coronatus, proprio sanguine infusus, palmis ad celum erectis, obiit. Statimque, in ipso tempore ut sanctus vir pro Domino carne occubuit, Traiectensis ecclesie clerici cum suo episcopo rapuerunt sanctum corpus, et voluerunt illud omnino apud se[e] retinere. Quod cum Lul compertum habuisset, congregata multitudine oryentalium, venerabilium virorum, clericorum, monachorum, simulque et laicorum, condicto ieiunio cum psalmodiis et orationibus, perrexerunt et cum vi sanctum corpus abstulerunt; honorificeque ad Mogontiam tricesimo passionis die tulerunt.

755 — Iun. 5 — Iul. 4

Quod vulnera eius quasi recentia sanguinaverunt.

Cumque corpus viri Dei ex more lavatur, quasi noviter facta vulnera eius sanguinem profuderunt. Sed et Lullus lotia[1] in testaceum vas collocavit et sub terra fodit in loco, ubi nunc sancti Bonifatii ecclesia constructa manet, a septentryone ecclesiae, que nominatur baptisterium Iohannis; in qua usque hodie, ut ferunt, vestimenta in quibus passus est in archa lignea iacent. In eadem quippe civitate, ut accole illius putant, nusquam exceptis martyrum corporibus, tam magna sanctitas claret ut in supradicta ecclesia. Multi etenim tunc fuere, qui cupie-

a. grates *c.* b. perseravit *c.* c. Illuscescente *c.* d. maiora *c.* e. se *addidit Henschenius.*

1. aquam, qua corpus lavatum erat.

755 bant sanctum corpus ibidem remanere. Lullo autem renitenti[a] reminiscentique iuramenti, apparuit, ut dicunt, sanctus cuidam dyacono nomine Otperaht, dicens ad eum: *Dic* inquit *Lullo, ut meum corpus ad locum requietionis*[b] *mee*[c] *transferat.* Multis ergo hesitantibus et non credentibus, Lul archiepiscopus, congregata multitudine reliquiarum, et fecit eum iurare, quod ita se haberet, sicut referebat. At ille, extensis utrisque brachiis super altare et reliquias, orabat Dominum et sanctos eius, quorum reliquie ibi presentes erant, se ita adiuvare, ut verum esset quod dixerat. Tandem credentibus ceteris, Lullus archyepiscopus transitum viri Dei ultra Renum honorifice parabat.

Qualiter corpus eius translatum est de Mogontia ad Fuldam.

Postquam ergo Lullus archyepiscopus sanctum corpus lavit et in syndone involvit, convenientibus omnibus presbiteris dyaconibus et omni clero nec non fidelibus laicis, qui ultra Renum habitant, in unum, levatum est in feretro, leviori ut ferunt ad navim onere, quam antea de nave portarunt. Et tanta multitudo hominum naviumque tunc aderat, ut Renum operiret; eorum quippe, qui ad translationem sancti viri convenerant. Et sic cum ymnis et psalmodiis utrasque implevere ripas, usque dum obviam haberent cum coniugibus et liberis omnem nobilitatem orientalium. Egredientibus igitur de navi Lullo et comitibus eius, statim miscentibus se turbis, ingens luctus attollitur; alii pre gaudio atque fidei puritate, alii pro merore et dolore. Exin levantes loculum Lullus archiepiscopus et qui ei in obviam venerunt[d] ....; cyteriores autem, transnatato amne Reni, redierunt in sua. Sic quoque prospere per omnia, Domino dirigente nec non gubernante, agentes, ut in omnibus locis in quibus contigit meridiare sive noctare, signa crucis imprimerent, ac Triumphatorem omnium in suo agonitheta triumphantes. Sed et in quibusdam eorum locis nunc ecclesie constructe cernuntur. Dum autum ventum est ad introitum[e] silve Bochonye, mulieres

a. retinenti *c.* b. requitionis *c.* c. me *c.* d. *in cod. non est lacuna.* e. adiutorium *c.*

revertentes ad propria, viri quoque comitabantur usque ad locum, 755
quo ultimum decreverat corpus expectare iuditium.

De mirabili piscatione.

Fuit quidam monachus eodem tempore nomine Ritant, frater Wolfmari piscatoris, qui et ipse piscator. Cui ab abbate suo Sturmyone preceptum est, ad adventum hospitum tunc venientium, quia adhuc preter lac et butyrum et caseum non multe delitie fuerant, ut, piscibus congregatis, susceptio previderetur. Tunc supra dictus frater Rytant, sciens locum propter edifitium, quod nominatur vulgaryce aucarium[1] domus, ubi sibi numquam pisces deerant, illuc propere, precepto obediens, ad lacum cucurrit. Ut ad paululum iam dicta contingam, tempore adventus sancti corporis, dum se aptavit extendere lina, subito omnes, qui in lacu erant, supini in superfitie aquarum ostendebantur pisces; eodemque momento in inferiore parte fluminis audiebat collectam[2] a cantante cantari, quo sanctum corpus super pontem portabatur. Et ita nichil laboriosius in piscatione agebat, nisi tantummodo colligendo et naviculam implendo piscibus. Ad huius diei hospitibus sufficientem[a] pastum ad ministerium secum detulerat. Hoc signorum de multis, que per sanctum martyrem Bonifacium divina virtus dignabatur ostendere post martyrium eius in eodem loco, initium erat.

Postea igitur Willybaldus vitam conversationemque viri Dei nec non et passionem — quia adhuc multi supererant, qui eidem passioni interfuerunt — conscripsit[b] in loco, qui dicitur sancti Victoris ecclesia, in conclavi unius cubiculi, primitus in ceratis tabulis ad probationem domni Lulli et Megingaudi, et post eorum examinationem in pergamenis rescribendam, ne quid incaute vel superfluum exaratum appareret.

Supra dicta autem sancti Victoris ecclesia, extra murum Mogontie sita, a succedentibus episcopis honorabiliter adaucta refertur. Lullus enim et Rabanus[3] illic vacabant orationibus.

a. sustitientem *c.* b. cum scripsit *c.*

1. anserum. 2. missam. 3. 847—856.

Willigisus[1] autem beate memorie pater, mediante domino Burchardo camerario urbis et preposito Sancti Victoris, suppremam eidem ecclesie, divina gratia inspirante[a], imposuit manum; novum et egregium ibi constituens monasterium, et viginti canonicorum[b] in Dei servitio constituens pervigili cura obsequium. Eiusque ecclesie dedicationem ob memoriam beati patris Bonifacii ipsius passioni continuavit[2], presente tertio Othone imperatore. Qui et ipse suo predio in Turingia sito ecclesiam eandem, sub impressione cyrographi dotem[c] confirmans, ditavit[3]; regnante domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat deus per omnia secula seculorum. Amen.

Explicit passio sancti Bonifacii episcopi et confessoris.

EX OTHLONI VITA S. BONIFATII.

Petitionibus vestris, fratres Fuldenses, prout scientiae meae parvitas permisit, parere studui. Petistis enim, ut sancti patris nostri Bonifacii vitam, — praecipuo quidem elegantique, utpote sancti Williboldi[4], stilo antiquitus editam, sed in locis quibusdam ita infirmo intellectui obscuram, ut difficile pateat quo oratio tendat — hanc ego sententia apertiori reserarem. Quam nimirum peticionem in primis — miratus cur, tot patribus peritis tam inter vos quam circumquaque commorantibus huc usque relictis, mihi imperito et liberalis scientiae admodum ignaro tam arduum opus iniungere vel excogitaveritis — pro nihilo duxi. Deinde, cum quidam ex vobis mihi referret, iam antea pro eodem opere laboratum fuisse apud sanctum Leonem[5] papam, ita ut nonnullos libros, unde plenius ad hoc instrueretur, abbas Egbertus[6] scriptoremque simul ei Romam transmisisset, ipsos libros,

a. imspirante *c.* b. canicorum *c.* c. dote *c.*

1. 975—1011. 2. dedicavit igitur ecclesiam die 5 m. Iunii. 3. die 17 Iulii 997. V. diploma ap. Guden Cod. dipl. IV 842. 4. V. supra p. 422 n. 3. 5. IX, 1048—1054. 6. Fuldensis, 1048—1058.

eo defuncto et opere petito minime expleto, ibi remansisse; tunc misertus talium, apposui aliquid animum, volens scilicet implere petita, si ulla astipularetur scientia. Cumque diu velle mihi adiaceret, perficere autem in me non invenirem, dicebam[a] vobis, quod vellem, quodque nequirem. Sed vos, ut scitis, eadem crebro repetistis; dicentes, si mihi tantummodo solida inesset voluntas, a Domino caetera prestari. Exhortatione huiusmodi sepe incitatus, temptavi tandem vestros implere precatus; confidens in eo quam maxime, qui dixit: *Aperi os tuum, et ego adimplebo illud*[1], quique, sicut in paucis sepe victoriam prestans sic etiam in imperitis peritiam tribuens, gratiae suae potentiam ostendit.

Haec autem ideo premisi, ne quis, me forsitan tantum opus ultro arripuisse per arrogantiam arbitratus, diceret, magnae presumptionis esse causam: illa, quae a quolibet sancto viro utcumque fuerint prolata, ab ullo deinceps quasi emendatore in aliud transferri; quasi non ipsa sanctorum prophetarum sanctissimaque ęuangelii dicta, multis obscuritatibus involuta, a non nullis scriptoribus in aliam linguam vel in apertiorem sententiam fuerint translata. His itaque prelibatis contra detractores universos, quibus nihil est dulcius, quam alios lacerare aliis laqueos ponere in via qua ipsi nolunt incedere, iam deinde lectori pandere cupio: quia id mihi maxime fuit studii in opere isto, ut sententiam eandem verbis apertioribus proferrem, exceptis his, quae ob[b] sui difficultatem et obscuritatem investigare penitus nequivi. In tantum autem faciliora sequebar, ut, sicut probari potest, alicubi eadem verba ponerem. Quid enim nobis infimis, qui spectaculum facti sumus mundo[2], nodosa et perplexa oratio? Habeant amatores sapientiae secularis Tullium, nos imperiti et ignobiles, despecti et contemptibiles, sequamur Christum, qui non philosophos sed piscatores elegit discipulos.

Inter haec etiam illud notum facio dilectioni vestrae: quia, cum in ipso libro, quem me explanare petistis, inspicerem plurima tam miraculorum quam epistolarum insignia non haberi,

a. dicebam — nequirem *om. c.* b. ob *om. c.*

1. Cf. Ps. 80, 11. 2. 1 Corinth. 4, 9.

quae in aliis libris inveni, molitus sum ex ipsis colligere et in locis, quae oportuna videbantur, inserere. Fortassis enim ille venerandus vir, qui vitam sancti Bonifacii in primis scripsit, virtutes eius multas epistolasque nesciens pretermisit. Sed mihi, consideranti litteras omnes quas de eo habetis, in nullis maior tanti presulis auctoritas quam in epistolis, ab ipso vel ad ipsum directis, videtur esse. Ibi namque apertissime inspicitur: quanta veneratione primitus fuerit susceptus a pontifice Romano; qualiterque eum ordinatum miserit ad predicandum cunctis Germaniae populis; quanto etiam labore eandem Germaniam ad fidem Christi converterit et quod non solum a paganis et hereticis sed etiam a pseudochristianis et pravis sacerdotibus eam velut a luporum morsibus eripuerit; quantam gratiam a Francorum principibus Karlomanno scilicet et Pippino obtinuerit, qui, postquam eum aecclesiae Mogonciacensi presulem decreverunt, eandem, quae prius aecclesiae alteri subdita erat, pro illius amore simul et honore metropolim totius Germaniae, apostolico pontifice consentiente, effecerunt; quot sedes episcopales statuerit; quae privilegia quibusdam aecclesiis obtinuerit. Postremo et illud ibi speculatur, quod etiam vobis modo peropus est: quomodo corporis sui locum, coenobium videlicet vestrum, possessionibus et decimis specialibus sublimaverit.

Tanta igitur auctoritas licet a modernis quibusdam sacerdotibus adnulletur, continget tamen eis in testimonium dampnationis, quod scientes, terminos antiquos et sanctorum patrum decreta non debere transgredi, summopere transgrediuntur; obliti verborum illorum, quae Dominus ad electos pastores vel doctores in ęuangelio dicit: *Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit*[1]. Neque enim haec verba de precedentium temporum rectoribus solummodo dicta sunt, sed etiam de illis, qui usque ad consummationem seculi aecclesiam sanctam sunt recturi non destructuri. Nam de destructoribus et perversis pastoribus Dominus alibi dicit: *Ve vobis legis peritis, qui tulistis clavem scientiae, et ipsi non introistis, nec alios intrare per-*

1. Luc. 10, 16.

misistis[1]. Et iterum: *Vae vobis, ypochritae, qui decimatis mentam et anetum et ciminum, et graviora legis praecepta reliquistis, hoc est iudicium misericordiam et fidem. Haec oportuit facere, et illa non omittere*[2]. Multa quoque in Hiezechihele propheta de huiusmodi pastoribus dicuntur. Sed, si placet, interrogemus eosdem pastores: quomodo velint sua roborare, si praecedentium patrum statuta iudicaverint esse destruenda; vel quomodo aedificium superpositum stare possit, si fundamenta eius sunt eicienda? Fundamenta namque sanctae aecclesiae primi patres fuere, sicut scriptum est: *Fundamenta eius in montibus sanctis*[3]. Quicunque igitur lapidum superpositorum fundamenta talia sequi dedignatur, de aedificio caelesti eliminatur. Ad haec etiam dicamus quoddam argumentum, quod omnibus constat notum. Si quis itaque ditionis suae silvam exstirpandam pro agri cultura aggreditur, quantecunque longitudinis et latitudinis voluerit agros, exinde sibimet metitur; aliis vero non ea, sed qua vult, mensura partitur, habens potestatem unicuique prout vult dividere. Cum ergo hoc ita esse ab omnibus sciatur, cur rogo ignoratur: quod primi principes aecclesiarum, apostoli scilicet, omnesque, qui eorum vestigia sequentes unicuique genti sacram fidem primitus tradiderunt, exstirpatis errorum variorum silvis, in quibusdam populis ac provinciis potestatem habuerunt, possessiones vel decimas, quae sibi contingebant, illi et illi aecclesiae donare; quandoquidem iuxta sanctorum canonum decreta decimas in quatuor portiones dividentes, unam sibi, alteram clericis, tertiam pauperibus, quartam restaurandis aecclesiis tradiderunt[4]. Numquid, avariciae suae tantummodo consulentes, in distributione decimarum obliti sunt pauperum restaurationisque aecclesiarum? sicut modo proh dolor cernimus agi[5]. Canones enim sancti, ex quorum auctoritate exiguntur decimae, non solum decimas dari sed etiam inter varios iubent distribui, ut in urbibus quibuslibet et vicis xenodochia habeantur, ubi pau-

1. V. Luc. 11, 52. 2. V. Matth. 23, 23. 3. Ps. 86, 1. 4. Cf. S. Bonifatii ep. 19 supra p. 79; et Gratiani decr. P. II C. XII q. 2 can. 30.
5. Cf. Lamberti annales ad 1073, Mon. Germ. SS. V 192 sq.

peres et peregrini alantur. Sed tam sanctum tam necessarium praeceptum in plurimis locis non solum minime curatur, sed etiam pene ignoratur. Nam solummodo illud legitur: quod episcopis decimae sint tribuendae. Quid vero exinde agendum sit, vel si quicquam aliud curandum sit circa monasteria — tam a clericis, miserabile dictu, quam a laicis destructa citraque[a] iudicia christianae religionis subversa — oblivioni seu ignorantiae commendatur. Unde vereor, ne de praesentis temporis rectoribus, avaricia inexplebili corruptis, psalmista prophetizans dixerit: *Corrupti sunt et abhominabiles facti sunt in studiis suis*[1]. Cum enim nihil dicendum sit corruptum, nisi quod prius fuit integrum, rectores vel pastores quique in hoc quidem dici possunt fuisse integri, quia a Deo sapientia omnimoda ad iudicium verum faciendum erant instructi; ideo autem corrupti, quia non secundum datam sibi[b] sapientiam sed iuxta lucri obtinendi quantitatem iudicant. Atque utinam ipsi pastores tantummodo dedignarentur, pauperibus decimas dividere, et non alios quosdam — monachos dico, apud quos aliqua adhuc huiusmodi cura exercetur — prohiberent; moliti antiquae traditionis decimas ab eorum iure auferre. Cur igitur sanctus Bonifacius — cui Deus tantam in omni Germania potestatem contulit, ut, quovis vellet, aecclesias cenobiaque fundaret, sedes episcopales statueret parrochiasque earum divideret — non cuilibet loco, quem sibi specialiter elegit, possessiones et decimas aliquas donare potuit? Nonne per eandem auctoritatem, qua moderni pontifices militibus aliisque secularibus hominibus decimas dare solent, sanctus Bonifacius monachis vel pauperibus erogare easdem potuit? Si reliqua eius statuta videntur sancta, si omnia quae canonicis distribuit sunt laudanda, cur queso hoc solum, quod monachis et pauperibus dedit, decernitur iniustum? Heu, heu, quod is, cui plurima divitibus dare licuit, licentiam dicitur non habere, pauperibus vel pauca erogare. Super hoc obstupescite caeli[2], orbis quoque terrarum et universi qui habitant in eo[3] doleant;

a. circaque *c.* b. sibi *om. c.*

1. Ps. 13, 1. 2. Ierem. 2, 12. 3. Ps. 23, 1.

quia mundus iam[a] in maligno positus est[1], adeo ut eis vivere invideat, illos extinguere studeat, qui ad hoc specialiter electi et segregati sunt de mundo, ut maiori studio intercederent pro ipso.

Sed huius querimoniae interiectio iam finiatur et ad id, unde recessimus, stilus revertatur. Dixi namque prius, quod et iterum dico, quia inter omnes litteras, quas de sancto Bonifacio habetis, epistolae illius mihi praecipuae viderentur. Unde, quascunque huic operi necessarias invenire potui, in unum colligere studui; sperans, aliquem emulum et tantae auctoritatis ignarum lectorem exinde posse aedificari. Proinde et vos, fratres Fuldenses, unice peto atque ammoneo: ut easdem epistolas intentione summa legatis; Deo supplicantes, ut per eius preces, a quo vel per quem scriptae sunt, quique, ut in eis legitur, sanctam aecclesiam in Germania positam maximo labore a pravis sacerdotibus quondam eripuit, nunc etiam a similium potestate vos locumque vestrum defendere dignetur. Duos autem libellos, adiuvante Domino, tam de vita sancti viri quam de epistolis supra dictis scribere gestio; in priori quidem reserans, quis fuerit quidque ante acceptam Mogonciacensis aecclesiae sedem in sancta aecclesia laboraverit, in altero vero, quae postea usque ad finem vitae suae gloriosum egerit.

EXPLICIT PROLOGUS.

Quis sim, qui vobis fero munus tale laboris,
Vos quoniam scitis, nolite, precor, dare multis;
Ne persona mei vilis faciat mea sperni.
Sit magis hoc studium vobis, deposcere Christum,
Ut sibimet placita maneant presentia scripta.

INCIPIT LIBER DE VITA ET VIRTUTIBUS S. BONIFATII MARTYRIS ATQUE PONTIFICIS.

Cum gens Anglorum, sacrae fidei iugo per sancti Gregorii papae apostolatum subdita, eius suffragantibus meritis, in sanctorum virorum procreatione prae multis nationibus splendere coepisset multaque lumina sanctae aecclesiae, quibus variae cor-

1. 1 Ioh. 5, 19. a. iam *om. c.*

dium obcecationes inlustrarentur, protulisset, inter huiusmodi lumina sanctum quoque Bonifacium, velut luciferum quendam caeteris syderibus clariorem, huic mundo edere meruit. Qui, nimirum magna parentum sollicitudine nutritus .....

.... Apostolicus vero, acceptis lectisque litteris et comperto sancto viri desiderio, sedulum deinceps cum eo colloquium habuit, reverenterque eum ibi commorantem retinens, pro qualibuscunque sanctorum reliquiis postulabat, illi tradidit. Ad haec etiam committens ei in cunctis Germaniae populis curam prae-
719 Mai. 15 dicandi, tradidit epistolam, cuius exemplar tale invenitur[a]. ... His igitur litteris acceptis a venerabili papa, profectus est inde ad Longobardorum regem Liutprandum ....

722 Nov. 30 Adveniente ergo ordinationis eius die, quae erat pridie Kalendarum Decembrium, hoc est in natali sancti Andreae apostoli, imposuit ei venerabilis papa et episcopatus ordinem et alterius nominis, quod est Bonifacius, dignitatem; nam antea Winfrid dicebatur. Deinde, ut eum ad oboedientiam sibi successoribusque suis exhibendam nec non ad omnem sacrae fidei traditionem observandam artius constringeret, exegit et accepit ab eo iuramentum, quod scilicet in antiquis exemplaribus invenitur ita scriptum[b]. ....

Postquam igitur huiusmodi promissionem iurando coram Gregorio papa peregit, tunc et ipse eum in omnibus adiuvare praeferre et venerari studuit. Nam libellum, in quo sacratissima aecclesiasticae institutionis iura pontificalibus digesta conventibus habebantur, ei donavit; praecipiens, ut tam clerus quam caeteri populi, suo regimini subiciendi, institutis talibus erudirentur. Sed et familiaritatem sedis apostolicae sibi omnibusque sibi subiectis perenniter reservandam privilegio confirmavit. Sicque eum litteris transmissis non solum Karolo duci glorioso, qui per idem tempus Francorum regnum gubernabat, sed etiam universis aecclesiasticis viris principibusque in Germania constitutis muniendum commendavit. Litterarum autem tunc mis-

a. *sequitur S. Bonif. ep.* 12 *supra p.* 62. b. *sequitur Bonifatii iuramentum supra p.* 76.

sarum exemplaria, quia locus praesens exigit ut inserantur, hic 722
iam inserere cupimus, primum quidem, quae ad Karolum ducem, Nov. 30
deinde vero, quae ad caeteros principes directae sunt, ponentes[a]. ...... Has quidem duas supra scriptas epistolas communiter omnibus principibus in Germania constitutis; duas vero sequentes specialiter Turingis principibus misit praedictus papa[b]. ...

Tantarum itaque litterarum auctoritate suffultus, sanctus
praesul Bonifacius proficiscitur in Germaniam. Veniensque ad 723
praefatum principem Karolum, literas ei Romani pontificis detulit ....

.... Tunc etiam congregata servorum Dei multitudine, constructum est monasterium in loco, qui dicitur Ordorf, sub honore sancti Michahelis archangeli. Qui scilicet omnes, apostolico more viventes, labore proprio victum vestitumque acquisierunt.

Cur autem in honore sancti Michaelis constructum fuerit idem monasterium, breviter dicendum. Nam cum sanctus Bonifacius praedicando et baptizando in Turingia transiret[1] et prope flumen, cui nomen est Oraha, tentoriis fixis pernoctaret, tunc per totam noctem lux magna, de caelo sese protendens, locum ubi manebat episcopus circumdedit. In qua etiam luce sanctus Michael archangelus adveniens episcopo apparuit, eumque alloquens in Domino confortavit. Mane itaque facto, laudans et benedicens Deum, ibidem missarum sollempnia cęlebravit. Deinde in eodem loco prandium sibi parari praecipiens, sed a ministro suo audiens, cibum quo vesci posset se non habere, respondit: *Nonne, qui multitudinem populi in deserto quadraginta annis manna de caelo misso potuit pascere, mihi indigno servulo suo non praevalet ad unius diei refectionem escam impendere?* Haec cum dixisset, mensam sibi apponere praecepit. Interea vero quaedam avis advolans, piscem talem, qui ad illius diei refectionem sufficeret, attulit et ante mensam proiecit. Quo viso, sanctus praesul Deo gratias retulit, piscemque allatum cito praepa-

a. *sequuntur S. Bonifatii epp.* 21 *et* 18, *supra p.* 81 *et* 77. b. *sequuntur S. Bonifatii epp.* 20, 26, 22 *supra p.* 80, 87, 81.

1. V. Passionem S. Bonifatii supra p. 475 et 476.

rari iussit. Illo vero praeparato et comeso, reliquias in flumen proici praecepit. Exinde ceptum carpens iter et Turingiam peragrans, diligenter investigavit, cuius ille locus esset, ubi visio tanta sibi apparuit. Compertoque, quod Hugo, qui dicebatur senior, illius loci possessor esset, petiit ab eo, ut sibi dare dignaretur. At ille, petita annuens, primus omnium Turingorum hereditatem suam tradidit venerando praesuli. Deinde vero Albolt[1] aliique plures contigua praedicto loco praedia tradiderunt. His igitur adeptis, sanctus Bonifacius rediens, in eodem loco frutecta extirpare terramque incolere iussit et, iacto fundamento, aecclesiam construi fecit. Haec autem in libro quodam antiquo scripta reperiens, ideo inserere decrevi, ut, agnita causa, unde monasterium praedictum constructum fuerit, et ipse locus et fundator eius, angelica visitatione digni, sub veneratione maiori habeantur.

Predicans ergo et baptizans sanctus praesul Bonifacius in Turingorum et Hessorum regionibus, perspexit, messem quidem multam esse ibi, sed operarios paucos[2] ad copiosam multitudinem credentium instruendam. Unde in provinciam patriamque suam mittens, exinde tam feminas quam viros religiosos, scientiaque varia imbutos, plures venire fecit, suique[a] laboris onus inter eos divisit. Inter quos erant praecipui viri Burghardus[3] et Lullus, Willibolt[4] et Wunnibolt[5] frater eius, Witta[6] et Gregorius[7]; feminae vero religiosae: matertera scilicet sancti Lulli nomine Chunihilt, et filia eius Berthgit, Chunitrud et Tecla, Lioba et Waltpurgis, soror Willibolti et Wunnibolti. Sed Chunihilt et filia eius Berhtgit, valde eruditae in liberali scientia, in Turingorum regione constituebantur magistrae; Chunitrud in Baioariam destinata est, ut verbi divini semina ibidem spargeret; Teclam vero iuxta fluvium Moin in locis, Kizzinga et Ohsnofurt

a. suique — divisit *om. c.*

1. Cf. S. Bonifatii ep. 20, a Gregorio II missa Alvoldo aliisque Thuringis, supra p. 80. 2. Matth. 9, 37. 3. ep. Wirziburgensis. 4. ep. Eistetensis. 5. abbas Heidenheimensis. 6. ep. Buraburgensis. 7. abbas et rector ecclesiae Traiectensis ad Rhenum.

nuncupatis, collocavit; Liobam quoque ad Biscofesheim, ut illic multitudini virginum congregatae praeesset, constituit.

..... Postquam vero legati Romam venientes venerabili c. 732
papae talia denuntiabant, statim Deo gratias retulit; deinde non solum omnia familiaritatis et amiciciae iura a sancto Bonifacio postulata promisit, sed etiam, quae minimę petiit, idem archiepiscopatus pallium direxit. Epistolam quoque continentem diversa, pro quibus interrogatus fuerat, praesuli sancto remisit, cuius exemplar hic subsequenter inseretur[a]. .... Redeuntes igitur nuncii. ....

Eo etiam tempore Romam ire decrevit .... praesentatus- c. 737-738
que apostolico, benigne susceptus est ab eo. Tantaque a cunctis Romanis veneratione habebatur, ut multi ad salutarem eius doctrinam confluerent illumque diu secum retinerent. Post haec vero cum remeare decerneret, muneribus et reliquiis sanctorum, pro quibuscunque petiit, datis, honorifice ditatus est a praesule apostolico. Ad haec etiam epistolas quasdam, episcopis abbatibus atque principibus cunctis in Germania constitutis transmittendas, ei dedit; quarum exemplaria subsequenter hic inserentur[b]. .... Acceptis igitur talibus epistolis, sanctus Bonifacius a Roma discessit. Italiamque perveniens. ....

.... provinciam Baioariae, Ötilone duce consentiente, in 739
quatuor divisit parrochias, tresque magnarum virtutum viros eis praetulit, quos ordinatione facta in episcopalem gradum sublimavit. Quorum primus, nomine Iohannes, in oppido quod dicitur Salzburg cathedram episcopalem suscepit; secundus Erinbertus in Frisingensi aecclesia regimen pontificale subiit; tercius Gowibolt in Ratisponensi civitate, quae metropolis Baioariae est, pontifex constituitur. Vivalus vero, a praesule apostolico iam ordinatus, Pataviensi aecclesiae praelatus est; sed eius parrochia, quae quarta erat, a sancto Bonifacio, sicut caeterae, dividebatur. His ergo pontificibus constitutis et, quaecunque tunc corrigenda erant, in Baioaria correctis, ad proprias rediit aecclesias. Post

a. *sequitur S. Bonifatii ep.* 28 *supra p.* 91. b. *sequuntur S. Bonifatii epp.* 35, 36, 37 *supra p.* 100, 101, 103.

739 non multum vero temporis omnia, quae tunc in Baioaria corrigendo gessit, litteris transmissis, praesuli apostolico denuntiavit. At ille, gesta eius laudans, remisit huiusmodi scripta[a]. ....

Per idem tempus Karolo duce glorioso temporalis vitae cursum consummante, filii eius Karlomannus et Pippinus in patris successerunt imperium. Sed quia ad nutum Karlomanni, qui maioris aetatis erat, omnia paterni regni iura disponebantur, hunc sanctus Bonifacius adiens praesulisque apostolici scripta deferens, omnimodo poposcit, ut christianae religionis culturam, quam pater eius promptissimo animo coepit et excoluit, ipse quoque pro Dei amore suique regni stabilitate nec non pro communi omnium sibi subiectorum salute eodem animo excoleret. His ille precibus quasi divino affatu compunctus, omnes sub imperio suo degentes, laicos simul et clericos, a religione christiana deviantes, tam regali quam canonica auctoritate ad viam iusticiae revocare studuit. Precipiebat enim, ut, conventu synodali habito, ibi omnia iuxta canonum decreta corrigerentur. Cuius nimirum conventus synodalis statuta, quia non solum saecularibus, sed etiam aecclesiasticis rectoribus aedificationem magnam conferre posse videntur, prout in antiquis exemplaribus scripta invenimus, hic ponere volumus. Sic enim scripta inveniuntur[b]....

Tantae igitur religionis statuta, a principibus neophitis tunc facta, si comparentur legibus his, quae modo a quibusdam rectoribus nostris — a puericia usque in senectam in omni disciplina christiana instructis — proferuntur, facile potest agnosci: quantum perfectiores fuerint illi neophiti istis patribus doctissimis; qui non solum apud reges et principes pro locorum sanctorum utilitate intercedere[c] negligunt, sed etiam ipsi loca sancta sibi commissa omnimodo destruunt. O mores pravi cunctis omnino dolendi, o miseranda nimis morum mutatio talis, cum pueri senibus, caeci videntibus, imperiti peritis, laici clericis religiosiores inveniuntur. Quondam namque in provinciis multis, ubi, sanctae aecclesiae vinea noviter plantata, necdum vel notitia

a. *sequitur S. Bonifatii ep.* 38 *supra p.* 104. b. *sequitur S. Bonifatii ep.* 47 *supra p.* 127. c. intercedere *om. c.*

fructuum spiritualium ad omnes pervenit, a plurimis secularibus viris dicebatur: *Quoniam pro fragilitate nostra a consuetis mundi deliciis penitus nos continere nequimus, saltim vel alios continentes ad servitium Dei congregantes, illos nostris corporalibus subsidiis pascamus, ut et ipsi orationibus suis aliisque spiritualibus studiis nos pascant, ne pereamus.* Nunc autem, cum omnium virtutum scientia et experientia aliqua et in libris prolata pene ad omnium noticiam pervenit, nullusque christianorum dicere potest: *Quia nemo nos conduxit*[1], tam clerici quam laici plurimi dicere solent: *Quid prosunt tot cenobia vel tanta monachorum agmina? Multo enim melius esset, ut praedia, quibus idem monachi inutiliter saginantur, servitio nostro praestarentur.* Haec quidem multi verbis, sed multo plures operum suorum attestatione ita esse fatentur, quasi malicia et inreligiositas eorum a Domino minus puniatur, si nullus monachus vel religiosus in hoc seculo inveniatur.

At Karlomanno praefato longe alia mens erat. Qui, licet ante sancti Bonifacii praedicationem de religione christiana parum quid noverit, eo tamen ammonente et exhortante citius in timore et amore Dei ita perfectus esse coepit, ut humana simul et divina prudenter disponeret nihilque secularia iura sine divini amministratione servitii, ad quod cenobialis monasticaque deputatur congregatio, proficere sciret. Similiter et Karolus Magnus, filius scilicet fratris sui Pippini supra dicti, qui a Roma usque in Fresiam, ab Ungaria usque in Brittaniam omnia regna suo subegit imperio, cum contra eadem decertaret, non aliter victoriam se posse adipisci credidit, nisi interim omnia cenobia in eisdem regnis iam constructa supplemento aliquo adiuvaret. Si quis in his dubitet, legat in primis sua gesta, deinde circueat monasteria, quae sub tempore suo fundata habuit Italia vel Gallia sive Germania; et inveniet ea aliqua Karoli largitate sublimata, quaedam quidem privilegio libertatis, quaedam vero praediorum donis, nisi forte ex subsequentibus regibus seu episcopis sint ablata. Multi namque reges, eiusdem Karoli succes-

1. Matth. 20, 7.

sores, licet in praeclaris moribus ac studiis pluribus effulserint, in hoc tamen nimis deliquerunt, quod monasteria nonnulla vel ipsi tam inmensa obsequii sui exactione quam praediorum ablatione destruxerunt, vel episcopis seu etiam laicis quibusdam, nihil minus quam monasticam religionem curantibus, destruenda tradiderunt. At Karolus noster non solum haec minime fecisse refertur, sed etiam e contra quaedam loca ad episcopatum pertinentia, praediis duplicibus redditis, cum consilio communi, ab episcopali ditione absolvit libertateque regali sublimavit, sicut sancti Emmerammi cenobium; praenoscens ut reor prophetiae spiritu — quod et nos cernimus et anteriores nostri iam diu impletum viderunt — loca sancta, quae necessariis omnibus sufficienter erant redimita a suis institutoribus, tradita vero episcopis, et in penuriam maximam et in destructionem totius disciplinae regularis ventura fore. Sed hoc nequaquam idcirco dico, quod omnia cenobia episcopis subiecta destructa sciam, sed partem maximam. Quod tamen eo magis dolendum et miserandum videtur, quo minus ab ignorantibus legis divinae praecepta sed a doctissimis agitur; qui, commissa sibi destruentes cenobia, non solum ipsi peccant sed etiam laicos peccare faciunt in eadem destructione. Quis enim laicorum non putat, sibi iam licere, quicquid clericos cernit facere? Unde in his omnibus Karolum proponere possumus ad exemplum. Sicut enim inter reges, successores videlicet suos, non est inventus similis illi, qui conservaret legem Excelsi, ita nullus eorum post eum tanta gloria tantaque potentia potitus est in hoc seculo. Meritoque de illo dicitur: *Non recedet memoria eius, et nomen eius requiretur a generatione in generationem*[1]. Quia igitur occasio se talis praebuit ut, commemorantes, quanta religio sub antiquis principibus quantaque fuerit destructio eiusdem religionis sub modernis, per huiusmodi opposita, quibus quid sit melius declaratur, aliquos etiam incitaremus ad meliora; nemo, precor, haec indigna lectu et auditu decernat, sed potius attendens, si in tanta destructione reus existat, penitere et emendare studeat,

1. Eccli. 39, 13.

dum veniae tempus Domino praestante tenemus, ne forte, praeoccupati die mortis, quaeramus spacium poenitentiae et invenire non possimus. Sed de his satis dictum; revertamur ad incepti sermonis exordium.

Cum ergo Karlomanni praecepto sanctique Bonifacii consilio synodalis conventus haberetur, multi ibi non solum clerici quilibet heretica pravitate decepti ab aecclesiae communione expellebantur, sed etiam episcopi, qui pro aliqua capitalis criminis macula diffamati fuerant, deponebantur. Erroris autem totius, qui tunc in Germania excreverat, maximi fuerunt auctores duo heretici, quorum unus Clemens, alter vero Aldebertus dicebatur. De quibus postmodum, cum epistolas ad Zachariam papam missas proferre coeperimus, dicetur congruentius; in his enim omnis eorum mortifera heresis replicatur. Quidam etiam episcopus, nomine Gewiliob[1], Mogonciae civitati praelatus, tunc deponebatur. Cur autem depositus fuerit, hic subsequenter enarrabo. In illis namque temporibus Saxones devastabant Turingiam. Quam ob rem populi eiusdem provinciae, confugientes ad supradictum principem Karlomannum, quaerebant ab eo auxilium. Qui mox pro eorum ereptione exercitum misit, in quo simul Geroldus Mogonciacensis[a] tunc episcopus, pater praefati Gewiliobis, iussus perrexit. Cumque congressio facta fuisset bellantium et invicem semet ferientium, Geroldus episcopus interfectus ibi inter alios occubuit. Deinde filius eius Gewiliob, adhuc laicus in palatio constitutus, pro sedando patris dolore clericatus officio promovebatur et ad regendam aecclesiam Mogonciacensem post obitum patris subrogabatur. Post non multum vero temporis iterum Karlomannus, exercitu congregato, contra Saxones perrexit secumque eundem Gewilioben duxit. Considentibus autem utriusque populi exercitibus cis citraque ripam fluminis Wisaraha, praecepit Gewiliob puerum suum inter hostes pergere illicque nomen eius, qui patrem suum occiderat, diligenter inquirere. Cumque puero iussa explenti responderetur

a. Mogoncianensis *c*.

1. V. Passionem S. Bonifatii supra p. 471 sq.

a quodam, proxime illum adesse, quem quaereret, *Rogate* inquit *eum huc venire quantotius, quia secum sermocinari senior appetit meus.* Quo veniente et utrimque alterius adventu denunciato, mox praeparatis equis ab utroque itur; et in medio amne occurrentibus atque colloquentibus, Gewiliob episcopus, clam ferens gladium, ait:

Accipe iam ferrum, quo patrem vindico carum.
Haec igitur dicens, gladio mox perfodit illum.

Qui, statim corruens ex equo, in flumine exalavit spiritum. Cumque sui talia agnoscerent, ab omnibus clamabatur, utrimque consertis cuneis summopere dimicabatur. Superatisque Saxonibus, Karlomannus cum suis ad propria remeavit, nemine id, quod factum est a Gewiliobe, in homicidii crimen deputante. Unde et reversus solito episcopales sibi vendicavit usus. At sanctus praesul Bonifacius, inter caetera correctionis colloquia, haec pariter in conventu synodali protulit; attestans, nullum homicidii reatu pollutum debere episcopali sacerdocio fungi. Ad haec etiam ei obiecit, propriis se oculis perspexisse illum cum avibus canibusque iocantem, quod episcopo nallatenus liceret. Audiens autem haec Gewiliob sentiensque, se nullo modo contra stimulum vel secularis potentiae seu auctoritatis canonicae, quae mediante sancto Bonifacio in omnes coram positos deferebatur, calcitrare[a] posse, iudicio consensit communi depositusque est ab ordine episcopali. Quo deposito, statim sanctus Bonifacius a supradictis principibus, Karlomanno videlicet et Pippino fratrę eius, aecclesiae Mogonciacensi praeficitur. Et ut eius dignitas eminentior foret, decreverunt idem principes, aecclesiam Mogonciacensem, quae prius alteri subiecta erat, metropolim omnium in Germania positarum aecclesiarum efficere. Moxque, legatione facta, illud a praesule apostolico impetravere.

Tali ergo auctoritate suffultus, sanctus Bonifacius, coepit undique quasi novus archimandrita quae divina sunt plantare, diabolica vero extirpare, coenobia aecclesiasque aedificare, pastores cautissimos aecclesiis eisdem praeponere. Nam praeter

a. calcitare *c.*

multos, quos antea constituit episcopos, in quibus erant venerabiles viri Williboldus et Burghardus, quorum priorem in loco Eistat nuncupato episcopum, alium vero in urbe quae Wirciburg dicitur episcopum constituit, tunc quippe Gregorium ad Treth episcopali ordine consecratum direxit, Lullum etiam in Mogoncia ipse adhuc vivens sibi subrogavit episcopum.

Multa quidem et alia tunc ab eo gesta sunt in Germania, quae in epistolis tantummodo inveniuntur scripta. Unde libet inserere epistolas easdem, vel a sancto Bonifacio ad Zachariam papam, qui per idem tempus sedem apostolicam gubernabat, vel ab eodem Zacharia ad illum seu pro illo ad quoslibet Germaniae principes transmissas, quas undecunque colligere possumus. Nam illas, quas ad gentis suae populos id est Anglos transmisit, praetermittere volumus; ne legentibus aliquod tedium conferre videamur cum alienis, maxime cum nobis sufficiant nostra. Nostra autem dico, quae pro patribus nostris, Germanis scilicet, salvandis scripsit vel ab ullo scripta recepit. In quibus nimirum epistolis maxime potest agnosci: quantam curam et disciplinam, quantam paternitatem et pietatem habuerit circa omnes sanctae aecclesiae filios, quos ipse per ęuangelium genuit[1]; quodque iuxta apostolum omnibus omnia factus sit, ut omnes lucrifaceret[2]. Unde confidenter dico, quia, quicunque filiorum eius, Germanorum videlicet, agnito tanti patris labore vel ex scriptis vel vulgaribus dictis, non eum quantacunque praevalet veneratione amplectitur, in honore, quem parentibus exhibere iubemur, negligens invenitur. Quodsi negligentia peccatum est et peccatum omne punitur, negligentia ergo simul punienda creditur. Ad haec etiam, si iuxta apostolum patres carnis nostrae habuimus eruditores et reverebamur[3], nonne multo magis obtemperabimus patri spirituum? Pater namque spiritualis non solum Deus omnipotens dicitur, sed etiam omnes, quorum doctrina et exemplis ad agnitionem veritatis instruimur, ad stabilitatem religionis incitamur. Sicut et Abraham ob fidei obedientieque suae meritum, cunctis imitandum, pater omnium dictus est in Christo creden-

1. Cf. 1 Corinth. 4, 15. 2. Cf. 1 Corinth. 9, 22. 3. Hebr. 12, 9.

tium[1], haud aliter sanctus praesul Bonifacius omnium Germaniae incolarum pater dici potest pro eo, quod illos verbo praedicationis primitus Christo genuit, exemplis confirmavit, postremo animam quoque suam pro ipsis posuit, qua caritate nemo maiorem valet exhibere[2]. Quae cum sit bonorum omnium origo et finis, nos etiam in hac terminum ponamus libelli praesentis, quatinus, ad tempus cessante labore legendi, lector et auditor vires possint reparare.

EXPLICIT LIBER PRIMUS.

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

In precedenti quidem libello, prout ingenioli nostri parvitas permisit utque scriptorum antiquorum testificatio edocuit, de conversatione et peregrinatione nec non praedicatione sancti patris nostri Bonifacii diximus. Iam vero libet, ut donante Deo possumus, in hoc libello sequenti pandere, quantum post acceptum Mogonciacensis aecclesiae praesulatum pro sancta aecclesia laboraverit, contra hereticos vel falsos christianos certando, qualique exitu felicem passionis suae palmam compleverit. Sed illud superius cum epistolis tantummodo explanandum est; quia in his sufficienter et evidenter scriptum invenitur. Nec decet ut, praetermittentes ea quae satis prudenti apertaque ratione prolata sunt, alia quasi meliora componamus, cum huiusmodi vitium nec in ipsis secularibus literis, nedum in sacris, agi conveniat. His igitur praelibatis, nunc ad ipsas quas promisimus epistolas scribendas transeamus, ponentes in primis illam, quam et primo ad Zachariam papam direxit epistolam. Quae licet ante synodum supra scriptam directa fuerit, tamen, quia ad sequentium epistolarum relationem ex parte respicit, et sub unius papae tempore haec omnesque quae subsequentur scriptae sunt, nos quoque simul scribere decrevimus[a] ......

a. *sequuntur S. Bonifatii epp.* 42, 43, 58, 50, 67, 52, 51, 63, 66, 79, 80, 81, 82 *supra p.* 111, 116 *sequ.* (*In cod. Rebdorfensi, quo usus Canisius est, inter ep.* 66 *et* 69 *inerant etiam epp.* 48 *et* 49.)

1. V. Rom. 4, 11. 2. Cf. Ioh. 15, 13: „maiorem hac dilectionem nemo habet".

Huc usque cum epistolarum serie sufficiat intimasse, qualis labor quantave cura sancto Bonifacio fuerit circa omnes, quos ipse ad christianitatis cultum convertit. Si quem vero moveat, quod plurimae epistolae, quarum mentio fit in suprascriptis epistolis, hic pariter scriptae non habentur, sciat, illud hac de causa accidisse, quoniam nusquam eas potui invenire.

Deinde in primis dicere volo, quanta Karlomanni principis devotio fuerit circa Fuldense monasterium. Rationabile etenim videtur eandem devotionem intimare, non solum ad declaranda tanti viri beneficia, verum etiam ad profectum illorum, qui exemplis bonis aedificari merentur, pariterque ad confusionem eorum, qui, licet optima quaeque sciant videant audiant, in nequitia tamen solita perseverant, ore tantummodo Deum confitentes sed factis negantes, cordium aures ad secularis vitae amorem reserantes sed ad praecepta divina obdurantes. Princeps igitur praedictus, quamvis undique adiacentium provinciarum bello comprimeretur, non tamen ideo a procuratione sanctorum locorum servorumque Dei retrahebatur; credens utique, arma spiritualia, id est virtutes animae, multo fortiora esse quam corporalia, nullamque spem habens in multitudine exercitus absque spirituali virtute, iuxta illud: *Non salvatur rex per multam virtutem, et gigas non salvabitur in multitudine virtutis suae*[1]. Postquam ergo omnia christianae religionis iura, ut in praecedentibus libri huius scriptis agnosci potest, tam falsos christianos quam hereticos expellendo, iuxta sancti Bonifacii consilium correxit, illius etiam vota in monasterio Fuldensi noviter constructo implevit. Nam[2] cum abbas Sturmi ...... sigillo proprio firmare studuit.

Cum igitur haec atque his similia idem Karlomannus faciens in amore Dei et proximi magis ac magis proficeret, sed eandem dilectionem non ea qua voluit integritate in seculari habitu constitutus implere praevaleret, elegit optimam partem,

1. Ps. 32, 16. 2. „Nam cum abbas Sturmi — firmare studuit" desumpta sunt ex Eigilis vita Sturmi (cap. 12), Mon. Germ. SS. II 370.

quae non auferetur ab eo[1]. Nam reliquit ampla terrenae potestatis regna et, ad Cassinum montem in quo[a] tunc artissima monasticae vitae disciplina habebatur veniens, monachus ibi efficitur, Pippino fratri committens munia regni. Hic itaque, accepta paternae et fraternae potestatis monarchia, quae tunc maior domus dicebatur, eandem devotionem eandemque sollicitudinem, quam et frater eius, excoluit tam in divinis quam secularibus negociis, secutus per omnia sancti Bonifacii consilia. Qua de re contigit, ut, cum se Deo, qui deponit potentes de sede et exaltat humiles[2], submittere iugiter studeret, regalis potentiae excellentiam optineret. Tanta vero dignitate sublimatus, eodem modo quo et antea sanctum Bonifacium diligere simul et venerari studebat. Unde etiam traditionem fraternam suis litteris ei roborare curavit. Quarum litterarum exemplar hic inserere cupio, ut fideles quique inde instruantur, raptores vero iniqui videant et confundantur:

„Pippinus[3] rex Francorum, vir illustris, Bonifacio archiepiscopo et legato Germanico ab apostolica sede directo. Quia veneranda paternitas tua nostram excellentiam postulavit pro monasterio, quod a te noviter constructum est in solitudine Bochonia iuxta fluvium Fuldae, in loco, quem beatae memoriae Karlomannus germanus noster legitima donatione tibi concessit, ut, sicut ex auctoritate sancti Petri principis apostolorum, pro quo legatione fungeris, privilegio sedis apostolicae sublimatum[b] esse constat, ita etiam nostrae auctoritatis praecepto roboretur, placuit nobis petitionibus tuis assensum praebere. Et ideo hanc nostrae praeceptionis seriem ob honorem Dei et venerationem sancti Petri conscribi iussimus. Per quam privilegium sedis apostolicae, a beato Zacharia tibi collatum, cum consensu episcoporum caeterorumque fidelium nostrorum per omnia roboramus; praecipientes, ut nullus sacerdotum in regno nostro divinitus nobis concesso in praefato monasterio ditionem aliquam

a. qua *c.* b. sublimatus *c.*

1. Luc. 10, 42. 2. V. Luc. 1, 52. 3. V. praeceptum Pippini regis ap. Dronke Cod. diplom. Fuldensis p. 4.

sibi vendicet praeter sedem apostolicam, ita ut, nisi ab abbate monasterii fuerit invitatus, nec missarum sollemnia ibidem quisquam praesumat celebrare, sed iuxta id, quod subiectum constat apostolicae sedi, firmitate privilegii inconcusse roboratum permaneat. Locis etiam et rebus, quas tam moderno tempore tenet vel possidet, quam quas futuris temporibus iuri ipsius monasterii divina pietas augere voluerit ex donis et oblationibus decimisque fidelium, absque ullius personae contradictione, firmitate perpetua perfruatur. Si autem quispiam nostrae auctoritatis praecepto repugnare voluerit, sententiam apostolicae districtionis, quae in privilegio expressa est, experiatur; et tamen hoc, quod ob amorem Dei et venerationem sancti Petri auctoritate nostra firmavimus, stabile permaneat, manu nostra roboratum et tam anuli nostri impressione quam fidelium nostrorum astipulatione subnixum".

Eodem[1] tempore contigit, ut quidam clericus nomine Adalger, bonae conversationis vir, sancto Bonifacio adhereret eique fideliter ministraret. Post modicum vero temporis infirmitate gravi captus, cum se in extremis huius vitae positum sentiret, cum consilio viri Dei, quaecunque praedia ex hereditate paterna habuit, ad Sanctum Martinum tradidit. Sed eo defuncto, fratres eius Aspertus et Trutmunt omnia, quae tradidit in locis subter nominatis, id est ad Amanaburg ad Breitenbrunnon et Seleheim, in suam potestatem redigebant. Cumque pro hac causa a defensoribus episcopi admonerentur, responderunt, se velle cum iuramento affirmare, quod fratris praedia merito sibi vendicarent. Cui iuramento episcopus se affuturum promisit. Adveniente igitur die statuta et congregata multitudine copiosa propinquorum suorum, ut promissum iuramentum complerent, advenit etiam vir Dei pariter. Cum autem praedicti fratres iuramenti faciendi adiutores secum ad altare traxissent, dixit ad eos episcopus: *Vos soli iurate, si vultis; nolo, ut omnes hos congregatos perdatis.* At illi, nihil morantes, iuramentum fecerunt. Quo facto, episcopus dixit ad illos: *Iurastis?* Qui respondentes: *Iuravimus*

1. Cf. Passionem S. Bonifatii supra p. 476.

inquiunt. Tunc episcopus ait ad Aspertum: *Maior ursus te occidat.* Deinde ad Trutmundum dixit: *Nunquam ex semine tuo videas filium vel filiam.* Quod scilicet utrumque, ut a sancto episcopo praedictum est, eventus rei probavit. Nam post modicum temporis, Asperto ad mensam sedente, venerunt qui dicebant, ursum magnum discurrere per campum. At ille, equo celeriter ascenso et venabulo arrepto, coepit ursum persequi, antequam se praepararent comites sui. In quo itinere equo delapsus totusque per membrorum compagines confractus interiit. Cum autem servi eius ad illum properantes pervenissent, invenerunt eum iam mortuum. Trutmunt vero audiens, sancti viri prophetiam in fratrę suo esse completam, nimis expavit et mox praedia iniuste ablata ad altare sancti Martini reddidit.

Post haec igitur — cum sanctus praesul Bonifacius verbi divini semina, quae infra Germaniae Galliaeque confinia iecit, in cordibus credentium iam pullulasse et fructum facere cerneret, nec non, vicinam sibi corporis sui solutionem praenoscens, sitiret omni modo quando veniret et appareret ante faciem Dei — decrevit adire Fresonum populos, olim quidem eius doctrina ad christianae religionis culturam conversos, sed fallente diabolo iterum quosdam eorum ad pristinum gentilitatis errorem devolutos; ut aut eos Deo reconcilians ibi praesentem vitam tam fructuosa pace finiret, aut, si hoc Deo magis placeret, pro eius nomine, quaecunque ibidem adversa et cruciamina sibimet occurrerent, usque ad mortem sustineret. Sed priusquam tanti discriminis iter arriperet — sciens, non convenire, ut, pro alienis ovibus salvandis[a] laborans, proprias sibique commissas oves perire[b] permitteret — sanctum Lullum, qui fidelissimus praedicationis et laboris sui comes extitit cuiusque probitatem omni dignitate condignam satis agnovit, cum consensu venerandi regis Pippini nec non episcoporum et abbatum atque canonicorum omniumque procerum, ad suam diocesim pertinentium, pro se episcopum elegit et ordinavit. Nam ab apostolico praesule iam

a. sanandis *c.* b. perire *om. c.*

antea eundem pro se ordinandum impetravit. Quo facto, mox illum manu propria apprehendens commendavit cunctis principibus ibidem congregatis, ut ipsi tamquam patri obedirent et adiutores ei in omnibus necessitatibus existerent.

Deinde profectus ad eos, qui in Turingia et qui circa Renum habitabant, eadem faciebat. Novissime vero ipsum sanctum Lullum ammonens dixit: *Quoniam resolutionis meae tempus appropinquat, voluntas mea est, proficisci ubicunque gratia divina me dirigere voluerit. Sed tu, fili karissime* ....

Huiusmodi igitur strage finita, qui supererant, iterum de 755 Iun. 5
pecuniarum opinione gaudentes concurrebant et, confractis librorum repositoriis, pro auro volumina, pro argento divinae doctrinae kartas reperiebant. Unde solita dementia arrepti, eosdem libros, quos invenerunt, alios quidem per campi planiciem, alios vero per palustria loca disperserunt, quosdam autem in quibuslibet locis incongruis proicientes absconderunt. Verumtamen omnipotentis Dei gratia, ut claresceret, quanti esset meriti cuius iidem fuerant libri, postea, magno temporis spacio transacto, reperti sunt intemerati et ad aecclesias, in quibus usque hodie haberi possunt, a singulis inventoribus reportati.

Inter eosdem vero libros repertus est sancti ęuangelii liber, quem beatus vir pro sanctitate sua secum iugiter deferre solebat. Hic ergo, quamvis gladio acuto, ut adhuc ab inspicientibus probari valet, per medium incisus fuerit, nullius tamen literae integritatem eadem incisione perdidit. Quem, ut ferunt, sanctus Bonifacius in illa hora, qua ad caput eius abscidendum vibrabatur gladius, habens in manibus vel pro tutela capitis, ut multi solent, seu etiam pro clypeo spirituali, quem in libro tali esse credidit, percussori opposuit. In quo nimirum signo et miranda virtus Dei et veneranda sanctitas beati Bonifacii potest agnosci. Mirabilius namque videtur, quod nulla incisi libri litera delebatur, quam si nullum incisionis stigma per ferientem gladium in libro reperiretur.

Postquam igitur carnifices, qui remanserant, nulla estimatae pecuniae indicia invenerant, satis contristati ....

755 Corpus vero sancti Bonifacii .... perductum est ad civitatem Mogonciam ....

Suscepto igitur thesauri tanti pignore, fuerunt[1] plurimi in urbe Mogonciacensi, qui censebant, illic sepeliendum esse sancti viri corpus, ubi erat episcopus; affirmantes, huiusmodi ius omnium esse aecclesiarum, ut, quo quis sedem episcopalem habuerit, illic quoque sepeliendus sit. In tantum autem quorundam illud affirmantium praevaluit certamen, ut pene eorum consilio sanctus Lullus consentiret, nisi cuidam venerabili diacono, qui dicebatur Otpertus, apparuisset sanctus Bonifacius in visione dicens: *Dic episcopo Lullo, ut corpus meum absque omni ambiguitate ad monasterii mei locum transferat.* Cumque hanc visionem multi audientes minime crederent, praesul Lullus, allatis sanctorum reliquiis, iussit Otpertum probare iurando, si vera esset eius visio. At ille, nil dubitans, iussa implevit, visionem iurando probavit. Quod cum factum fuisset, omnes non solum ea, quae prius renuerunt de sancti corporis translatione, fieri consenserunt, sed etiam adiutores esse coeperant in his, quae huiusmodi cura poscebat. Quidam namque ad afferendas naves, ut celeriter trans Renum proficisci possent, properabant; quidam vero letaniam, psalmodiam aliaque divinae laudis cantica, sanctum funus sequentes, dicebant. Cumque turba una, longius procedens ultraque procedere non valens, rediret, alia nihilominus turba de regione vicina accessit, gaudens illius sancto obambulare corpori, quem credidit et speravit sibimet apud Dominum suffragari. Quae ibi laeticia et compunctio de tanti viri patrocinio plurimis fuerit exorta, hoc nequeunt nostra digne depromere scripta. Unde etiam in quibusdam locis, ubi cum sancto corpore pernoctabant vel meridiabant, in eius honorem aecclesias postea construebant. Tali itaque gaudio perductus est monasterii Fuldensis loco, quo ipse sepeliri sepius optavit sepiusque id beato praesuli Lullo implendum commendavit. Qui, et peticionem eius complere summopere nisus, cum veneratione debita terrae quod

1. Cf. Passionem S. Bonifatii supra p. 479. 480.

suum erat reddidit, animam vero caelestibus gaudiis sociandam 755
omnimodis precibus commendare curavit.

In cuius venerandae tumbae loco per eius merita multis, 1062-1066
quos fides congrua ad obtinenda ea quae deposcunt incitat, plurima eveniunt beneficia tam interioris quam exterioris hominis. Interioris quidem, cum delictorum suorum veniam obtinuerint; exterioris vero, cum infirmitatem vel debilitatem aliquam corporalem evaserint. Quae videlicet utraque beneficia quotiescunque ibi non impetrantur, non imputandum est vel divinae inclementiae seu invalido apud Deum sancti Bonifacii patrocinio, sed potius his, qui, infidelitate capti, non merentur exaudiri; attestante euangelista, qui de Domino nostro dicit: *Quia non potuit ullas virtutes facere propter incredulitatem quorundam*[1]. Cessant etiam interdum miracula tam pro servitutis divinae negligentia quam pro incorrigibili inhabitantium malicia; cessant et idcirco, quia, cum aliquando per intercessionem sanctorum eveniunt, non solum laudes vel grates debitae Deo sanctisque eius minime referuntur sed nec memoriae commendantur.

Habuit autem sanctus Bonifacius in episcopatu annos 36,
menses 6 et dies 6. Passus vero est una cum sociis suis Nonas 755
Iunii, anno scilicet peregrinationis suae quadragesimo, sed in- Iun. 5
carnationis Domini septingentesimo quinquagesimo quinto, regnante eodem domino nostro, cui laus et gloria per omnia secula seculorum. Amen.

O vos, qui nostis, quid perferat ille laboris,
Qui se scribendo castigat tempore crebro,
Assiduis precibus memores sitis, precor, eius,
Qui promptus librum conscripsit et edidit istum.
Tu quoque sancte Dei memor esto sui, Bonifaci,
Ob cuius laudem librum conscripsit eundem,
Ut regno Christi per te valeat sociari.

1. Matth. 13, 58.

EX

PRESBYTERI TRAIECTENSIS VITA S. BONIFATII.

755 .... Peregit igitur sanctus Dei Bonifacius cursum suum
Iun. 5 stans et orans tyrannoque iugulos ad decollandum praebens quarto post Kalendas Iunii mensis die. Unde et illud tetrasticon scriptum habetur et in depositionis eius solemniis in ecclesia cantatur:

Iuniis[a] in Nonis festum venerabile nobis
Advenit, exultant fratres cum civibus in quo,
Tunc quia caelorum meruit Bonifacius alta
Scandere, perpetuam mercatus sanguine vitam.

Mihi autem in eadem regione sciscitanti de eo, si quid scribere possem, relatum est: adhuc superstitem esse quamdam mulierem sed iam valde decrepitam, quae iureiurando asserebat, se decollationi militis Christi fuisse praesentem. Dicebatque, quod, cum gladio feriendus esset, sacrum euangelii codicem capiti suo imposuerit, ut sub eo ictum percussoris reciperet eiusque praesidium haberet in morte, cuius lectionem dilexerat in vita. Perempti sunt autem et discipuli eius cum eo in loco qui Dockinga[1] dicitur; ubi postea in honorem tanti martyris constructa est basilica nobilis, iuxta quam fons aquae dulcis emanat, cum alibi per totam regionem illam salsae et amarae sint aquae. Et ferunt, hunc fontem a Bonifacio inventum et sanctificatum esse, ideoque tanta dulcedine insignitum et potationi cunctorum satis accommodum.

Itaque venerandum eius corpus primum Traiecto perlatum est. Postea ad Fuldense monasterium translatum est, quod quidem ipse a fundamento construxerat et in quo pastor inclitus honestissimum verae innocentiae gregem adunatum Christo devoverat. In quatuor ergo felicissimis locis, id est Dockinga, Traiecto, in Moguntia urbe, in Fuldensi coenobio, beati martyris praesentia visibilibus crebro sentitur indiciis, in quibus per intercessiones eius plurimae sanitates a Domino aliaque praestantur beneficia usque in hodiernum diem ....

1. Dokkum. a. Iunius *ed.*

LIUTOLFUS DE SANCTO SEVERO.

De sancti Severi episcopi Ravennatis vita eiusque ossibus Moguntiam et Erfordiam transpositis libellum non prorsus inutilem posteriore saeculi IX dimidio, ac post annum 858[1] *quidem, ad Erlarium*[2] *diaconum Moguntinum*[3] *misit Liutolfus presbyter, quem item Moguntinae ecclesiae fuisse maxime verisimile est*[4]. *Huius opusculi prior editio ex duobus codicibus Ultraiectensi et Budicensi comparata est a Iohanne Bollando anno 1658 in Act. SS. Febr. T. I 88—91 repetitaque in eodem opere iterato Parisiis anno 1863. Codicem vero Caesareae bibliothecae Vindobonensis 576 (Hist. eccl. 145) membranaceum forma quadrata saec. X vel XI (fol. 40—54) in meae editionis gratiam diligentissime consuluit Willelmus Scherer.*

Berolini 2 Nonas Ianuarias 1866.

Venerando fratri atque ulnis non fictae caritatis amplectendo[a] Erlario diacono Liutolfus presbiter indignus. Si tibi scripsero, carissime[b], quod ad aliquam pertinet utilitatem, forsitan gratanter accipies. Neque enim ingratus fore poteris, cum te ab aliquo errore correctum videris; si tamen dictis meis fidem accommodare volueris. Igitur, quae in Italia positus didici, tibi legenda destinavi; obnixe postulans, ut ea legendo[c] corrigas, et

a. amplaectendo *c.* b. *om. c.* c. relegendo *ed.*

1. V. libelli exitum. 2. qui anno 858 reliquias S. Innocentiae Erfordiam transferri vidit. V. ibidem: „sicut ipse vidisti". 3. ut apparet ex libelli verbis his: „Igitur quando in ecclesiam sancti Albani orare ire volueris". 4. V. infra p. 508: „in istam — translata sunt parrochiam".

recitata retransmittas. Tibi etenim soli meas nugas ostendere praesumo, quoniam mea rustica[a], quasi aliorum diserta, legere non spernis. Vale itaque[b], faciens uti postulo; et me tibi fidissimum in omnibus noveris amicum.

Quodam tempore cum, in secretiore loco positus, plurima de exitu animarum et de diversa retributione earundem pro qualitate meritorum in dialogis sancti Gregorii aliorumque visionibus legissem[c], timore iudicii et formidine poenarum perterritus, delicta iuventutis meae, quae humana fragilitate contraxi, non sine lacrimis ad memoriam revocavi. Sed cum mente confusus angustiaque vallatus cogitassem, qualiter illa, quibus Deum offenderam, abolere[d] potuissem[e], occurrit animo: ut apostolorum limina aliorumque sanctorum visitarem et eorum intercessionibus funes peccatorum meorum summo studio disrumpere procurarem. *Velamen* etenim[f] iuxta sententiam beati Iob *non habentes amplexantur lapides*[1]. Accepta igitur licentia, iter laboriosum arripui; et, variis incommoditatibus maximeque[g] imbrium inundationibus nimiis[h] praepeditus, vix decima ebdomada Romam perveni. Ibique per octo dies positus, modo solus modo cum aliis comitibus coram apostolorum memoria humiliter prostratus, Dominum totis postulavi praecordiis: ut gratuita gratia sua, et sanctorum precibus exoratus, mihi de praeteritis criminibus veniam dare, de praesentibus continentiam largiri, nec non de futuris sub illius tuicione inmunem fine tenus me conservare dignaretur. Sed his paucis necessario praelibatis, iam ad racionem[i] veniendum est, quam tibi adiuvante Domino explicare disposui.

Aput Ravennam Italiae urbem positus, diligenter investigare studui de vita sanctorum, Severi videlicet Vincentiae atque Innocentiae; quorum corpora, inde sublata, in istam versis nominibus translata sunt parrochiam; de quorum translacione,

a. rusticana *ed.* b. dilectissime *ed. pro* itaque. c. legerem *ed.* d. aboleri *c.* e. potuissent *corr. in* potuissem *c.* f. enim *ed.* g. maxime *ed.* h. *om. ed.* i. narrationem *ed.*

1. Iob 24, 8.

Christo propitio, alias[1] disputabo. Cumque nihil inde certi a quoquam percipere potuissem, non modicum, fateor, contristatus sum. Sed Deus, merentium consolator, consolatus est me per quendam monachum, qui de monasterio eorundem sanctorum in civitatem abierat — distat enim hoc monasterium haud procul[a] ab urbe Ravennna — quosdam amicos suos visitandi gratia. Quem ego, de civitate ad monasterium revertentem, conspiciens conveni; atque inter caetera collocutionis nostrae verba aliquid mihi de vita sanctorum, si quid nosset, referre postulavi. At ille: *Crastina* inquid *die veni ad monasterium nostrum, et ibi super hac re voti compos efficieris. Ego enim demonstrabo tibi virum, qui viva voce indicare poterit, quod quaeris.* Erat namque de Galliae partibus, Latino eloquio exprimere non valens, quod volui. Idem quoque retulit, se bis numero ab hostibus captum, una quidem vice a Danis in Gallia, altera vero in eodem monasterio ab Agarenis conprehensum; sed per Dei gratiam ab utrisque liberatum.

Sequenti itaque die illius pollicitationem, utrum vera esset nec ne, explorare volens meoque desiderio satisfacere cupiens, perrexi ad monasterium, non paucos habens itineris sotios. Fratres autem illius loci nos benigne suscipientes usque[b] in praesentiam abbatis sui[b] perduxerunt. A quo etiam caritative suscepti, omnes in monasterio una cum illo consedimus, consedentibus quoque nobiscum[c] numerosis eiusdem loci monachis. Deinde requisitus, unde essem vel ob quid illo venissem, utrumque coram omnibus exposui. Tunc unus ex monachis, qui nobiscum residebant, innuente sibi abbate, hanc mihi Latino sermone reddidit racionem[d]:

Severus[e] inquiens[f], *cuius tu*[f] *vitam scire desideras*[g], *non fuit martir, sed confessor. Denique*[h], *longo tempore in laicali habitu constitutus, vitam pauperem in hac*[i] *urbe Ravenna secundum*

a. haud procul *om. ed.* b. *om. ed.* c. quoque nobiscum *om. c.* d. ita incipiens *add. ed.* e. *in margine cod. addita sunt:* Incipit vita S. Seueri. I. f. inquiens *et* tu *lineis subductis corrector deleri voluit;* inquiens *om. ed.* g. *corr. in* desideratis *cod.* h. Hic nempe *ed.* i. *sub* hac *linea posita est in cod.*

1. V. infra.

saeculum gerebat. Hic[a] *quandam feminam in matrimonium sortitus est*[b] *nomine Vincentiam, de qua genuit filiam vocabulo Innocentiam. Cum quibus opera muliebria, victum quaeritans*[c]*, operabatur; nam lanam nere more feminarum atque texere solebat; unde vulgo lanarius vocabatur. Qualis autem meriti idem vir fuerit aput internum iudicem, etiam hominibus idem arbiter innotescere curavit, sicut in sequentibus demonstrabitur. Nam cum praesul memoratae civitatis obiisset, iussus est populus a principe civitatis triduanum agere ieiunium, ut Deus per aliquod signum ostenderet, quis in locum defuncti succedere debuisset. Dum haec geruntur, dixit Severus Vincentiae coniugi suae: „Vadam ad aecclesiam videre, quis hodie eligatur episcopus“. Cui illa cum indignatione respondit: „Quid tu, pannis obsitus, inter nobiles et purpuratos viros quaeris? vel quid pertinet ad te magnatorum super episcopi electione consilium? Utilius tibi est, ut more solito alicui servias, unde mihi et filiae tuae victui necessaria ministrare valeas“. Ad haec ille: „Quid“ inquit „nocet, si vadam?“ At illa ait*[d]*: „Utinam, illuc veniens, colaphizatus recedas“. Ille autem, verba uxoris floccipendens, ad aecclesiam properavit et ingressus pene iuxta principem constitit. Orante autem populo, ecce subito columba quaedam, desuper volitans, super caput ipsius, cunctis cernentibus, consedit. Quod quidam pro signo accipientes eum sacerdotio dignum iudicabant; alii vero, indigne ferentes, quod tam vilibus vestimentis indutus inter primos civitatis stare praesumpsisset, eum inhoneste, sicut ei uxor evenire optaverat, de aecclesia exire compulerunt. Altera autem die, in aecclesia latitare volens, etiam per columbam proditus, sollicitabat corda intuentium. Tertia vero die cum in aecclesia positi aliquod signum a Deo praestolarentur, ille, qui non in facie sed in corde videt et iudicat, quasi duriciam illorum increpans, eum, sicut prius, per columbam sacerdotio dignum palam omnibus demonstravit. Tunc omnes una voce dixerunt: „Quem possumus eligere, nisi quem Dominus ecce iam tercio elegit?“ Et apprehendentes eum de turba in eminen-*

a. Hic *om. ed.* b. est *om. ed.* c. quaesitans *cod.* d. et *ed.*

tiorem locum reluctantem pertrahunt ac, mutato habitu, clericum fecerunt, deinde iuxta morem aecclesiasticum episcopum consecrarunt. Currens autem quidam de astantibus[a] *nunciavit Vincentiae, quod maritus eius*[b] *esset episcopus. At illa subridens haec nuncianti non credidit, sed irridendo subiunxit dicens: „Scio, quia Severus, grammatica caeterisque artibus imbutus, bene potest esse episcopus; nam pater monasteriorum longo tempore extitit plurimorum; idcirco exempla conversationis illius caeteri debent imitari". Ille vero, qui nuntiaverat, verum se dixisse affirmavit. At illa: „Qui hactenus" inquit „per plateas incedendo, fila de colo tendere atque in fusum colligere solebat, in cathedra episcopali non inmerito sedere perhibetur". Dum haec loqueretur, alter et tertius venerunt, priori nuntio similia refferentes. Tum*[c] *illa, admiratione ducta, surrexit atque una cum filia ad aecclesiam cucurrit; vidensque vera, quae audierat, Deo gratias egit. Statimque utraque illarum sacro velamine cooperta, una quidem in viduitatis, altera vero in virginitatis proposito pie vivendo perdurarunt. Sanctus vero Severus, cottidie in Dei servitio proficiens et miraculis coruscans, magnum populo de se praebuit spectaculum. Nam omnes illius temporis in sua vicinitate viros vitae sanctitate et doctrinarum studio sanctarum superabat; tantamque illi Dominus gratiam contulit, ut omnibus, qui eum nosse potuerunt, amori fuerit et honori. Nec mirandum, quod homo plebeius et idiota subito magister et doctor aecclesiae fieri potuit; nam dominus noster Iesus Christus non rethores non philosophos, sed piscatores elegit et per universum mundum praedicare destinavit. Nulla quippe in discendo mora est, ubi Spiritus sanctus doctor adest et, in quocumque habitare dignatur, ardentem pariter et loquentem facit. Contigit autem, iam praefatas mulieres viam ingredi universae carnis; quas ille in sepulchro, quod sibi paraverat, sepelire*[d] *praecepit. Succedente etiam*[e] *tempore, cum vir Domini iam senio fessus diem ultimum sibi imminere conspiceret, sacerdotalibus vestimentis indutus missam nonnullis astantibus celebravit. Qua*

a. assistentibus *ed.* b. illius *ed.* c. Tunc *ed.* d. sepeliri *ed.* e. autem *ed.*

completa, unumquemque in sua redire iussit[a], *excepto uno scolastico, qui eius nutu omnes aecclesiae ianuas clausit. Deinde accedente beato viro ad locum, ubi sanctae mulieres conditae fuerant, statim tumulus ille ultro apertus est. Tunc ille: „Soror“ inquit „et filia, hoc sepulcrum mihi praeparavi vobisque indigentibus utendum praestiti; sed quia modo ad factorem meum, illo vocante, proficiscar, date mihi locum vobiscum dormiendi; ut, qui in*[b] *saeculo communiter viximus, etiam communi sepulchro*[c] *utamur“. Quibus ilico locum dantibus, vivus tumulum, ceu sanctus Iohannes fecisse legitur, introivit atque, signaculo sanctae crucis se muniens, obdormivit. Puer autem, qui intus erat in aecclesia, videns, beatum virum ingredi sepulchrum lapidemque superiorem in locum pristinum quasi ab hominibus volvi, cum clamore valido cucurrit, et apprehendens quandam particulam de casula*[d] *illius, quae casu de sarcofago foras pependit, ad se trahere nitebatur. At hii, qui pro foribus erant, obstupefacti irruerunt per ostia, sciscitantes puerum, cur ita clamasset. Quibus ait puer: „Dominus meus episcopus hoc sepulchrum ingressus est; adiuvate quamtotius, ne intus suffocetur“. Viri autem illi maturioris aetatis, causam Dei voluntate peractam intellegentes et eius animam iam ad caelestia migrasse cognoscentes, in ymnis et laudibus benedixerunt Dominum, condignum confessori illius obsequium praebentes.*

Quanta vero ibi postea per merita sancti confessoris largiente Domino in[e] infirmorum sanitate[f] facta sint miracula, tibi longum est explicare. Post haec interrogavi de festivitatibus sanctorum, in quotis[g] essent celebrandae Kalendis. *Sancti Severi* inquit *festivitas in Kalendis Februarii celebratur; sanctarum vero feminarum, quoniam propter infestationem paganorum lapsa est de memoria, idcirco una cum illius solemnitate in supradictis colitur Kalendis.* His auditis, Croesi opes habere me putabam. Deinde non modicam illorum fratrum experti sumus

a. praecepit *ed.* b. hoc *add. ed.* c. sepulchra *corr. in* sepulchro *cod.*; sepultura *ed.* d. casulae *ed. pro* de casula. e. in *om. ed.* f. sanitatum *ed.* g. quibus *ed.*

humanitatem; nam, et[a] pane et vino refecti, iter nostrum laeti peregimus.

Haec, frater karissime, de vita et obitu sanctorum, sicut ab ipso monacho in praesentia plurimorum audivi, litteris tradidi tuoque nomini dedicavi; ob hoc maxime, ut te super nominibus et festivitate sanctorum certum redderem et cum haec nescientibus errare non sinerem. Si autem[b], adhuc de istis haesitans, mihi non credideris, vade in Italiam et quaere locum memoratum inter Ravennam et monasterium sancti Apollinaris; et[c] ibi procul dubio huius narrationis tot testes inveneris[d] quot monachos. Quodsi etiam idem monachus in huiuscemodi narratione me, quod absit, fefellit, mendatii sui poenas absque dubio luiturus est, illo cogente, qui nullum peccatum impunitum dimittet[e]. Ego vero scio, me nulla nisi ab illo audita scripsisse.

Igitur quando in aecclesiam sancti Albani orare[f] ire volueris, ad australem plagam eiusdem ecclesiae veniens, ibi ossa sanctae mulieris Vincentiae, non viri[g], condita scias; et de eadem aecclesia sanctum Severum in Thuringiam, sanctamque Innocentiam ex parte ad Altum[h] monasterium, non[i] Paraciaten[k], translatam noveris. Quorum meritis et intercessionibus nobis[l] Omnipotens concedere dignetur, ut hic taliter conversemur, qualiter in tremendi examinis die a iustissimo iudice cum his, qui a dextris eius[m] statuendi sunt, remunerari mereamur.

In[n] priore libello, carissime[o] mi Erlari, me scripturum esse pollicitus sum[1] de translatione sanctorum, quorum ibi mentio facta est. Quod nunc, donante et adiuvante illo, qui dat omnibus affluenter et non improperat[2], quantum potero, adimplere non differam.

Fuit quidam clericus de Galliae partibus, nomine Felix[3];

a. et *om. ed.* b. *om. c.* c. *om. ed.* d. invenies *ed.* e. dimittit *ed.* f. oratum *ed.* g. non viri *om. ed.* h. alterum *ed.* i. nomine *ed.* k. Paraciatense *ed.* l. *om. c.* m. *om. c.* n. *in cod. praemissa haec sunt:* Incipit translacio sancti Severi confessoris; quod est 11 Kal. Novembris. Liber II. o. *om. c.*

1. supra p. 508. 2. Iacob. 1, 5. 3. de quo cf. Dümmler Gesch. des ostfränk. Reichs I 858 n. 39.

utrum factis nec ne, non est meum iudicare. Quem, dum puer essem, me vidisse memini. Huic erat consuetudo, per diversas vagari provincias et sanctorum reliquias, ubicumque potuit, furari questus causa. Hic ad praedictum monasterium, quod inter urbem Ravennam et Sanctum Apollinarem situm esse diximus, cum quibusdam sociis venit. Ibique religionis gratia[a] quasi peregrinus susceptus est; tantamque illorum fratrum expertus est humanitatem, ut cottidiana inibi[b], quasi unus ex ipsis, acciperet stipendia. Qui etiam, ne illi fratres aliquid de eo suspicarentur sinistrum, sacramento firmavit, se numquam de eodem monasterio discessurum[c]. Cumque[d] tam familiariter eo loci aliquamdiu conversari coepisset[d], iunxit se custodi aecclesiae, eique sedulum exhibebat obsequium.

Tempus autem oportunum ad id propter quod venerat nactus, ossa praedictorum furatus est sanctorum, et cum suis complicibus fugam iniit. Quod cum fratres comperissent, miserunt nuntios ad optimates Italiae, ut omnes exitus viarum de Italia praeoccuparent, ne[e] ullatenus[f] inde labi potuisset. At ille, cum loca sibi effugiendi denegata cognovisset, per devia noctu incedens Ticinum venit, ibique aliquanto latuit tempore.

836 Interea Hludowicus[g] imperator Otgarium Mogontiensem archiepiscopum et Hilti[h] Viridunensem[i][1] antistitem duosque comites, quorum alter Warinus alter Adalgisus vocabatur, ad Hlutharium[k][2] filium suum, qui eo tempore Ticini morabatur, destinavit[3] pro pace et amicitiis inter eos renovandis[l], quae pravorum hominum machinatione ex aliqua parte erant turbatae.

Quo cum pervenissent, praedictus Felix cum sanctorum reliquiis, quas furatus fuerat, ad hospicium Otgarii se contulit et, qualiter fecisset, indicavit. Quas Otgarius cum gaudio suscipiens suis abscondit in scriniis et, ne alicui ad illas[m] patesceret

a. religionis gratia *om. c.* b. *om. c.* c. recessurum *ed.* d. Postea *c. pro* Cumque — coepisset. e. aut ne *ed.* f. *om. c.* g. Ludowicus *ed.* h. Hildi *ed.* i. Wirdunensem *ed.* k. Lotharium *ed.* l. reparandis *ed.* m. illa *c.*

1. Virdunensem episcopum, 824—847. 2. imperatorem. 3. post 25 Dec. 835. V. Prudentii Trecensis annales 836, Mon. Germ. SS. I 429. Cf. Dümmler Gesch. des ostfränk. Reichs I 112 n. 3.

aditus, proprio eas[a] signavit sigillo. Mane autem facto, Hilti 836 et praedicti comites ad mansionem Otgarii convenerunt, quatinus invicem conferrent, qualiter legationem sibi iniunctam concorditer peragerent. Cumque introissent cellulam[b], ubi sanctae in scriniis[c] servabantur reliquiae, horror et timor nimius irruit super eos, ita ut tremore agitati vix residerent. Quos Otgarius pallentes et trepidantes videns interrogavit, quae causa esset tanti timoris. At illi: *Forsitan* inquiunt *in hac legatione finem huius vitae sumus habituri; nam nec contra hostes in bello positos talis tantusque timor nos umquam invasit. Nolite* inquit Otgarius *timere; nullas enim in hoc itinere, Deo nos protegente, patiemur angustias. Sed si vultis gratanter accipere, ego dicam vobis causam huius timoris. Hesterna quippe die allatae sunt mihi sanctorum reliquiae, quas penes me in istis habeo scriniis; quibus quoniam huc ingredientes condignum non prebuistis honorem, merito incidistis in timorem.* At illi haec audientes genua flectunt et, sibi prospera evenire per suffragia sanctorum, postulabant. Quod et factum est. Nam sequenti die a Hluothario[d] honorifice suscepti sunt; et legatione peracta, voti compotes redierunt ad imperatorem, qui miserat eos. Praedictus autem Felix cum sociis suis[e], acceptis ab Otgario equis et aliis muneribus[f], inter homines illius latitans[g], de Italia egressus est[h] et sic[i] Italorum praeparatas devitavit[k] insidias.

Otgarius vero, peracta legatione[l], de palatio imperatoris Mogontiacum veniens, sanctorum[m] reliquias cum summa veneratione suscipi a clero et populo praecepit. Quo facto[m], ossa sancti Severi iuxta altare sancti Albani in loculo posuit, et sanctae Vincentiae ad australem plagam, sanctaeque Innocentiae ad septentrionalem plagam[n] eiusdem aecclesiae, ut in priore libello praefati sumus, honestissimis[o] in locis iuxta singula altaria collocavit, constructis desuper lectulis, quos vestivit auro et argento; sicut usque huc cernentibus liquet.

a. ea *c.* b. cellam *ed.* c. in scriniis *om. c.* d. Lothario *ed.* e. cum sociis suis *om. c.* f. et aliis muneribus *om. c.* g. latitantes *ed.* h. egressi sunt *ed.* i. sic *om. ed.* k. devitaverunt *ed.* l. peracta legatione *om. c.* m. sanctorum — facto *om. c.* n. *om. ed.* o. honestissimis — altaria *om. c.*

836 Evoluto autem aliquanto tempore, idem[a] venerandus archipraesul Otgarius, volens sanctas illas reliquias ad[b] maiorem sacri cultus venerationem perlucere, ossa sancti Severi transtulit in Thuringiam ad locum regalem, qui vocatur Erphesfurt, comitantibus presbiteris et clericis diversi ordinis turbaque populi non modica. Sed antequam sacratissimi[c] cineres illuc pervenirent, in[d] itinere multis[e], Deo operante, miraculis claruerunt; quorum pauca de pluribus hic non piget inserere. Nam — sicut illi retulerunt, qui eidem translationi se interfuisse testati sunt — sorores quattuor de Thuringia cum caetera multitudine obviam sanctis venerunt reliquiis; quarum unam, quae maior natu erat, spiritus malignus invasit et coram omnibus qui aderant graviter vexavit. Erat autem in eodem itinere presbiter quidam nomine Reginharius, postea chorepiscopus[f] — quem tu quoque saepissime vidisti — cui Dominus tantam gratiam in eiciendis daemoniis contulit, ut nullus ei daemon resistere auderet, quin statim ad nutum eius ab homine invaso[g] exiret. Solebat enim dicere, quando ad hominem daemone[h] possessum accessit[i]: *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Is cum libellum exorcismi super demoniacam legere cepisset, spiritus nequam per os mulieris dixit: *En eicis me hinc per verbum Domini et merita sui confessoris; sed antequam ad Erphesfurt pervenias, invenies me non semel neque bis tibi adversantem.* Quibus dictis, vas possessum derelinquens, sororem illius ingressus est et simili modo vexavit. Inde per divinam gratiam expulsus, tertiam arripuit et non minus caeteris insanire compulit. Qua etiam per Domini clementiam et[k] sancti confessoris sui merita sanata, quartam id est ultimam earundem sororum invasit et supra modum miserabiliter cruciavit. Tunc praedicto praesbitero libellum exorcismi legente, apostata spiritus dixit, audiente omni[l] populo, qui[m] aderat: *Vae nobis miseris, qui hanc regionem, diutissime a nobis pos-*

a. idem — illas *om. c.* b. ad — ossa *om. c.* c. sacratissimi cineres *om. c.* d. *om. c.* e. multis — operante *om. c.* f. vero episcopus *ed. pro* chorepiscopus. g. *om. c.* h. a daemone *ed.* i. accessisset *ed.* k. et — merita *om. c.* l. *om. c.* m. qui aderat *om. c.*

sessam, deserere modo debemus propter adventum sancti Severi; 836
non enim deinceps talem in ista regione habebimus potestatem, sicuti hactenus habuimus. Et haec dicens discessit[a]. Mulier vero, a daemonis infestatione liberata, feretrum sancti confessoris usque ad Erphesfurt, Deo gratias agens, secuta est.

Ossa autem eiusdem sancti in aecclesiam, in honorem sancti Pauli apostoli dedicatam, translata sunt[1]. Ubi dum adhuc in Oct. 22
loculo, sicut allata erant, inhumata iacerent, tanta signorum et prodigiorum multitudo claruit, tanta virtutum vis in omni genere sanitatum per divinam gratiam enituit, ut a nullo mortalium eorundem miraculorum aut numerus comprehendi aut varietas valeat enarrari.

Defuncto autem Otgario et successore illius Rábano, Karo- 856
lus, Pippini[2] regis filius, eiusdem episcopatus honore sublimatus est[b]. Qui, annuens praecibus sanctimonialium in Alto monasterio
consistentium, partem quandam de reliquiis sanctae Innocentiae 858
ad praedictum coenobium, sicut ipse vidisti, transtulit[3]. Ubi non paucas virtutes per eiusdem[c] sanctae virginis merita Dominus facere dignatus est, quas si scire volueris, ab illis[d] sanctimonialibus discere poteris.

En habes, frater karissime, meam pollicitationem, non ut volui sed prout[e] potui, effectui mancipatam. Quaeso igitur te, ut illum depreceris pro me, qui suo simplo nostro duplo subvenit, quatinus gratuita gratia sua et eorundem sanctorum praecibus exoratus, saltim in die iudicii cum electis suis aliquam partem habere me faciat; quoniam melius mihi erat non nasci, quam in aeternum ab eis separari[f].

a. abscessit *ed.* b. sublimatur *ed.* c. eas *cod. pro* eiusdem — merita. d. his *ed.* e. ut *ed.* f. *sequuntur in cod. haec:* Explicit obitus et memoria sancti Severi et sanctae Vincentiae atque Innocentiae.

1. die 22 Oct. V. supra p. 513 n. n. Cf. Lamberti Annales (Mon. Germ. SS. III 45) 836: „Otgarius ossa sancti Severi episcopi sibi delata transtulit in Erphesfurt, Thuringiae civitatem, et in Alto monasterio reposuit 11 Kal. Novembris". 2. I regis Aquitaniae. 3. anno 858. Lamberti annales (l. l. p. 49) 858: „Karolus archiepiscopus quandam partem de reliquiis sanctae Innocentiae transtulit ad Erphesfurt".

VITAE BARDONIS ARCHIEPISCOPI MOGUNTINI.

Quid virtutis atque meriti fuisset in Bardone monacho Fuldensi et deinde archiepiscopo Moguntino anno 1051 defuncto, paullo postea duabus vitae eius descriptionibus expositum est. Quarum altera Moguntino narratori, altera Fuldensi debetur.

Vulculdus enim, Liupoldi archiepiscopi (1051—1059) capellanus, cum mandatum ab eodem domino suo componendae Bardonis vitae accepisset, brevius aridiusque quam optes de ea re tractavit. Qui quidem nonnullis rerum lineamentis et aliquot narratiunculis, iisque haud iniucundis, contentus, eo maxime animum convertit, ut ostenderet, omnium octo beatitudinum, quas protulit Christus in oratione de monte habita, compotem Bardonem fuisse.

Veri simillimum autem videtur, exiguo hoc Vulculdi libello Fuldenses, aemulos tunc litterarum Moguntinarum, ad ampliorem de Bardone, suo quondam socio, conscribendum librum incitatos esse. Neque enim ignoramus, Egbertum illius temporis abbatem (1048—1058) omni ope atque opera contendisse, ut S. Bonifatii vita, Moguntiae olim exposita, a Leone IX papa Fuldensibus litterarum auxiliis adhibitis recoleretur; istumque laborem peractum esse posterius in monasterio Fuldensi ab Othlono[1]. Sub illo ipso Egberto abbate Bardonis quoque vitam maiorem Fuldae conditam esse, non dubitanter confirmaverim. Ibi enim legimus: „adhuc viventes multos testari", qualis, decanus Fuldensis post annum 1017 factus, Bardo fuerit; „quantumque se", praefectum monasterio S. Andreae, Fuldae vicino, „fecerit expectabilem, tot testari, quot adhuc eius exemplis illu-

1. V. supra p. 426. 427.

minati regantur". Ex quibus iudicari potest, quam brevi post mortuum Bardonem haec litteris mandata sint. Refert praeterea scriptor, quibusdam rebus spatio annorum 1043—1047 gestis quendam Bardonis familiarem interfuisse, additque haec: „qui et ipse hoc nobis narravit". Immo iam vivo ipso Bardone eum, a quo opus est, in monasterio Fuldensi versatum esse, satis argumenti continetur somnio Luydnandi, monachi Fuldensis, ante mortem Bardonis viso; nam scriptor: „Monachus" inquit „expergefactus somnium hoc nobis cum magna dulcedine narravit". Inde, cum Moguntiae urbis a Leone IX papa mense Octobri a. 1052 invisae mentio inferatur, facile statueris, vitam hanc annorum 1053 et 1058 intervallo expeditam esse. Ceterum ex libello et coenobita et Fuldensis redolet usque quaque. Huius enim quanto magis intersit, ut monachus Bardo illustretur quam Bardo episcopus, quae de rebus die 25 Dec. 1031 gestis prodit, ea satis dilucide indicant. Atque cum omnino duo tantum Bardonis decessores in medium veniant: Erkenbaldus et Aribo archiepiscopi Moguntini, illum contra Branthohum abbatem Fuldensem „desaevisse" dicit scriptor, et Aribonem „temere" locutum esse. Abbatum Fuldensium vero seriem longiorem non sine studio et veneratione inducit: Herchenbaldum (997—1011); Branthohum (1011—1013); Bobbonem (1013—1018); Richardum (1018—1039) „bonae memoriae abbatem", „virum Dei", „pium patrem", „beatum patrem — meriti laudabilis et ingenii ammirabilis"; Rohingum (1043—1047); Egberdum (1048—1058) „venerabilem patrem". Locorum etiam Fuldae proximorum bene peritum se ostendit[1]. Quin etiam firmissime asseverat, Fuldenses hoc privilegio praeditos esse, ut tertium quemque archiepiscopum Moguntinum ex suo monasterio exhibeant[2]. Quocirca nihil omnino mirum est, maiore hac Bardonis vita non tam Moguntinis rebus cognoscendis quam Fuldensibus materiam afferri.

1. V. ad 1018—1030 de Novo-monasterio per Richardum abbatem condito. 2. V. ad 1031 Apr. 6: „ex privilegii censura Fuldensem exigi pastorem; eo quod tercium antistitem sedis Mogontinae mittere Fuldense deberet ovile" .... „consulta igitur privilegia eadem loquebantur" .... „Igitur et abbas Richardus addoctus ex privilegiis, eadem ratus ventura".

Vulculdi libellum ediderunt anno 1853 Boehmer Font. III 247—254 et anno 1854 Wattenbach in Mon. Germ. SS. XI 318—321, uterque usus uno qui exstat codice[1] *chartaceo quondam „colonelli dicti Krichenbeck", tum Nicolai Schmidt vicarii Moguntini, deinde collegii societatis Iesu Moguntini, hodie bibliothecae universitatis Wirziburgensis ms. fol. 187. Ibi enim fol. 121—199 invenitur „Historia Maguntina ad reverentissimum Ber(tholdum) archiepiscopum Moguntinum*[2]*" circiter a. 1500 a Iohanne Hebelino de Heymbach, qui totum Vulculdi opusculum in fol. 155v—158v collocavit. Idem codex hic Berolini mihi ad manum fuit beneficio Antonii Ruland.*

Alterius vitae editionem principem ex codice bibliothecae Caesareae Vindobonensis 336 (hist. eccl. 5) membranaceo saec. XIII procuravit anno 1698 Daniel Papebroch, Act. SS. Iunii T. II 299—319; cuius quidem editioni se addixerunt Mabilio anno 1701 in Act. SS. ord. Ben. saec. VI P. II 1—33, Ioannis anno 1722 in Rer. Moguntiacarum T. I 474—493, Boehmer anno 1853 Font. III 217—247. Sed Wattenbachii editio, quae in Mon. Germ. SS. XI 323—342 prodiit anno 1854, comparata est ex quatuor codicibus; quorum optimus in monasterio S. Crucis prope Vindobonam habetur, membr. n. 12 fol. saec. XII; ceteri saeculo XIII scripti sunt: Vindobonensis cuius supra memini, Admontensis n. 24 membr. fol., Zwetlensis n. 24 membr. fol. Egomet satis habui, cum ipsum S. Crucis coenobium, et situ et habitatoribus amoenissimum, anno superiore adiissem, quem ibidem servari iam dixi, codicem praestantissimum denuo pervolutare.

Post eximiam vero utrique Bardonis vitae impensam a Wattenbachio curam si contigerit mihi, ut emendationum ab eo factarum numerum nonnihil augerem, eundem studiis his fauturum esse confido.

Berolini 11 Kal. Februarias 1866.

1. Codicem enim Darmstatensem 820, cuius Boehmer Font. III p. XLIII meminit, ex ipso codice Wirziburgensi ductum esse, refert Wattenbach Deutschlands Geschichtsquellen (ed. 2) p. 330 n. 2. 2. 1484—1504.

VULCULDI VITA BARDONIS.

Beatissimi Bardonis, gregis Moguntinensis dignissimi provisoris, vita incipit; quam successor eius L(iupoldus), archipresul dignus, quendam cappellanum suum nomine Wlculdum[a] ob memoriam eius componere fecit.

Ortus est hic lucifer in Teutonicorum Francia, parentum gloria, ecclesie columna, Moguntinensis specialis corona. In pago vero Wedereiba dicto, in villa Habprahteshoven[b 1] nomine[c] nuncupata mundane procreationis sortitus est primordia. Fuit autem de cognatione et de gente illa, de qua dicit spalmista[d]: *Beata gens, cuius est Dominus Deus eius*[2], et de qualibus per Iheremiam prophetam loquitur Dominus: *Erunt mihi in populum, et ego ero eis in deum; daboque eis cor unum et viam*[e] *unam, ut timeant me et bene sit eis et filiis eorum post eos*[3]. Pater vero eius, Adelbero nomen habens proprium, vir erat religiosus ac timens Deum[4]. Mater autem, Christina nuncupata, ipso christianitatis sue vocabulo prefigurabat indicia. Qui, cum bene essent christiani et nobilis parentele, Domino donante, generantes protulerunt filium, spiritualis gratie nobilitate decorum.

Igitur primevo etatis tempore cum iam pueruli corpus, sanctum templum Dei[5], nimirum[f] ad sequentis usum vite honesta aliqua informandum foret eruditione, ut Domino placuit, relictis mundialibus exercitiis, parentes eum litterali scientie assignare decreverunt. Unde — mox, dum prima didicit elementa, virtute Dei agnita, qua socia spirabat infantia — illum Domini[g] que comitabatur exhortante[h] gratia, per supradictos parentes in

a. Wlcaldum *correctum est in* Wlculdum *in cod.* b. Habprabhteshoven *c., ubi in margine scripsit manus alia:* nunc Opprishofen dicta. c. n. *cod.* d. sp̊ *c.* e. *om. cod., ubi lacuna.* f. mirum *cod.* g. dm̄ *c.* h. erhortan̄ *c. Cf. p.* 522 *not.* a.

1. Oppershofen in Hassia, inter Giessen et Friedberg. 2. Ps. 32, 12. 3. Ierem. 32, 38. 39. 4. Actus apost. 10, 1. 2: „Vir — religiosus ac timens Deum“. 5. 1 Corinth. 3, 17: „templum enim Dei sanctum est, quod estis vos“.

Fuldensi ecclesia Deo sanctoque Bonifacio oblatus est, sancta ac viva ac bene placens hostia[1]. Ibi, divina favente[a] clementia, Dei famulus Bardo aggressus est viam, quə ad gloriam illum provexit humanam et divinam. Mox primo ingressu litteralibus studiis inter coevulorum turbas ceteris acutior[b] existit aliorumque profectus profectuum[c] suorum celeri sagacitate premit et — ut paucis perstringam, quod verum fuisse, coram Deo et angelis eius hodie in celestibus liquet — sic preditus est litterali scientia, ut post, predicator effectus, mira pariter sapientia et facundia coruscaret[d]. Caritas et humilitas, illo crescente, pariter in illa sancti sui pectoris occultata creverunt habitatione; de quarum una fratribus amorem, et altera prelatis debitum inpendit honorem. Hiis geminis virtutibus in congregatione illa magnis et parvis factus est gratus. In tenera iam etate tante spei et tante claruit industrie, ut fratribus sanioris sententie non infructuosum videretur[e], aliquas illi in claustro obedientias[2] commendare. Et sic a minoribus incipiens, Domini precedente et subsequente gratia, omnes maiores in illa ecclesia — et gradatim singulas — ascendit obedientias; non quidem sine gradibus meritorum, quibus sibi de die in diem propinquius iter parabat ad Christum.

Interim, sicut in monte posita civitas non potest abscondi[3], divina disponente gratia, in castro Wirdina dicto patri[4] monasterii defuncto in locum abbatis surrogatur beatissimus Bardo[f5]. Cum vero iam pater monachorum nominaretur et esset, Domini servus circa gregem dominicum sibi commissum paternos gerebat affectus[g] et, quicquid iam potuit boni exequi, studiosa non cessavit mente[h] operari. Obedientiam, quam ipse suis prelatis

a. favēn *c.* b. accucior *c.* c. profectū *c.* d. corruscharet *c.* e. videtur *c.* f. sorrogatur B. B. *cod. Cf. lemma huius vitae.* g. affectos *c.* h. mte *c.*

1. Rom. 12, 1: „ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem“. 2. munera, dignitates. 3. Matth. 5, 14: „Non potest civitas abscondi supra montem posita“. 4. Heithanrico; cf. Syllabum abbatum Werthinensium ap. Leibnitium SS. III 601. Is obiit d. 11 Novembris; v. necrolog. Werthinense (ap. Leibnitium SS. III 748 et ap. Boehmerum Font. III 390). 5. Necrol. Werthinense (l. l. p. 747 et 389): „3 Idus Iunii, Bardo abbas et postea Moguntinus archiepiscopus obiit“.

pridem subiectus prebuit, subditos sibi fratres ipsi et ceteris monasterii prioribus prebere instituit. Exemplo caritatis affectus incitabat. Omne divinum officium adeo circumspectabat[a] devotione, quod negligenter[b] inordinatum nihil in Dei servitio dereliquid, dum famulatus amatores ad laudem Dei quam plures aggregaverat fratres. Preterea cuiuscumque operis artifices ad utilitatem ecclesie conquisivit[c] et, illis necessaria et premia ministrando, illorum artibus ex ecclesiastica familia alios instruxit. Intus et foris, apertos tenens oculos, circa curam sibi creditam ut pater familias prudens vigilabat. Ipse et sui fide et veritate et dilectione et — per illud omne tempus — frugum terre habundanti fertilitate et pacis tranquillitate, Domino prestante, securi vixere. Quantum suis et fratrum stipendiis superesse potuit, peregrinis et hospitibus partiri non distulit. Ad hec indigenti cuique tribuit secundum apostolum[1] cum omni hilaritate et simplicitate, quicquid potuit. Ergo, et sicut hilarem datorem Deus diligit[2] et ut ex precedentibus meritis dona semper augentur iustis[3], dum forte interim abbas Heresfeldensis obiit mundo, in locum illius, iubente Domino, electus et substitutus est[4] mitissimus Bardo. 1031

Cum itaque simul in duabus ecclesiis vir Dei providi rectoris fungeretur officio, propter excellentiam maioris ecclesie priori non minus intendebat sed omni studio sicut prius vigilare satagebat. Maior etiam ecclesia minori nihil nocuit, minor a maiore illius animum non avertit. Hanc et illam sic disponebat, ut, dum in una esset occupatus, ab altera penitus esset indivisus. Bona opera, quis in minore ante sudaverat, secundum ampliores sumptus maioris ecclesie omnimodis ampliare laudabili desiderio anhelabat. Die noctuque bonorum actuum lucernam tenens in manibus, viam bonam[d], per quam grex Domini

a. circumspecta *c.* b. neglienter *c.* c. cūquesivit *c.* d. viam bonam *addidi. Cf.* 3 *Reg.* 8, 36: „et ostende eis viam bonam, per quam ambulent“. *Wattenbach addiderat* viam.

1. Rom. 12, 8: „qui tribuit in simplicitate — qui miseretur in hilaritate“. 2. 2 Corinth. 9, 7: „hilarem enim datorem diligit Deus“. 3. Cf. 2 Corinth. 9, 10. 4. Arnoldo abbati Hersfeldensi non mortuo sed deiecto successit a. 1031 Bardo. V. Annal. Hildesheim. 1031 et Vitam Meinwerci c. 210 (Mon. Germ. SS. III 98 et XI 156).

1031 sequeretur, ostendit previus. Quid multa? Non paucos in illo cenobio fratres Domino cooperante constituit; in clero et in populo liberos et servos sibi subditos ut populum Dei tractavit mansueta dominatione et paterna pietate. Opulentiam rerum, qua exuberavit, copiose erogavit et[a] tam discrete, quatinus sui totius ubertate plenitudinis beatam vitam ducerent, et supervenientes quique caritatis ianuam patentem reperirent. Brevi igitur temporis intervallo fama viri percrebuit mundoque prudentiam pariter et pietatem predicavit[b] de illo. Et ita cognitus est in urbibus atque provinciis, atque adeo gratus et acceptus factus est Conradi imperatoris coniugi[c] Gisle, prudenti femine, imperatrici auguste[1].

Hiis itaque transactis, Aribo archiepiscopus sedis Magun-
Apr. 6 tinensis ingressus est viam carnis universe. Dei ergo omnipotentis nutu disponente et supra dicta imperatrice augusta interveniente, Bardo Dei servus et monachus Moguntinensis urbis factus est presul venerandus.

Igitur — ut bonorum vita detrimentum est pessimorum, et ut zelant[d] mansuetum invidi, modestum superbi — insurrexerunt multi iniqua emulatione continuo in servum Dei; monachum et hominem aspectu deformem Maguntinensi presidere sedi dedignantes deridebant, que foris viderunt carneis sensibus diiudicantes, intus latentem spiritualium donorum gratiam nullatenus appreciantes. Animalis enim homo iuxta fidem et doctrinam apostoli non percipit ea, que sunt spiritus Dei[2]. Conviciorum et detractionum non minimum accessit, prout emulanti lingue[e] vanitas secularis et propria consuetudo suggessit.

Ille tamen, ut divine ipsum patientie virtus ammonuit, humilis et timens Deum, tam domesticas quam extraneas indignationes equo animo sustinuit, se dispicientes non despexit; non

a. et *addidi.* b. predicaret *c.* c. coniuge *c.* d. zelant *scripsit Wattenbach pro* celant *cod.* e. ligue *c.*

1. Bardoni iam antea abbatiam Hersfeldensem, suadente consanguinea eius Gisla imperatrice, traditam esse, ex Annal. Hildesh. et vita Meinwerci constat, ut indicavit Wattenbach. 2. 1 Corinth. 2, 14: „Animalis autem homo non percipit ea, quae sunt spiritus Dei".

quid episcopus posset, sed quid episcopum deceret, considerans. Ex curia et ex domo et ad se undecumque venientes cum ingenti gratiarum alloquebatur dulcedine, illud iam implere festinus, quod dicitur: *Quanto magnus es, humilia te*[a] *in omnibus*[1]. Sublimationis nove sic temperavit initium, ut iam eius et mores in illum ascenderent gradum, de quo dicit euangelium: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est*[b] *regnum celorum*[2].

Sed hec spiritus paupertas sive humilitas, quantum ad examen spectat humanitatis, non parvi beato viro extitit causa laboris. Regia[c] illum eo amplius mandata urgebant, suique eum e contra minus metuebant; et, quos proprii honoris invenire debuit fautores, suos invenit proh dolor desertores propriosque delatores. Milites namque sui, despecto freno sue mansuetudinis ab eo recedentes, regalibus sese subdiderunt contuberniis. Nonnuili etiam ex servientibus ecclesiasticis curialibus sunt mancipati servitiis; obsequiis, quibus sibi erant obnoxii, apud imperatorem volebant esse obligati. Hiis quidem familiaribus inimicis deferentibus eorumque perfida instigante nequitia, assidue exigebantur dona ab eo magnifica, et graviora semper illi iniungebantur servitia. Sed unde[d] malignantium perversitas Dei servo[e] contrahere putabat cum dedecore contumeliam, excellentem[f] Deo favente accumulavit ei honorem et gratiam. Nam in quocumque negotio Deus illi tantum concessit proventum, unde ipse et sedes sua exaltationis non parum tolleret incrementum.

Vir sanctus et mitis non restitit malo[3], verum etiam vicit[g] malum in bono[4], dicentem secum[h] volvens euangelistam: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram*[5]. Quidam comes suus, nomine perfidus Erkenbaldus, scilicet inmerito urbis Ma-

a. te *om. c.* b. et *c.* c. *sequitur* ergo *in cod., sed videtur deletum esse.* d. unde *scripsit Wattenbach pro* inde *cod.* e. servitio *c.* f. excellente *c.* (*Cf.* 2 *Corinth.* 3, 10: „propter excellentem gloriam"). g. vicit *scripsit Wattenbach pro* vincit *c.* h. dicentem secum *scripsi pro* dicente se *cod. Cf. Genes.* 24, 45: Dumque haec tacitus mecum volverem.

1. Eccli. 3, 20. 2. Matth. 5, 3. 3. Matth. 5, 39: „Ego autem dico vobis, non resistere malo; sed si quis te percusserit in dexteram maxillam" cet. 4. Rom. 12, 21: „Noli vinci a malo, sed vince in bono malum". 5. Matth. 5, 4.

guntinensis prefectus — ideoque dicam inmerito, quia in despectum et contumeliam archipresulis mitissimi omnem iniustitiam et dominationem iniquam exercuit in hominibus Sancti Martini — unum ex iudicibus civitatis, bene natum et honorabilem virum, comprehendit et virgis cesum tutundit[a]. Tribuno plebis insidias multas paravit; sic tandem nihil perficiens, apud imperatorem falsa illum accusatione pulsavit, donec homo dives et grandevus ipse, in aquam miserabiliter missus, Dei iudicio iniectum crimen Domino auxiliante purgavit. Tertium quendam ex civibus Maguntinensibus eius instinctu imperator suis cathenis involvit, donec tandem pecunia membrorum suorum sanitatem redemit. Multos eiusdem civitatis alios idem Erkenbaldus, malitia plenus, diversis[b] lesit ubique periculis. Atque ipsum beatissimum Dei famulum Bardum, dominum suum, apud aures imperatoris frequens susurro detractionis[c] veneno polluit; et sepe usque ad satisfactionem illum nequam[d] contaminationis inpulsione coegit. Ipse vero beatissimus Bardo propriam patienter iniuriam tulit; suorumque calumpnias lugens, fletibus incessanter amaris se[e] perfudit. Suorum cladem suam estimavit; illam doluit, illam Deo et sanctis eius assidue in orationibus inculcavit.

Quadam vero nocte, dum vir sanctus quieti membra dedisset, arborem coram sompnis adstare vidit; et per quandam vocem illud sancti Iohannis: *Ad radicem arboris iam posita est securis*[1] audire promeruit. Et factum est, prout in euangelio promittitur: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*[2]. Post modicum vero tempus comes supra dictus, ut Domino complacuit, in presentiam beati archipresulis ad iudicium venire consensit. Ibi vero commilitonum suorum iudicio abiudicatum[f] beneficium[g] perdidit et, fidelitatis rursum securitate adiurata, idem beneficium repetitione probrosa recepit. Nec diu fuit

a. totundit *c.* b. diversis *scripsit Wattenbach pro* dimersit *cod.* c. detracionis *c.* d. vnquam *c.* e. se *addidi.* f. abiudicatus *c.* g. beneficū *c; cf. quod sequitur:* idem beneficium.

1. Matth. 3, 10. 2. Matth. 5, 5.

postea, quod, paralisi percussus, illis inspicientibus, quibus antea tantam duritiam intulit, languidus et siccus usque ad finem vite exaruit. Ille ea arbor exstitit, ad cuius radicem securim positam vox superius audita memoravit. Et hoc est, quod legimus: *Patiens et redditor est altissimus*[1]. Hinc et Iheremias ait: *Omnis homo, qui comedit uvam acerbam, dentes eius obstupescent*[2]. Quod et aliis verbis in eodem propheta dicitur: *Unusquisque in iniquitate sua morietur*[3].

Per omne hiemis tempus et estatis venerabilis antistes post prime dormitionis quietem semper intempesta nocte ante matutinas horas solitus erat ad ecclesiam venire, non surdus auditor dicentis prophete: *Memor fui in nocte nominis Domini*[4]. Ibi diu, inmobilis fixus vigiliis et orationibus, cum Domino loquebatur in celestibus. Quadam vero nocte in urbe Maguntinensi, circa aras in ecclesia inventus solus, ab hostiario sub specie ignoti alicuius fuste fuit non segniter verberatus. Proximo mane cum ceteris pauperibus ad elimosinam suam idem stetit hostiarius. Quem ut vidit recognovit; unoque[a] denario dato pro elimosina, alterum pretio dedit pro verberatione suscepta. Quotiens quidem matutinis laudibus interesse iam ceperat, diu protractis lectionibus, sacre fluenta scripture sitibundo pectore haurire consueverat. Sicque eo saturabatur cibo, de quo Dominus ait[b]: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem patris mei*[5], et bibebat[c] aquam salientem in vitam eternam[6]. Et particeps factus est beatitudinis, de qua in euangelio dicitur: *Beati, qui esuriunt et sitiunt iustitiam; quoniam ipsi saturabuntur*[7].

Super populum procurationis sue numquam fuit episcopus maioris misericordie. Clericos et laicos ex humili loco plerosque, Domino exhortante, in magno constituit honore. Dicebat sepe, Sancti Martini divitiis merito subveniri debere pauperibus

a. Imoque *c.* b. Dominus ait de quo *cod.* c. bibebat *scripsit Wattenbach pro* bibeat *cod.*

1. Eccli. 5, 4: „Altissimus enim est patiens redditor". 2. Ier. 31, 30. 3. Ier. 31, 30. 4. Ps. 118, 55. 5. Ioh. 4, 34. 6. Cf. Ioh. 4, 13. 14: „Qui autem biberit ex aqua hac — fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam". 7. Matth. 5, 6.

suis. Nec solummodo suis hanc pietatem agebat, sed ad notos et ignotos corde et animo sic suavis erat. Miseris ioculatoribus valde fuit benignus, nulla scurilitatis specie conductus, sed propter Deum inopie miserorum consulens; memor verbi, quod testatur dicens: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*[1].

De simplicitate viri non est multum necesse loqui. Nam adeo simplex hominibus videbatur, quod simplicitas sua non magna sapientia putaretur; nisi quod postea miraculis claruit: quam accepta Domino simplicitas sua fuit. In simplicitate cordis Deum quesivit, et ille cor mundum in eo creavit; et Dominum sine dubio videre meruit, sicut in euangelio legitur: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*[2].

Quod dicit apostolus: *Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes*[3], ipse exercebat ad omnes. Et sic ascendit[a] in illum gradum, de quo dicit euangelium: *Beati pacifici, quoniam ipsi Dei filii vocabuntur*[4].

Intronisationis sue primis temporibus a fratribus et coepiscopis contemptus, sicut a Spirensi episcopo, qui perfidus Sibicho[5] cognominabatur, et despectionis persecutionem et perfidie iniuriam perpessus est, non misericordiam; in hoc etiam beatus propter patientiam et iustitiam[6].

Sed hiis octo beatitudinum meritis illis, quibus vir sanctus primum erat despicabilis, novissime omnibus gratus effectus[b] est et venerabilis.

Hiis debemus breviter apponere, que per illum egregie gesta sunt Maguntie. Maiorem ecclesiam, que nova dicitur in comparatione veteris, sine tecto et condensam intus invenit edilibus instrumentis. Ea scilicet silva eiecta, a tecto edificare cepit. Sicque domum Dei laquearibus pavimento et parte fenestrarum, parietibus dealbatis, dedicationis consecrationi prepa-

a. assendit *c*. b. affectus *c*.

1. Matth. 5, 7. 2. Matth. 5, 8. 3. Rom. 12, 18. 4. Matth. 5, 9. 5. 1039—1054. Cf. Müllenhof Zeugnisse zur deutschen Heldensage in Haupt Zeitschrift XII 308—310. 6. Matth. 5, 10: „Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam“.

ravit. Deinde, Conrado christianissimo imperatore eiusque coniuge Gisla imperatrice augusta una cum eorum serenissima prole Henrico tertio rege et nobili coniuge sua Conegunde[a] invitatis, decem et septem episcopis conlaborantibus, eandem domum Dei honorifice dedicavit, veteris ecclesie rebus cunctis cum dote et congregatione[b] in novam translatis. Postea claustrum cum porticibus et officinis ad hoc pertinentibus construxit tanto fere sumptu, quod ecclesia ipsa maioris non constaret. In veteri ecclesia, de qua priorem congregationem transtulit, pro remedio anime sue in honorem Dei et sancti Martini, sua industria acquisitis prediis, alteram congregationem restituit. In nova vero, quam ipse consecravit, ciborium auro et argento decoravit et supra altare sancti Martini fabricari precepit. Postremo circa ultimum vite sue finem honesta pictura insignire fecit eidem altari occidentalem arcum inminentem.

Tandem, felicis vite[c] cursu expleto, longevus et dierum 1051
plenus in senectute bona obdormivit in Domino. Amen. Iun. 11

MONACHI FULDENSIS VITA BARDONIS.

Beatus Bardo[d] — qui et *bar*[1] *deo* id est „filius dei“ inter-
pretari potest — ex ...[e] oppido Germaniae, secundo Ottone 973—983
Romanam monarchiam amministrante, bonis ex parentibus optimus natus est filius. Cuius pater Adelbero, mater vero ...[e] quantae sanctitatis fuerint, absque meo labore loquuntur mirabilia, quae ad eorum sepulchra fiunt inenarrabilia. Igitur fratres eius Heliso — barbarismatice vero ab eo quod Helyseus est, ut credimus, mutatum — et Harderath, omnisque illa prosapia, et in catholica fide probatissima et expers omnis suspicionis macula, tantae virtutis habita est, ut, si aliquid generi demas, virtutibus addas. Fortes in armis, in fide precipui, quod regi de-

a. Congunde *c.* b. congreacione *c.* c. fine *c.* d. *in cod. nihil est nisi* BEA.... *V. imaginem huius loci a Wattenbachio factam* (*Mon. Germ. SS. XI ad p.* 162). e. *lacuna non est in cod.*

1. Hebraea vox „bar“ sonat filium.

bebant, amministrabant strennue, quod Deo debebant, optime. Tali ex radice palmes ortus est, qui, accepto fervore verissimi solis, in uvas virtutum intumuerit omnique, sicienti salutem, poculum vitae postmodum effuderit; eo quod se ipsum sibi abnegaverit et, arrepta cruce mortificandi terrena sua membra, Dominum secutus sit.

Secundum catholicam igitur religionem sacrosancti sanguinis Christi tincto baptismate, quidam compater eius ammirabili donavit eum munere: galea, agno, psalterio. Per quae dona materialia adverti possunt eius facta spiritalia, scilicet ut in primordio secundae nativitatis nobis resplendeat prodigium tocius sequentis etatis. In galea quidem, quoniam, septus armis spiritalibus, nunquam deserviebat voluptatibus carnalibus; in agno prefigurata pacientia, quae multa eum comitata est a prima adolescentia; in psalterii prefiguratione, quantum postmodum profecerit psalmodiae meditatione.

Parentes siquidem eius, et in divina sapientes et in humana prudentes, post ablactationem puerum cum ipso psalterio in loco ...[a] cuidam vetulae, nomine Benedicta, tradebant ad erudiendum litteras. Illa vero vetula, in infantulo suum solata senium, quicquid novit docuit eum, in gremio suo positum; et inter pie decipiendi[b] susurrum brevi totum illum edocuit psalterium. Ipse vero, horum non inmemor, post factus episcopus iam geronte nutricis factus est nutricius, inopiamque eius multis solabatur largitionibus.

Non multo post, cum didicisset psalterium, a parentibus
997—1011 Fuldam[c] deportatus est ibique sub Herchanbaldo abbate[1] scolaribus alis appositus. Mirum in modum tenera etas sapienti utebatur consilio. Quoniam quidem, spretis humanae phylosophiae faleris, fragilitatem meditabatur vitae presentis; et quamquam in scolari facundia desudaret magistri timore, in aecclesiastica tamen simplicitate toto mentis versabatur tenore: in psalterio

a. *in cod. non est lacuna.* b. *sic scripsi pro* desipiendi. c. cuidam *c. pro* Fuldam.

1. 997—1011.

Ambrosiano, euangeliis et talibus ceteris. Quare iusto valde divino iudicio in utroque ditatus est amodo. Et intus eum informante sancti Spiritus magisterio, suo defraudatus non est desiderio; sed sitienti pectore sapientiae fluenta hauriebat et satis firma memoria hausta digerebat.

Postquam autem etatem iuvenilem consecutus est, piae mortificationis libens assumpsit habitum, monachicum scilicet indutus vestitum. Et quod eiusmodi professus est indumento, virtutum non negavit emolumento. Sed sicut cucullam accepit, in qua pia Christi signatur infantia, et scapulare, quod quadratura sui perfecta designat opera, ita secundum apostolum Petrum quasi modo genitus infans racionabilis sine dolo lac simplicitatis concupivit[1], ex quo lactatus virtutum etatem acquisivit.

Bránthoho etiam preposito Fuldensi adherens affinis, sui simplicitate directus[a] est nimis. Qua re in ea disceptatione, qua Erchanbaldus Moguntine sedis episcopus[2] contra Branthohum[3], abbatem sibi in Fulda subrogatum[4], desevit et eum sine divino humanoque iudicio ab Heinrico imperatore sua dignitate destitui 1013
fecit[5], exeuntibus cunctis ingenuis et liberis, hic sanctus vir, non fortunae sed virtutis amicus, Branthohum secutus est; et cuius letis communicavit, eius nec tristia recusavit. Tantoque tempore permansit cum eo, usque dum calumpnia illa inter-

a. directus *scripsi pro* dilectus *cod. Cf. Prov.* 11, 3: Simplicitas iustorum diriget eos.

1. 1 Petr. 2, 2: „sicut modo geniti infantes, rationabile, sine dolo lac concupiscite". 2. 1011—1021. 3. II abbatem Fuldensem (postea episcopum Halberstadensem 1023—1036). 4. anno 1011. 5. Cf. Annal. Quedlinburg. 1013 et Thietmari chron. VI 56, Mon. Germ. SS. III 82 et 833. De eadem re affert Schannat in Hist. Fuldens. p. 136 „domestici (Fuldensis) scriptoris coaeva manu" tradita haec: „Anno Domini 1114 mense Maio ab occidente ventus insolite ruit, hic plura subruens aedificia et malorum portenta afferens. Nam Iunio mense, quamquam splendide exstructum sub gremio sancti Bonifacii, monasterium iussio imperialis solotenus exstirpat, quasi barbarico supervolitante incendio. Quin et momento temporis ipse abbas huius loci Brantho nomine ordine suo et solio sine humano iudicio est destitutus, omnisque fere congregatio extricata incertis sedibus fatigabatur, nec non Lauresheimenses fratres cum suo pastore in locum nostrum sunt subrogati".

ventu solaminis sedaretur. Sicque sub abbate Bobpone[1] ad 1013-1018 nidum suae rediit professionis, et pauper rebus, dives vero spiritu, incoluit dilecte locum habitationis.

Suae saluti vacans, fratrum studuit utilitati, totusque deditus erat inedicibili benignitati. Et ex parvo quod valuit, ex toto fratribus prodesse voluit; pro eis serviendo legendo et cetera, quae monasterialis usus novit, agendo. Ita quoque circumquaque illis collectis fratribus — quoniam enutriti ibi pene omnes exierant[a] — brevi complacuit ita, ut prius innotesceret beneficio, quam reditus sui spacio.

Visa igitur in fratres eius benignitate, quamvis voluntate sepe frustrata[b] paupertate, aliquociens in conventiculis suis privatis, verum illi dantes testimonium benignitatis, querebantur inopiam eius spontaneae paupertatis; et piis eius pro moribus dignum eum musitabant, qui imperaret vel senioribus. Quod et factum est. Nam vir Dei, simul cum gradibus etatis scandens etiam gradus dignitatis, opinioni eorum nequaquam se minorem sed centuplicato fecit maiorem, admodum ut gratulantibus electoribus eius singulis, multi eum dicerent suis primitus electum consiliis. Fuit etiam in scala provectionis eius quiddam ammirabile omniumque memoratu probabile. Quoniam in monasterio nulla fuit obedientia, quae non amministraretur eius diligentia; qui, incipiens a minimis, finem scandendi fecit in maximis. Nam, frugalitati deditus fraterne, lucratus est sibi nomen dignitatis paternae. Quemcunque enim fratrum angebat alicuius rei necessitas, evadendi necessitatem solatium primum sancti patris fuerat largitas. Nec fefellit aliquem spes eiusmodi; quia nec habuit nec acquirere potuit, quod petebatur, si negabat alicui. Quod tamen quia accidere inevitabile est, si aliquando evenit, pie consolatus petentes, anxietatis eis curas ademit; et si aliquem vacuum dimisit dono, non tamen sermone bono, memor illius: *Sermo bonus super datum optimum.*

a. exierunt *c.* b. frustrate *c.*

1. qui abbas Lauresheimensis, anno 1013 factus abbas Fuldensis, obiit a. 1018.

Vir itaque melliflue dulcedinis, nil aliud agens studensque quam moribus consenescere et e contra bene faciendi voluntate semper iuvenescere, nullum tempus lasciviae, nullum dedit ocio; sed quid agi oporteret, sedulo vel didicit legendo vel inculcavit faciendo. Quare, mundus corde et corpore, sicut scriptum est: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*[1], sancti Spiritus factus sacrarium, illum inhabitatorem promeruit, qui ait: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et pater meus diliget eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus*[2]. Filicem[a] carnalis cogitationis penitus eradicans falce spiritalis operationis, quicquid offendere posset oculos convivantis amici[3], sollicitus abstulit; et quo illum advocari vel delectari crederet, providus intulit. Illum amavit, illum suspiravit. Et quia, carne gravidatus, quo spiritu eum secutus est, corpusculo non potuit ascendere, illum etiam, cum presens esset, ad se invitavit descendere. Unde scriptum est: *Ibunt de virtute in virtutem*[4]. Iam illum divini consilii consortem caelestis novit curia, et amicum Dei, in terra degentem, impleverunt caelestia sancti Spiritus oracula; ita ut in eum divinitus conferretur prophetiae gratia.

Nam inter cetera sanctae scripturae flumina, quae sitibundus bibebat et bibendo sitiebat, pius Domini discipulus Pastoralem curam[5] maxime diligebat eamque sine intermissa sedulitate legebat. Quod familiares eius fieri videntes — non sine divina voluntate, quamvis casu ut dicitur operante — quadam die illum percunctati sunt: quanam causa hoc ageret, ut hunc librum pre omnibus tanta cum diligentia legeret? Quibus sanctus pater iocunde et ut ita dicam ridiculose respondit: *Ad hoc*[b]*;* inquit *cum rex stultus venerit et nullum antistitare volentem invenerit, forsitan me constituet antistitem; ad quod necesse est me prevideam scientem.* Tunc — omnibus secum ridentibus nichilque

a. Silicem *c.* b. Ad hoc *scripsi pro* Adhuc *c.*

1. Matth. 5, 8. 2. Ioh. 14, 23. 3. Christi. 4. Ps. 83, 8. 5. sive Regulae pastoralis librum a Gregorio I scriptum. Opp. ed. Benedict. II 1 squ.

minus suspicantibus — cum ridendo declamavit, quod ipse necesse noverat futurum, acsi possibile enunciavit.

His etiam pollens virtutibus, cum perfecta mente perfectam simul etatem arripuit, iamque quartam annorum septimanam, iuventutem scilicet egressus, quintam septimanam, quae etiam in virile[a] robur adducit, ingressus est. Memor igitur caelestis sponsus amici sui, summus rex militis sui, et corona gloriae coronavit indutum, et circumsepsit eum armis virtutum. Muniens eum clypeo humilitatis, galeatum pacientia simplicitatis et circumcinctum gladio discretionis adornavit sagittis predicationis; et protectum torace iusticiae salutaris, superinduit eum clamide caritatis. Humilem quidem propter se divina maiestas exaltavit apud se.

Videntes enim cenobite militem Christi sine fatigatione in procinctu positum, concedente abbate Richardo[1], unanimes de-
1018-1030 canum elegerunt; et conviatores angustae viae, quae ducit ad vitam[2], ducem fecerunt, qui nec ad dexteram declinaret nec ad sinistram[3], acsi diceret ad eum Dominus: *Amice*[b], *ascende superius*[4]. Qualis tunc esset, adhuc viventes multi testantur; qui etiam, in servo carnis tantam libertatem spiritus umquam devenisse, mirantur. Memorem enim eum illius: *Iudicem te constituerunt? Noli extolli, sed esto cum illis quasi unus ex illis*[5], cum dignitate gradus et morum maturitate cunctos humilitate subsequi, vel invitus fateri deberes. Inter magnos maximus et inter parvos minimus, maioribus formidabilem, minoribus se dedit amabilem. Minores ad eum ut ad patrem accedebant, quem maiores ut iudicem attendebant; quia, quod caritas iubebat, negligere nesciebat. Nullum condempnavit, nullum iudicavit; et cum interroget Petrus, utrum dimittat usque septies[6], hic septemplicavit septuagies septies[7]. Quodsi etiam a quoquam aliquando putredinem vulneris ferro correptionis abscidit, ilico,

a. iuvenile *c. pro* in virile. (*Cod. Vindobonensis, quem Wattenbachius adhibuit, praebet:* ad virile). b. *om. c.*

1. 1018—1039. 2. Matth. 7, 14. 3. Isai. 30, 21. 4. Luc. 14, 10. 5. Cf. Eccli. 32, 1. 6. Matth. 18, 21. 7. Matth. 18, 22.

se hominem esse memor, fomentum indulgentiae super egrotantem linivit. Quicquid monasterio erat, omnium ut debuit esse docebat. Nec obedientias habentes non habentibus, sed non[a] habentes preposuit habentibus. Unde cum quidam cellerarius ibi cubam[1] aceto plenam haberet, unde negaret fratribus mittentibus ad se sepius; quam haud[b] daret, proprietas haec servatoris ad patrem delata est. Qui, memor olei, quod negatum diacono beatus pater Benedictus foris iussit proici[2], eadem sancti Spiritus benedictione benedictus: *Ex hac* inquid *maledictione non gustabitur ulterius;* et sine dilatione totum iussit effundi. 1018-1030

Interea predictus bonae memoriae Richardus abbas, regionem loci, id est Fuldae, ordinemque basilicarum in circuitu positarum mente rationeque circuiens, invenit, aliquid addere se posse, et quod placeret racioni et aptum fieret divinae benedictioni. Versus enim septentrionem oppositus, in loco qui dicitur Mons-episcopi[3], eandem plagam sustinenti, semper virginis Mariae vidit oratorium; altrinsecus autem sanctorum Iohannis baptistae et euangelistae basilicam[4] ad austrum. Cumque ex partibus orientis, ubi in loco Uvesberc[5] beato Petro templum dedicatum invenit, ad occidentem reverteretur cumque hanc caeli plagam tali videret benedictione vacasse, intellexit vir Dei, meritis suis augendis divinam providentiam hanc plagam reservasse. Dilatans ergo trigonum — dico tres aecclesias iam fatas[c] triangulum — in partibus occidentis citra longum pontem[d] ad ripam aquae Fuldae, tetragrammum integravit quadrangulum; et constructo in occidentis partibus cenobio in honore sancti Andreae indidit vocabulum: ut Novum diceretur monasterium[6]. In quo pii patris meritum est laudabile et ingenium ammirabile; qui

a. non *om. c.* b. haud daret *scripsi pro* laudaret *c.* c. iam fatas *scripsi pro* in latus *c.* d. pontum *c.*

1. cupam. 2. V. S. Gregorii dialog. II c. 28, Opp. ed. Benedict. II 260. 3. Bischofsberg (hodie Frauenberg). De monasterio S. Mariae in monte episcopi v. Schannat Dioec. Fuld. p. 118. 4. De monasterio SS. Iohannis baptistae et euangelistae v. ibid. p. 108. 5. s. Ugesberg (hodie Petersberg). De coen. S. Petri in Ugesberg v. ibid. p. 132. 6. De coen. S. Andreae in Monte-novo vulgo Neuberg v. ibid. p. 81.

1018-1030 hoc excogitavit: ut ab septentrione ad meridiem virgo[1] respiceret virgines[a][2], et ab ortu solis in occasum[b] apostolus[3] fratrem[4]. Habito ergo consilio, teneram filiam abbas sancto viro commendavit, ut et — temporibus infantiae — lacte pasceretur et sine austeritate disciplinata doceretur. Tum vir perfecte vitae, pie se conformans infantiae nutricum more, etsi assuescebat ad pedes Domini vitae theoretice, gnarum tamen se ostendebat et practicae; imitans illum, qui, cum tantae claritatis esset, ut desiderarent in eum angeli prospicere, assumpta obscuritate carnis, nostro inventus est in corpore. Quantum se in hoc gradu fecerit expectabilem, mihi opus non est declarare; quod tot testari videntur, quot[c] adhuc, eius exemplis illuminati, reguntur.

1024-1030 Appropinquavit interim, quod scriptum est: *Ecce intelliget servus meus, exaltabitur et elevabitur, et sublimis erit valde*[5]; quia, quem sanctus accendebat[d] Spiritus, abscondere non potuit modius[6]. Venit enim hisdem diebus rex Cuonradus[e] Fuldam, et a beato patre Richardo ad novellam adductus est filiam[7]. Ubi tum[f] nutricius eiusdem filiae, vir scilicet predictus, obviam illis egressus est et, ut erat mitis et urbanissime educatus, congruo honore suscepit eos. Sed quia non inaniter venit, quem divina misit providentia, postquam oratione petitam[g] aecclesiam egressus est, singula de hoc loco percunctatus — quae illi essent servitia, qui fratres, quis pater? — cum omnia resciret, hunc etiam patrem ex nomine audiret, subito repletus summo gaudio, quod eum[h] videret, quem dudum sibi . . .[i] diuque multumque sibi fama loquebatur, iterato salutatum amplexatum osculatum promisit, cum primum nancisceretur copiam aut tempus, non dimittere se nisi redderet exaltatum. Erat quoque hic Dei servus regine[8] consanguineus; et exinde promissionis facilior fiebat

a. virgines *scripsi pro* virginem. b. occasu *c.* c. quod *c.* d. ascendebat *c.* e. Cônradus *c.* f. cum *c.* g. petita *c.* h. cũ *c.* i. *in cod. non est lacuna.*

1. S. Maria. 2. S. Iohannem baptistam et S. Iohannem euangelistam. Cf. Apocal. 14, 4: „qui cum mulieribus non sunt coinquinati; virgines enim sunt“. 3. Petrus. 4. Andream. 5. Isai. 52, 13. 6. Cf. Luc. 11, 33. 7. ad Novum-monasterium. 8. Gislae.

accessus. Qui, satisfaciens regiae dignitati, quod etiam ipse potuit, non promisit sed dedit; videlicet kliotetram[1] regio decore preparatam, quam illuc venturo iussu et permissu abbatis sui Richardi preparavit. Tunc denuo exhilaratus rex pro accepta benedictione — erat enim dulce etsi non necessarium, quod dedit caritas — letus egressus est, multum affirmata promissione. 1024-1030

Memor autem imperator promissi sui, non multo post misso nuncio ad Richardum abbatem, prefatum sanctum virum sibi mitti precepit. Fama vulgatum est ilico, pium patrem a rege vocari. Flentibus ergo discipulis nuper congregatis aliisque familiaribus, quos et monitis illustrabat et exemplis sustentabat, regi missus est. Quem honorifice suscipiens imperator, circumstantibus amicis eum ostendit, dicens: *Audistis* ait *de Bardone Fuldense aliquid?* Aiunt illi: *Multa.* *Quaenam?* inquit. Qui dixerunt: *Optima queque.* Et rex: *Si* inquit *audistis, credite quia vera sunt. Hic est ille ipse* ait, *quem veraciter laudamus, aut quis sit laudabilis ignoramus.* Deinde exposito beneficio, quod a pio patre susceperat, omnibus amabilem et honorabilem reddiderat. Post haec promovit eum imperator inter amicos, fecitque eum abbatem Werdinensium, dicens: *Sicut audivimus de te, sic videamus.* Tunc satis benivole tractatum, ad commissum ovile cum honore dimisit eum[a].

Audito autem discipuli et amici eius, quia magnificavit eum[b] Deus[c] in conspectu regum, absentiae[c] eius tristiciam eventus leticia solabantur; securi de moribus, certi de vita; quia, quem bene subditum videbant, bene etiam preesse sciebant.

Ipse vero — quod dicitur potentia, contempnens et, quod paternitas dicitur, attendens — ad consuetos mores conversus nec aliquid mutans nisi forte, ut scriptum est: *Ibunt de virtute in virtutem*[2], illud sibi dicebat sedulus: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus*[3]. Qua de re impleta est in illo scriptura,

a. *sequuntur in codice haec:* deus in conspectu regum absentiae. *Cf. infra not. c.* b. eum *addidi.* c. *verba haec:* deus — absentiae, *in alieno loco a librario posita* (*v. supra not.* a), *suae sedi restitui.*

1. sellam plicatilem. 2. Ps. 83, 8. 3. Eccl. 3, 20.

1024-1030 dicens: *Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem et quietum et trementem sermones meos*[1]; sed et illud: *Ecce servus meus, suscipiam eum; electus meus, complacuit sibi in illo anima mea*[2].

Quasi enim nulla essent, quae fecit sibi Deus, ita visa sunt datori parva, ut ad ostendenda dilecti sui merita pro nichilo ducerentur beneficia preterita. Ergo opus erat novis honoribus; ut rursus et potestate cresceret, qui novis semper crescebat virtutibus. Unde, acsi monogamus paupertate premeretur, digamus
1031 subito factus est, tradita ei a rege Herveldia, pastoris sui morte[3] viduata. Servus autem Dei — videns, quia caritas exigit, querere non tantum quae sibi prosunt, sed quae magis alteri — quae karitatis sunt, cogitavit loquebatur et fecit; ut, quocunque divina voluntate pastor statueretur, nichil umquam ....[a] dulce videri, etiam a subditis diceretur. Qua de re tamen argumentari potest vita eius omniumque communiter; quia, qui placuerit his, in quos habet potestatem, necessario placebit his, in quos privatus solam exhibet caritatem.

Illam diaboli adinventionem, dico detractionem, illud inremediabile vicium aut potius veneficium, fraternam in invicem accusationem, acsi fieret inde reus homicidii, penitus abhorruit abiecit et respuit; illud memorans sedulo: *Quoniam proiectus est accusator fratrum nostrorum*[4]. Si quis adulando ad eum absconse clamque venerat et hoc et illud, si forte negligentias aliquas viderat, enarraverat, *Vos* inquiens *nescitis, quanta surgat vestri periculo protervia, quanta insolentia, arrogantia; neminem iuventus reveretur; pro nichilo reverentia seniorum habetur;* pacienter ille parumper audiens, *Quid* inquit *quid agit decanus?* Illo dissimulante omnemque in partem accusationem temptante, *Decanum* inquit *habent; ille magister est; pater ego. Quod ipse me celaverit, scire fas non est.* Sic itaque ut prudens apicula, circumquaque collectis virtutum floribus in alvearia

a. *non est lacuna in cod.*

1. Cf. Isai. 66, 2. 2. Isai. 42, 1. 3. V. supra p. 523 n. 4. 4. Apocal. 12, 10.

suorum cenobiorum, quacumque[a] mansitabat, et memoriam dulcedinis et fructum reliquit pinguedinis.

Dicat nunc aliquis de hoc famulo Dei, utrum illi Deus largiens largior, an hic foret humilior? Respondebimus: maius quidem nos non novisse, magnum tamen utrumque nosse; et quia largus Dominus, humilis erat famulus, et quoniam humilis famulus, largus erat Dominus; quicquid tamen hoc erat, Dei erat gratia, ut et hic humilis esset in promerendo et ipse largus in reddendo. Sed quid dicimus *reddendo*, cum scriptum sit: *Aut quis prior dedit ei, et retribuetur ei?*[1] *Quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia, ipsi honor et gloria in secula seculorum, amen*[2]; qui transgressorem precepti sui non reicit sed revocat, non perdit sed reparat; qui promerenti mala reddidit bona; qui seductum remonuit, iacentem erexit; qui filium ire fovit misericordia, servum peccati libertatis gloria; cuius opus pietas, flagellum caritas, misericordia iusticia, iusticia misericordia; cuius voluntas opus, imperium salus, premium ineffabile, consilium ammirabile. Qui saltem illi grates? quis servit? Servire ei, regnare est. Et quis serviet? Ecce in isto servo Dei quam largus esset non reprehendimus[b]. Et quid dicemus? Non tantum sufficiebat ei, ut hic, carne in terra gravidatus, caelum inhabitaret spiritu, nisi etiam ipse, clementissime descendens, eius inhabitaret spiritum, ut impleret quod ait: *Ego sto ad ostium et pulso; si quis audierit vocem meam et aperuerit michi, intrabo ad eum et cenabo cum illo*[3]. Vere enim ad hunc vel pocius in hunc intravit, quem secreti sui conscium faciendo letificavit; ut, quia non multum eum letificavit potestate terrestri, letificaret, ut dignum erat, prescientia caelesti. Rursum spiritu prophetiae reddidit eum clarum; rursus, quod electus et preelectus esset apud se, etsi obscure, fecit planum.

Abbas enim duorum locorum cum sollempnitate quadam ad regem venisset, stans iuxta primos, utpote archipresulem Moguntiae Aribonem, contigit eum ferulam quam optimam in

a. quocumque *c.* b. *sic. Papebroch scripsit:* comprehendimus.

1. Rom. 11, 35. 2. Rom. 11, 36. 3. Apocal. 3, 20.

manu portare, ut haec solet potestas. Cui ait episcopus temere — erat enim Noricus genere —: *Heus abba; haec ferula convenientius imperaret manu nostra quam vestra.* Ille autem, ut erat filius caritatis, e contra placide respondit: *Et si placet vobis, non multum difficile est, ut acquiratis.* Et tacuerunt ambo. Cumque venisset abbas ad caminatam, sumpta ferula et ferro mire celato, in quo mensales oblate coquebantur, et quodam sarcile[1] ex lana Greco facto opere, per manus Rohingi — qui, tunc secum commanens, postea[2] ad Fuldam imperabat — haec omnia supra dicto misit episcopo. Illo autem revertenti, ait servus Dei: *Quonam modo nostra est accepta oblatio?* Illo haesitanti, ait ipse: *Quonam modo? Eia dic.* Qui ait: *Satis bene.* Et ille: *Satis* inquit; movensque caput ait denuo: *Quid, si haec omnia nobis servata quandoque reddentur?* et iterum: *Non multum, ut credo, tempus intererit, et erunt rursus haec omnia nostrae dicionis.* Quod ita factum est. Factus enim in Mogontia non multo post episcopus, omnia haec in camera, sicut prophetaverat, invenit et Deo gratias recepit.

Necesse fuit, quandoque venire, quod tociens prophetaverat; ut fieret, quod ait etiam alter propheta, quia propheta cum prophetaverit, veneritque verbum eius et implebitur, scietur, pro-
1031 pheta ille quod verax est[3]. Defunctus enim non multo post est
Apr. 6 praefatus episcopus, et virga potestatis eius ad regem delata[a], ubi tunc manebat tempore. Congregati sunt fideles orthodoxi, habitumque concilium in eodem loco cum eisdem aecclesiae patribus. Quibus ait rex: *Quia vobis divina vox scriptis innumerabilibus et terrorem suum et honorem loquitur, estisque divini consilii secretarii et precones, non meam .... voluntatem sed sempiternam potius maiestatem, ut ex vobis eligatur, in quem firmissimus sanctae aecclesiae paries secure innitatur.* Ammoniti quippe consultius agentes, nunc hunc, nunc illum alter et alter nominabat, quem esse idoneum estimabat. Diu multumque frustratis, fuit aliquis ibi qui diceret, ex privilegii censura Fulden-

a. *manus s. XIV in lacuna relicta posuit* delata.

1. panno. 2. 1043—1047. 3. V. Ierem. 28, 9.

sem exigi pastorem; eo quod tercium antistitem sedis Mogontine mittere Fuldense deberet ovile. Placuit itaque regi differre concilium, quousque congruum de hoc caperent consilium. Consulta igitur privilegia eadem loquebantur, et priorum regum in hoc consensum testabantur. Communi vero consilio senatus super hoc habendus dilatus est; quoniam adhuc homo non inveniretur[a], quem vellet Deus. 1031

Igitur et abbas Richardus, addoctus[b] ex privilegiis, eadem ratus ventura, disposita domo sua, multorum ibidem eum lacrimis prosequentibus, curtim pergere iter aggressus est. Ibat quidem gravis meditationibus et anxius, spe biformi in incerta raptatus, anne fieret ex decretis episcopus. Sed parum cupidus terrenae potestatis, expectabat tantum velle divinitatis. Quare, sicut ait psaltes egregius: *In te Domine speravi, non confundar in aeternum*[1], de incertis cito certus factus, eo quod inviolata spe omnibus suis Deum advocaret sedulus, de his, quae ad se non pertinebant, pregravari diu permissus non est. Tempore enim umbrifero cum, sole inferius hemisperium emetiente, terrae diametros sui obsistentia tenebras in caelum funderet — quod nox dicitur — somnus etiam, oblivionis minister, ad diurnas curas ingenii reparator, virium quoque[c] pridie lassescentium[d] in crastinum redintegrator, egris se mortalibus infunderet, predictus abbas post vigiliarum hostias lecto redditus, secundum quod dictum est: *Iuvenes vestri visiones videbunt, et senes vestri somnia somniabunt*[2], somnium vidit. Experrectus igitur aurora procedente, iam certus divinae voluntatis, quis futurus esset episcopus, post iteratas orationis victimas coram stantibus ait: *Ne multum contristemini fratres de me, quasi abstrahar a vobis episcopatus causa. Divina largiente gratia*[e] *Fuldense nobis sufficiat solium; nam Mogontinum expectat alium.* Et divinam prescientiam ammiratis[f]: *Hac* inquit *nocte in quodam fui campo, ubi e contra stantem mire celsitudinis vidi montem, in cuius* Iun.

a. invenitur *c.* b. adductus *c.* c. quoque *corr. est in* quicquid *c.* d. lassencentium *c.* e. *om. c.* f. ammiratus *c.*

1. Ps. 30, 2. 2. Ioel 2, 28.

1031 *cacumine, quo ego ascendere non valebam, fratrem Bardonem*
Iun. *stare videbam; sub cuius pede fons purissimi fluenti saliebat. Quem quia me celsiorem videbam, diligenter intuitus, virgam in manu eius quasi oves minantem aspiciebam; ipsasque oves circumquaque pascentes.* Cuius interpretationem subiciens, continuo ait: *Mons quidem principatus est sublimitas, virga correptionis subtilitas; fons doctrina, quam congeret in eo sapientia divina*[a]*; oves autem populi, pascendi gramine celestis pabuli. Ille* ait *electus est; summe voluntati volentes cedamus.* Qua in re ammirandi sunt ambo tanti patres, quos in terra positos caeleste non latuit consilium; qui, in corpore seiuncti, spiritu spiritale[b] iunxere collegium.

Ivit[c] quoque et hic famulus Dei, de quo loquimur, etiam et ipse ad regem; non anxius quidem, quis episcopus fieret; sed, qui[d] fieret, qualis fieret. Ergo hi duo columbi, in quodam diversorio convenientes, invicem resalutati[e], datis complexibus, ad capellam quae ibidem erat ibant[f] iunctis comitatibus. Cumque ad ianuam ecclesiae pervenissent, ambo constiterunt[g], et alter alteri ingressum prebuerunt; hic ut antiquo magistro, ille ut ei, quem noverat electum in Christo. Diu illis alternantibus, ait Richardus: *Quod ultra faciendum est, hic habeat inicium; precedat ille, quem divinum elegit beneficium.* Ille vero, acsi nota audiret, nichil hesitavit; sed, pede currens obedientiae, celer intravit. Ante divinum igitur intuitum merito precessit, quem estimatio divina preposuit. Egressi vero post orationem aecclesiam, pius conservus pio conservo narravit, quod piissimus eorum Dominus sibi revelavit.

Pernoctantes ibidem, crastino, uterque comeatu suo adiuncto, ambo quo volebant singillatim pergebant. Precedens autem hic pietatis amator, prior venit ad curtim. Quem cum aliqui viderent qui cognoscerent, musitantes ad invicem: *Hic est* aiunt *ille, quem nobis percunctantibus de pastore imperatrix predixit.*

a. divina sapientia *c.* b. principali *corr. est in* spiritale *c.* c. Fuit *c.* d. qui *corr. in* quis *c.* e. resulati *c.* f. ibant *addidit manus corrigens.* g. consteterunt *c.*

Circumquaque enim consiliantes rex et regina post priorem conventum, nullum talem se novisse fatebantur, qualem hunc Dei famulum[a] testabantur. Erat ergo mensis Iunius, et appropinquavit sanctorum apostolorum Petri et Pauli festivitas[1]. Venit ergo principum pastorum vigilia; et personuit fama: Mogontine sedis pastorem quemcunque futurum die crastina. Presto enim fuit, quem Deus in hoc ipsum elegit.

1031 Iun.

Iun. 28

Altera autem die, cum mundi oculus sol confinium septemtrionis et orientis aspirando serenasset et mortis imaginem somnum horroresque tenebrarum pepulisset, rex ex cubili sui penetralis egressus cum regina, primo diluculo aecclesiam ingressus est. Fusa ergo precum oblatione, Domini[b] aures pulsabant intenti, ut ostendere dignaretur, quem ipse sciret in hoc officium congruentis meriti. Egressi deinde, pia fidelium turba congregata, resederunt[c] pariter consulturi de presenti causa. Mira populi musitatio, hoc illudque dicentis et famam diversis confabulationibus lacessentis[d]. At ubi erant hi, de quibus ait apostolus: *Dei adiutores sumus*[2], *et nos spiritum Dei habemus*, alius de pacientia, alius loquebatur de continentia; iste de sobrietate, ille de humilitate; hic de proximorum condescensione, ille agebat de summorum[e] omnium contemplatione. Et quemcumque his preditum aliquis noverat, de hoc secundum conscientiam testimonium dederat. Quibus vero regis patuit voluntas, verba cuiusque ex industria suspendentes, verbum regis expectabant, ipsi consentire volentes. Aliquantum diei processerat, cum res adhuc fluctuabat. Petito ergo silentio, post tot horas incipiens imperator: *Quod audivimus* inquit *et probavimus, patres et fratres, annuntiamus vobis. Virum scio magnifice virtutis, perfectae sanctitatis, ingenii singularis; vasculum castitatis, sapientiae filium, corporis dominum; magnum humilitate, precipuum caritate; mundo pauperem, Deo divitem; cui nostra favet auctoritas, si quid digne iudicare novit mortalitas.*

Iun. 29

a. dei famulum dei *c.* b. Domini *scripsi pro* divinas *c.* c. residerunt *c.* d. lacessentes *c.* e. summo *c.*

1. Iun. 29. 2. 1 Corinth. 3, 9.

1031 Iun. 29 Verbum regis omnes maiores loquebantur, et quod ille testatus est, omnes testabantur. Qui autem, quem dicerent, celato nomine nesciebant, quemque, ut erat proximus, quem diceret, perquirebant. Auribus ergo eorum benivole preoccupatis, tandem vocans eum imperator ex nomine, dixit: *Pater;* simulque digito innuens precepit, ut accederet. Qualem tunc eum videres, quam constanti animo, quam immutabili facie, quam moderatum gressu, dum incederet palatium. Cunctis eum invicem adnotantibus: *Hic, hic est ille,* oculi omnium ad pium patrem, aures intendebant ad regem. Cum ergo iam staret ante solium: *Novimus* ait rex *Fuldense privilegium, nec infringimus statutum precessorum nostrorum. Sed quia non desunt, qui noverint, qua causa non promoveamus abbatem*[1], *te, eiusdem ovilis, antistitare statuimus secundum priorum voluntatem.* Commissa ergo sibi plebe Mogontina, cuncti letabantur, ductumque cum laude Dei ad aecclesiam, promoverunt eum consecrantes in episcopatus gradum. Tunc vere potuit ad eum dicere Dominus: *Amice, ascende superius*[2]. Induit ergo se anulum sanctum tercio mense[3] et cingulo castitatis precinxit se, indutus stola iusticiae. Seniores igitur filiorum ecclesiae verum Aaron consecraverunt, ut esset ei testamentum sempiternum simul et sacerdocium magnum. Inter haec ergo nec divina caruit consecratione, quoniam ditatus est omnium gentium benedictione. Non enim dereliquit eum Dominus, donec afferret illi sceptrum regni[4]. Consecratus igitur pontifex, verus custos vasorum, pene quinquagesimo etatis suae
post Iun. 29 anno; post festivitatem sanctorum apostolorum ad commissum ovile cum honore dimissus est.

1. Richardum. 2. Luc. 14, 10. 3. Depravatus hic locus certo corrigi nequit; licet putem, scriptorem posuisse haec: „Induit ergo se anulum sanctum tercio Kalendas de Iulio mense“. Caeterum Bardonem iam festo pentecostes, die 30 m. Maii a. 1031, anulum et baculum accepisse, docet et haec Bardonis vita infra ad 1051 Mai. 19 („Quamquam enim in festivitate sanctorum apostolorum Petri et Pauli consecratus sit, die tamen sancti pentecostes anulum accepit“) et Marianus Scottus in chron. (Mon. Germ. SS. V 556): „Sanctus Bardo successit — baculum 3 Kal. Iunii die pentecostes accipiens“; quae quidem verba, a Mariano ad annum 1032 posita, ad a. 1031 pertinere manifestum est. 4. Sap. 10, 14.

Senator[a] ergo curiae celestis, cui cum apostolo date sunt 1031
claves regni caelorum, potestas siquidem ligandi et solvendi terrae ac caeli, nequaquam potestate usus, ut luderet in avibus caeli aut in bestiis terrae; sed cum piscatoribus apostolicis, in omni piscatus monte secundum prophetam et in omni colle[1] quodcunque superbum invenit, rete circumdedit humilitatis; quod pro peccatis humile invenit, spe irretivit consolationis; hoc semper cupidus, ut ante conspectum summi patrisfamilias non appareret vacuus[2]. Deinde, thesauri non parcus quem vigiliarum acquisivit mercimonio, aerarium sapientiae aperuit; pauperes spiritu, hoc est pusillanimes, consolatione pavit; nudos peccatis penitentia induviavit[d]; cecos illecebris, monitis caelestibus illuminavit; claudos in itenere, quod ducit ad caelum, suo ducatu previavit, ut esset carnaliter ac spiritaliter, quod beatus Iob ait: *Oculus fui ceco et pes claudo*[3].

Venit deinde ad regem[4] in nativitate domini et salvatoris Dec. 25
nostri et honorifice susceptus est. Erat ergo tunc[c] ...... Die ergo nativitatis Domini secundum primatum dignitatis suae missas die prima cepit agere. Stansque post euangelium in gradibus, sermonem declamavit verbis non pluribus[d] .... nabatur ad vesperam. Cumque ad altare regrederetur, fuerunt ibi aliqui, qui, quasi aditu invento, invidiae suae fel evomuerunt; causantes tantae rusticitatis humunculum tam precelsae sedis factum episcopum; re autem vera invidentes, eum esse monachum. Doluit quoque etiam imperator, tanta eum laude se coram hominibus extulisse; poenituitque, umquam eum antistitem fecisse. Celeberrime igitur die illa auditi sunt, qui dicerent: *Monachus est; aliquid esse potuit in suo monasteriolo, nequaquam tali congruit solio.* Et quicunque aliquod in eum iaculabantur convicium, hoc in prima parte linguae iacuit, ut dicerent eum monachum;

a. *in margine littera* S *posita est; sed rubricator scripsit* U *ut legatur* Uenator *c.* b. indusiavit *correctum est in* induviavit *c.* c. *sequitur lacuna in cod.* d. *sequitur lacuna.*

1. Ierem. 16, 16. 2. Exod. 23, 15. 3. Iob. 29, 15. 4. Goslariam; ubi die 25 Dec. 1031 Conradum II imperatorem fuisse, liquet ex Annal. Hildesheim. 1032.

1031 Dec. 25 ut aperte intelligi posset, quidnam in illo sibi maxime displicuisset. Rex pene inpransus est, nullas quesivit delicias ciborum; quoniam ipse amare morsibus carpebatur lacerantium.

Dec. 26 Dies venit altera. Et Metensis episcopus Diodericus[1], missas celebrans, quicquid novit, prodigus effudit. Laudatur ille ab omnibus, dicentibus: *Hic est episcopus.* Vir autem, qui non nescivit: *Totum spiritum suum profert stultus, sapiens autem reservat in posterum*[2], nec aura favoris elatus nec invidiae morsibus inclinatus, pacienter sustinuit; certissimus, quid ipse facturus sit.

Dec. 27 Venit dies tercia; missumque est ad pium patrem: quis deberet missas agere. Qui se professus, divina comitante gratia. Averterunt eum amici eius; callide, quasi causa laboris magni, hortantes, ut super hac re iuberet alicui; re autem vera, verecundati super sermone, quem declamavit pridie. Ille vero, cogitans intra semet ipsum: *Gloriam meam alteri non dabo*[3], ait humiliter: *Unusquisque onus suum portabit*[4]. Qui cum causarentur laborem, *Quid* inquit *mihi utilius est: agendis dare studium an negligentiae aditum?* Paratus itaque cum timore divino ad altare ingressus est. Post euangelium vero representatus in gradibus, hanc sermonis telam orditus est: *Pre fulgore* inquit *in conspectu eius nubes transierunt*[5]. Levatisque parumper oculis cum gemitu, ac si suum advocaret amicum, rursusque in terram defixis, humili habitu et voce humillima locutus est populis[6]: *Super sermone* ait *psalmigrafi consultus preco divinus Iohannes euangelista, cuius hodie festa colimus magna ex parte ..... sed in Deo, Dei filio, unum sint, vero participantes soli.* Multis ergo talibus disputans, postquam eos rore sanctarum scripturarum perfudit, ad confessionem inducens, lavacro lacrimarum eos infudit; mactansque illos in ara spiritalis contricionis, obtulit Deo holocaustum suavissimi odoris. Sic ergo, ad altare regressus, omnium ora convertit in stuporem; quo-

1. II, 1006—1047. 2. Prov. 29, 11. 3. Isai. 42, 8. 4. Galat. 6, 5. 5. Ps. 17, 13. 6. Longae quae sequitur orationis prima novissimaque verba afferre satis est.

niam, qui paulo ante in tantum viluit ut rusticulus, voce omnium 1031 Dec. 27
predicabatur dignus esse, qui summus fieret episcopus. Detractorum vero vultus superfusi rubore; ore taciti conscientiam accusabant, confusi vultus confessione. Postquam ergo ad mensam regis ventum est, rex hylari vultu: *Hodie* inquit *natalis Domini mihi est agendus, quoniam confusus conticuit lacerantium nos chorus.* Rursusque ex nimia leticia, quasi desipiens: *Ubi sunt* inquit *detractores nostri?* Et iussit episcopo priori aquam in manibus dari. Episcopus autem, nec pridie tristior nec hodie letior, sicut tunc de vituperantibus sic et nunc tacuit de laudantibus. Qua ex re magis ac magis ammirabilis, ex illa die effectus est magnus nimis.

Multo igitur habitus apud regem honore, cum recordaretur, quia maritatum suae decet domui providere, regio honore prosecutus, Magontiam repedavit, ibique vitam suam secundum verissimam agricolarum sectam instituit ad exemplum eius, de quo ait aeterna Dei sapientia: *Pater meus agricola est*[1]. Sicut enim agricola, galli succentu excitatus, diurnum laborem nocturna sollicitudine prevenit, domesticos inclamat, hesterni caloris favillam explorat, inventam scintillam flatu suscitat, sarmentis educat, disponit quid quisque agat; mane primo agrum petit, terram proscindit, semina iacit; iamque sole acrius incendente, domum repetit, suavem ex labore panem gustat cum suis; propter intolerabilem meridiei fervorem estum declinat, dormiens in umbra culminis; surgensque repetit reliquias inperfecti operis; die decedente labori decedit, assidensque prunis postquam potu maduerit, aliquid dulce precinit, secuntur pueri; sicque omni hora certus quid iam iamque agat, laborem sine labore resumit ex consuetudine; ita hic piissimus pater ad omne hoc opus simul accessit, nisi, quod ille in spiritu operatur carnaliter, hoc egit iste in carne spiritaliter. Numquam enim gallum cantantem ipse non cantans expectavit, quia, ut ait psalmista, media nocte surgebat ad confitendum Deo[2]. Semper de nocte mundana consurgens, ad divinam lucem sollicitus anhelabat; nec hoc solus;

1. Ioh. 15, 1. 2. Ps. 118, 62.

sed quemcunque invenit, secum invitabat compulit trahebat, iuxta illud: *Et qui audit, dicat: Veni*[1]. At vero, si quem favilla delicti alicuius sopitum invenit, scintillam in eo penitentiae explorabat, flatu consolationis in flammam produxit lacrimarum, sicut scriptum est: *Aqua comburit peccatum*. Disposuit, quid quisque ageret, illum suadendo ad penitentiam, illum ad continentiam, illum ad humilitatem, illum ad caritatem, et cetera talia. Semper mane primo exiit, sequens eum qui ait: *Si quis vult post me venire, abneget semet ipsum, et tollat crucem et exiet post me*[2]. Mane autem, sicut scriptum est: *Mane astabo tibi*[3], terram cordis sui spiritu proscidit contricionis, seminans eam patrum exemplaribus, unde sibi virtutis et aliis cresceret fructus salutis. Si quando autem acrius in eum incendebantur humanae molestationes — quia scriptum est: *Omnes, qui volunt pie vivere in Christo Iesu, persecutionem paciuntur*[4] — humilitatis ingressus refrigerium, quasi sub umbra pacientiae humanos declinabat estus; et rursus quasi surgens, exaltatus divino iudicio, toto corde reddebat, quod debebat pro divino beneficio. Ergo, sive decedente sive accedente die, semper ille integer ad Dei accedebat pensum. Tota nocte inter caelestes convivatores epulatus, ad prunas caelestis incendii sedebat, potuque lacrimarum deebriatus, Davidicum poema cum suis pueris intentus et frequens canebat. Sicque laborem semper resumpsit ex consuetudine, acsi nulla premeretur sollicitudine.

Aliquid modo dicendum est de hoc sancto viro, quod, quia parumper acescit, reticere cupio; sed tante auctoritatis pondus silere non audeo. Quare autem hoc loquar invitus, si placet, audite. Amarum est quod dicendum est, et Bardo noster dulcissimus est; nollemque de dulcissimo quicquam nisi dulcissimum loqui. Quis enim umquam Bardonem nisi dulcissimum expertus est? Vultu hylaris, verbis amabilis, moribus suavis. Quis coram Bardone tristis? Quis illius consolatione non est effectus letus? Pauper coram illo nullius indiguit; dives apud illum nichil perdidit. Idem ipse Bardo, et dominus ditione et

1. Apoc. 22, 17. 2. Matth. 16, 24. 3. Ps. 5, 5. 4. 2 Timoth. 3, 12.

frater voluntaria conditione, parvi pendebat timeri, agens magnopere diligi. Talibus eius studiis invidens, diabolus etsi vincere illum non valebat, sed temptabat. Incitavit in eum discordiam pretoris urbis Mogontinae, qui magnum aliquem arbitrabatur se futurum, si pre ceteris negligeret episcopum. Patientia enim episcopi hoc sibi visum est posse fieri; et unde miser debuit melior, inde factus est deterior. Observans igitur die noctuque episcopum, si forte aliquid illicitum admitteret, cum in omnibus eum inveniret irreprehensibilem, ad commenta fallaciae conversus, qua ex re nescio, maiestati reum finxit apud regem. Sed cum talis mendacii stipula veritatis igne citissime consumeretur, cum etiam episcopum adhuc pacientem vidit, quem credidit totis se viribus velle ulcisci, despexit eum; sua se potestate defensum credidit, iamque per se ipsum in episcopum conari non distulit. Igitur quemcunque amplius familiarem antistiti vidit, sibimet finxit contrarium, ut, cum in pontifice nullum haberet subsidium, vi et arte offenderet in episcopum. Ergo res processit longius, ulciscenda severius. Comprehendit autem ficto mendatio quendam dispensatorem episcopi; eumque nullo modo dimittere disposuit nisi in purgamento iudicii. Sed sanctus episcopus, videns eum absque ratione abuti sua pacientia itemque quanta sine causa paterentur in sua studiosi servicia, semel sepiusque rogavit tanta pretorem cessare molestia; ut etiam hic, qui falso criminabatur, evaderet absque iniuria. Pretor autem letus effectus est, quod aliquid invenerit, quo cor pontificis doloris vulnere tetigerit, quod penitus invulnerabile credidit; et iam omni amoto dubio iudicium exquisivit. Ergo ad iudicium ventum est. Tunc vir Dei, pacienti compassus, iustum fieri iudicium Dei petiit, ut eventus probat, non tantum de eo qui passus est, sed et de eo qui fecit iniuriam. Nam et ille, qui molestabatur, Deo adiuvante, sancti viri precibus inculpabilis, et ille, iudicio divino preventus, abscessit insanabilis. Etsi enim non statim sensit, sed statim tamen preventus fuit. Quia, qui contra virum Dei iudicium paraverat, paratum iudicium minime evaserat; et qui longo iam tempore virum Dei molestaverat,

abhinc et deinceps usque ad diem obitus infirmitatis molestiam non evaserat. Igitur, amara relinquentes, de dulcissimo dulcissima loquamur.

Multa de eius pacientia dicere possumus. Pacientiam enim eius secundum antiquorum pacientiam novimus, qui cum apostolo dicebant: *Blasphemamur et obsecramus, tamquam purgamenta huius mundi facti sumus omnium peripsima usque adhuc*[1]. Cum horum, inquam, pacientia fulget pacientia Bardonis, equa vere, nisi forte maior. Quia multi eorum ulcisci se non valebant, necessitatem in voluntatem laudabiliter convertebant; is autem, cum se posset ulcisci, voluntatem suam sibi necessariam faciebat, ut non quecunque vellet sequeretur, sed, cum multa valeret, multo plura vellet ex parte qua spiritus hortaretur. Quis ergo, vivente Bardone in carne, audiens quid derisori suo fecerit, non etiam ipse factum derideret; et hoc non potius vanum quam effectu niti crederet? Nunc autem quoniam planum est, quam recto stamine queque texuerit, omne factum Bardonis amatur, cum delectatione narratur, auditur cum suspirio, sine controversia laudatur, cum gaudio rememoratur. Sed quid derisori fecerit, dicamus. Sedens aliquando ad mensam, infirmitati corporis satisfacturus, inter ciborum alimoniam cunctis convivantibus eructavit[a] spiritus ebrietatem sobriam; quia illi Christus semper in corde, semper erat in ore, assumenti consilium dicentis: *Si quis loquitur quasi sermones Dei*[2]. Docente ergo illo omni affectione consedentes, iuvenis quidam, carnalibus titillationibus intentus potius quam divinis illius sermonibus, cepit ridere, quod tam inania garriret episcopus; animalis enim homo non percipit ea, quae sunt spiritus Dei[3]. Iniecto igitur casu in eum vultu, episcopus, deridere se iuvenem, comprehendit furtivi cachinni et susurri motibus. Motoque capite, sedit paulisper tacitus; viditque omnis conviva, quod deridentem se comprehenderet eiusque rei causa taceret. Omnes

a. eructuavit *c*.

1. 1 Corinth. 4, 13. 2. 1 Petr. 4, 11. 3. 1 Corinth. 2, 14: „Animalis autem homo — spiritus Dei“.

igitur expalluerunt, illi misero infensi; quia tantae potestatis virum graviter se ulturum crediderunt. Intelligens autem vir prudens, quoniam dandi exempli tempus esset[a], ut, quae paulo ante de pacientia docuerat verbis, nunc etiam confirmaret exemplis, sumpta aurea scutella, quae coram stabat plena carnium frustis, derisori suo cibum vasque dari precepit causa mercedis. Quo facto non solum peccantem ad penitentiam, sed et omnes lucratus est ad amplectendam pacientiam.

Potuimus aliquid dicere de eo mirabile, si quidem[b] tante ammirationi sunt, quae creduntur auditui, quam quae subiecta sunt visui; nisi forte magna sui miracula minora faciamus indigno relatu nostro. Dicemus tamen, ut possumus. Quoniam melius iudicamus, utcunque ammiranda agnosci, quam digna memoratu, memoria tabescente, oblivisci. Quociens sanctus pater Adeldvile[1], quoniam ad suam diocesim pertinuit, devenit, mirabiles semper hospites habuit, volucres scilicet quasdam forma nominibusque ignotas omnibus; a quibus seu comitabatur seu visitabatur episcopus. Quae numquam ante eum venientes, numquam post abscedentem remanentes, solum eo veniente turmatim in obviam congregate, in arboribus consederunt, et quandam suae modulationis armoniam concinuerunt; satagentes cunctis esse pro miraculo, quod irrationabiles rationis utebantur consilio. Sed pius pater, cantoribus suis non minimum letatus, caritatem exhibentibus non apparuit[c] ingratus; et quas in sua conari vidit obsequia, cottidiano porco satis fecit pro illorum alimonia; et carne inposita scutis, cottidianum sumptum providit hospitibus suis. De volucribus istis quid dicamus, dubitamus; utrum, formam inspicientes, simplices eas volucres credamus, an, rationem intendentes, aliquos spiritus fuisse dicamus? Nam quoniam solis spiritibus ratio inest, ratione utentia melius est ut spiritus credamus, quam ut, irrationale ratione uti, concedamus. Quid autem has volucres nisi ratione usas esse dicimus? Et quidem cum veniente venerunt et cum abeunte abie-

a. est *c.* b. siquidem *scripsi pro* quidem si *c.* c. apparavit *c.*

1. Eltville, a Moguntia ad occidentem, in dextera Rheni ripa.

runt; ad hunc unum sine errore venerunt, soli unum concentum suae modulationis concrepuerunt; ad intuitum eius homines non fugerunt, cibum ab hominibus inperterritae susceperunt, et silvestres, ut videbantur, blandientium motus mansuete susceperunt. Haec enim agere, rationis consilium est. Si autem hoc aliquid abhorret, ne spiritus fuisse videantur, quoniam corporeo pastu alebantur, nonne horum exempla multis in locis inveniuntur? Ad Abraham nonne spiritus angelici venerunt, et de caelo descendentes fessi vocati, qui numquam esurierunt, cum ipso comederunt? *Idcirco* inquit *declinastis ad servum vestrum*[1]. Medicus Tobiae Raphahel nonne diebus aliquantis visus est cum hominibus pransisse? Qui tamen reversurus dixit: *Videbar quidem manducare vobiscum; sed ego cibo invisibili et potu, qui ab hominibus videri non potest, utor*[2]. Videbatur comedere et non comedebat; et tamen cibus illi appositus non est inventus amplius; ut vere credatur talis comestio potius aliqua dispensatione consumpta esse, quam spiritalem levitatem aliquam corpoream gravitatem insumpsisse. Unde et ille spiritus, cui Gedeon coxit pulmentum, cum ius super petram effunderetur, manum extendit, cibos virga tetigit et pulmentum illud flamma procedente consumpsit[3]. Ab his ergo volucribus qui scimus utrum ille comestus sit cibus an aliqua incomprehensa virtute consumptus? Nam, si tantopere carnali victu indiguere, cum ab illo aberant, quid comedere? aut cur apud hunc et non etiam apud alios comedere? Aut, si volucres erant, numquid creduntur semper simul fuisse? si autem dispersae, quid credimus congrevavit eas, nuncians, episcopum Adeldevile futurum esse? Et quare nusquam alio visae? et, si visae, cur nulli agnitae? Cur autem harum volucrum cantus pontifici plus aliarum vocibus placuere? Aliquid igitur hinc spiritale coniectamur; quod utrum verum sit omnimodo non probamus: Locus ille a vulgo Eldevile, vero autem nomine Alta-villa vocatur; et ibi sive volucres in superioribus volantes, sive aliqui spiritus sancti in superioribus habitantes, sanctum virum visitabant; quia, qui se

1. Genes. 18, 5. 2. Tob. 12, 19. 3. Iudic. 6, 19—21.

in altitudinem contemplationis erigunt, angelorum visitatione digni sunt. Ergo, iuxta quod credimus, coniectamur. Quicquid autem hac in re veritati innititur, quia spiritale credimus, veneramur.

Dubitanda forsitan haec viderentur, si nullius perspicacioris miraculi certitudine faverentur; sed, quoniam patent adhuc in eo magna cum delectatione ac veneratione dicenda certioris rei mirabilia, quae obscuriori dispensatione facta conicimus, fiunt credibilia. Vir Dei aliquando, iter agens per subiecta abbati 1043-1047
Rohingo Fuldensi, ipso abbate prebente diversorium et servitium, transegerat in quodam loco nocturni temporis spacium. Postquam vero, transacto prandio, ad recessum pausandi secessit, duo tantum cum eo gradiebantur: unus camerarius, qui lucernam coram eo portabat, alter quidam familiaris eius, qui et ipse hoc nobis narrabat. Cum ergo portitor lucernae coram eo extracto lumine staret, casu accidente, ut sepe fit, lumen extinctum est. Turbabatur camerarius gressuque veloci candelam reaccendere festinabat et usque ad fores caminatae pervenit; cumque iam altera manus candelam portaret, altera ianuam cicius aperiendam corriperet, subito candela inflammata est; ambosque illos ammiratio circumdedit, ultra quam credi potest. Tremens ergo camerarius festine regreditur, positoque lumine, ad pedes eius sanctissimos paravit procidere. Vir autem Dei compescuit eum, dicens: *Stato, ne cadas; sed age Deo gratias; et, me vivente in corpore, cave ne umquam alicui dicas.* Commonuitque eum per iusiurandum super his verbis: *Ut ne alicui, quod factum est, dixeris, quousque me viam huius carnis ingredi videris; quodsi aliter feceris, a consortio et gratia mea in aeternum separaberis.* Ergo si factum istud intendimus, satis iusto iudicio Dei hoc evenisse perpendimus; ut, qui nunquam peccatorum tenebras admitteret preter quod inevitabile est humanitati, nec ad momentum felici careret luce, caelesti lumine se illustrante.

Senuit[a] ergo iam vir Dei; qui, nisi maiora premia in morte

a. Renuit *c*.

laturus, pietatis suae merito nunquam esset moriturus. Ergo et ex etatis accessione et infirmitatis senium consequentis successione corporis molestia gravi preventus est. Qui, visitatus a
1049 Oct. sancto viro Leone papa[1], ut recuperande sanitatis gratia esu carnium se[a] reficeret, rogatus est. Obedivit et comedit. Sed quoniam ostium eius semper patuit viatori et peregrino vespere sero et mane primo, quidam peregrinus monachus ad eum venit; susceptus est et ad mensam ductus. Cumque pisces ibi deessent, eo quod episcopus carne vesceretur, monacho illi carnis pulmentum, episcopo iubente, appositum est. Qui, oblitus sententiam Salvatoris qua ait: *Manducate, quae apponuntur vobis*[2], carnes horruit, monachumque se signis et nutibus quibus potuit pontifici innotuit. Quem in se ipso provocans, episcopus et se ipsum ostendit monachum fore et tamen carnes comedere, dixitque: *Frater, pisces nobis desunt; nostra licentia manducate, quae apud nos sunt.* Sed ille, nescius obedientiam summam esse vitae monasticae, studiosus continentiae, securus fuit obedientiae. Videns autem antistes, eum non acquiescere, manu extensa, sanctae et individuae Trinitatis nomine ter sanctae crucis signum fecit; et, natura ius suum obliviscente, mirabiliter carnem convertit in piscem, pulpam scilicet carnis in fragmen suavissimi esocis. Expavescentem igitur monachum et ad pedes eius procidere[b] parantem, prout tempus permisit, aspere increpavit; docens, tocius divini servitus summam esse obedientiam: *Propter quod* inquit *et Christus factus est obediens patri usque ad mortem*[3].

Requirimur fortassis inter dona Dei in eo aliquid etiam de ipso dicere, essetne ieiuniis deditus necne, ceteraque talia. Sed, Deo teste, pene nichil singulare de eo potui investigare, nisi forte in eo magis sit[c] laudabilis, quod meritum eius investigabile sit paucis; assumentis consilium eius, qui dixit: *Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua*[4]. Qualis sit, omnes modo

a. se *addidi*. b. procedere *corr. in* procidere *c*. c. set *corr. in* sit *c*.

1. Leo IX papa mense Octobri a. 1049 Moguntiae fuit. V. Regesta pont. Rom. n. 3187. 2. Luc. 10, 8. 3. Cf. Philipp. 2, 8. 4. Matth. 6, 3.

scimus; sed qualiter ad hoc pervenerit, omnes nescimus. Quae de ceteris sanctis scripta sunt, quia aut ieiunaverunt aut homines fugerunt aut cetera similia, nisi alio ordine nulla in eo inveniri possunt. Primum enim ieiuniis dedisse operam, nunquam audivimus; nisi forte hoc ieiunium ieiunavit, quod divinum iudicium magis probavit, ubi ait: *Nonne hoc magis est ieiunium quod elegi? Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes; dimitte eos qui confracti sunt liberos, et omne onus disrumpe; cum videris nudum, operi eum*[1]. Viciis ieiunavit et necessitati manducavit et omnibus egentibus panis sui buccellam communicavit. Immunis fuit eorum, qui, ad hominum intuitum runcantes sive grunnientes, sibi tantum vacant solitarii. Quia cecorum claudorum aridorum semper eum sequebantur centenarii; ita ut pene non esset claudus aut cecus, quem ex nomine non sciret episcopus. Ostium eius, ut et ante diximus, viatori patuit; et cum ab egenis inclamaretur, ut moris est multis, intus clausus non latuit, sed, totis apertis foribus exiliens, cum omnibus profuisset, letabatur regrediens. Semper hylaris et letus, semper pacificus et quietus, comitantes et advenientes semper hylares reddidit et letantes; si talibus non placuit, nescio quibus placuit. Frustra ergo videtur mihi dicere eum misericordem compacientem humilem, nisi aliquod eorum indicium exempli causa ponamus.

Misericordia eius pene omnibus superflua videbatur; ita ut etiam aliqui dicerent, quia eius negligentia in episcopio multa fierent inconvenientia. Quod etiam in exemplum sumens sanctus papa Leo: *Quis* inquit *huius sancti viri pacientiam unquam ascriberet misericordiae, et non potius socordiae?* Cumque populi multitudinem ad eius sepulchrum cum votis et oblationi- 1052
bus concurrentem[a] vidisset[2]: *Nunc* inquit *Bardo edificat, si* c. Oct.
ante neglexerat. Erat enim proverbium in populo, quoniam Bar-

a. concurrente *c.*

1. Isai. 58, 6. 7. 2. Leonem IX papam scimus anno 1052 Moguntiae synodum habuisse circiter m. Octobri. V. Regesta pont. Rom. p. 375.

donis edificium fornax esset, quem, cum ceciderit, tribus lapidibus reaedificasset.

Ergo compatientiae eius aliquod ponamus exemplum. Paschali tempore cum alicubi iter ageret, quidam ei obviam factus est, qui, de[a] reatu homicidii suscepta sententia, paschalibus diebus fuit in penitentia. Ad quem episcopus: *Tu* inquit *cuius respicis imperium?* Respondit: *Vestrum.* Cui ille: *Quis ergo te communis evinculationis tempore vinculavit?* Ait rusticus: *Peccatis meis instigantibus, feci homicidium; et ideo libens hoc pacior iudicium.* Non tulit hoc ultra episcopus, sed ait ad capellanum suum: *Depone ab eo sententiam.* Et ad rusticum: *Tu* inquit *ad tuum vade sacerdotem, et dic ei ex me, ut unum de duobus deliberet: aut ipse sententiam tuam impleat, aut se tecum suis orationibus redimat.*

Aliquod etiam humilitatis eius indicium proferre placet. Fuit Fuldae[b] quidam monachus nomine Luydnandus, moribus gravis et maturae etatis, huic sancto viro valde familiaris. Hic ergo quadam nocte vidit se quasi in via profundissima nigerrima et lutulentissima. Cumque ibi diu, viae nescius, cum magno labore pererraret, subito in margine laci aspexit quendam iuvenem etatis florentissimae et vestis candidissimae, qui ait ei: *Quo tu, miserrime, graderis? Erras* inquit, *nescis, quo devenies.* Ait monachus: *Ita est, domine. Miser ego, unde aut quomodo huc venerim, ignoro et, quo deventurus sim, nescio.* Et addidit: *Rogo te, adiuva me.* Misertus eius iuvenis, extensa manu, attraxit eum ad se; ducensque eum per pratum viridis[c] graminis et diversorum florum, ostendit ei magne dignitatis sedile, duosque iuvenes, in eodem eminenti loco stantes, illud sedile custodientes. Et ait ad monachum iuvenis: *Nosti, haec cuius sint?* Qui respondit: *Non, domine.* Ait iuvenis: *Archipresulis Bardonis haec sedes est, quam in tanta dignitate sola meruit humilitate; qui astant eam sibi custodiunt, usque dum exutum corpore in eadem sede recipiunt.* His dictis, mona-

a. de *addidi.* b. Fulda *c.* c. viridi *c.*

chus expergefactus somnium hoc nobis cum magna dulcedine narravit.

Post hoc eius studium et opus, cum divina benivolentia censeret eum transferendum ex temporali inconstantia et labore ad statum et quietem felicitatis eternae, ipse quoque conscius secretorum divinorum, multis orationibus et aliquanto attentioribus sancto Martino se commendavit. Aggressoque itinere ad 1051
Poderbrunnun properavit ibique regem[1] inventum humillime salutavit. Die ergo sanctissima pentecostes, agens ibi missarum Mai. 19
in publico sollempnia, post sancti euangelii lectionem stabat locuturus ad plebem. Sed quoniam nos in hoc libro in profundum navigamus, modo festinamus ad huius tematis litus, ut ne saturato lectori tedii pituitam[a] proponamus. Sermones autem eius, omni humana divinaque precellentes sapientia, legere volentes in tercium libellum differimus, in cuius campo studioso lectori nos satisfacturos credimus. Et digni sunt non oblivisci, quoniam et hunc sermonem, quem modo differimus, cum[b] declamavit, Spiritum sanctum per os eius loquentem dicere vocem omnium incitavit. Ergo postquam sermonis finem fecit, interiecta paululum silentii mora, suspiravit ex intimo corde, dixitque prophetica voce: *Iter acturus sum, patres et fratres, ad quod minus caute paratus sum. Longum est iter, sed sumptum brevem habeo; et quid faciam estuo. Ad castra enim regis aeterni vocor, ubi in me totum bellum vertetur, totus estus prelii; ubi si victus fuero — meritis enim meis stare non valeo — quid placandi causa iudici offeram, nescio. Vestras igitur preces precedere me precor et subsequi, quatenus ante maximum iudicem sine iudicio merear ingredi. Non enim iustificabitur in conspectu eius omnis vivens*[2]. *Et vos* inquit *si quid boni a me audistis umquam, rogo, servate et dignos vos regno, ad quod vocati sumus, preparate. Tempus enim breve est. Nunc ergo vos commendo* dixit *ei, qui vos mihi commendavit, Deo patri omnipotenti et verbo eius Iesu Christo domino et Spiritui sancto,*

a. pituita *c.* b. cum *addidi.*

1. Heinricum III. 2. Ps. 142, 2.

1051 Mai. 19 *in quo*[a] *ista dies celeberrima est; ut ab omni hostili incursu protecti, ingredi mereamini semitam operis recti. Ne ergo, filii, contristemini, quod ultima dico de me; quoniam amplius taliter non audietis me*[1]. Tum vero eiulatum, non populi, sed aecclesiae audires. Quoniam alii quasi exanimes obriguerunt, alii in fletus resoluti graviter gemuerunt; omnibus uno ore dicentibus: *Ei nobis, quando te tale carebimus.* Sic ergo, eadem die qua summi presulatus anulum suscepit, eadem die ultra audiri deposuit. Quamquam enim in festivitate sanctorum apostolorum Petri et Pauli consecratus[2] sit, die tamen sanctae[b] pentecostes[3] anulum accepit.

Transactis igitur diebus sollempnibus, accepta regis licentia, Mai. Iun. Mogontiam redire aggressus est, corpore quidem positus in itinere, sed caelo[c] mente intentus, agebat iam cum Domino causas suas, iudicii districtionem, consolationis spem; ita quidem, ut iam iamque vultus eius testaretur, quam alienus sibi mundus haberetur. Erat ergo vultum eius preter solitum disparem videre, nunc pro carnalibus gementem, nunc pro spiritalibus letantem; ut omnibus manifestum fieret indicium, quod cor eius inter spem ageret et iudicium. Sepe quoque primates eum comitantes causa consilii ad eum accesserunt; et, bis terque aliquid proponentes, cum tociens eius sententiam super hac eadem re sciscitarentur, ille, quid vellent, percunctatus est. Illis vero iterum iterumque multociensque eadem proponentibus, acsi nusquam ibi presens esset, tacitus permansit. Quem cum excitandi gratia, ut fieri solet, aliquando veste traherent, quasi de somno excitatus sive ab extasi reversus, subito contremuit et, quid vellent, acsi nichil ante dicerent, requisivit; ita ut monstro simillimum censeretur, quod, vultu motuque vigilans, sensu dormire videretur. Corpore enim solum inter homines positus, extra humana corde conspicabatur[d], et amplius de futuris quam de presentibus meditabatur.

a. qua *c.* b. sancti *c.* c. *sequitur lacuna. In cod. Zwetlensi, quo Wattenbach usus est, manus recentior addidit* mente intentus. d. conspicatur *c.*

1. Cf. Lamberti annales 1051, Mon. Germ. SS. V 155. 2. die 29 Iunii 1031. 3. die 30 Maii 1031, v. supra p. 544 n. 3.

Cum interim in locum, qui Nemus spinarum vulgo autem 1051
Dorneloh dicitur, devenit, ibique casu collisus, corporali molestia preventus est. Mai. Iun. Dolore vero ex hora in horam crescente, manifestum factum est, quod letum[a] non evaderet. Misit igitur sub omni celeritate ad suffraganeum suum Abbelinum episcopum[1] — qui eo tempore Fuldae[b] morabatur, utpote vocatus illuc a venerabili patre Egberdo abbate[2] ad sollempnitatem[3] dulcissimi et sanctissimi patroni Bonifacii — ut, si eum vivum vellet videre, non tardaret ad eum venire. Hisdem etiam verbis ad equivocum suum Bardonem iuniorem[4], filium fratris sui, monachum prenominati loci, ut quantocius venire properaret ad eum. Qui ambo, arripientes iter, cito venerunt ad eum. Utrique igitur ante eum presentati, cum ambos in lecto iacens solita dulcedine salutasset, insuper equivocum suum causa consolationis dulcius compellasset, tandem eiectis omnibus preter episcopum, huiusmodi ad eum aggressus est eloquium: *Dies vocationis meae prope est, sepe mihi optatus, semper formidatus. Et nunc non est meum, populum Christi desolare, quasi mortem non sim evasurus; cum certissime sciam, quod sim moriturus. Tu vero mecum, quod mihi certum est, dissimula; et si te quispiam interrogaverit, nec hoc scire te*[c] *assimila; quia gemitum populi ferre non valeo. Iam nunc ergo, ut filius sapientiae, scias, quid facias, ut populo dolenti consolationem facias; mihi vero secundum orthodoxe fidei religionem, sacri olei exple unctionem. Certum enim habeo, quod infirmitatis huius molestiam evadere non debeo.* Qui, tanti viri verba non ferens, cum ex imo cordis traheret suspirium: *Quid* inquid sanctus vir *facis, affligens cor*

a. lectum *c.* b. Fuldā *c.* c. nec hoc scire te *bis legitur in cod.*

1. episcopum Friteslariensem; qui comparet etiam in Gundechari libro pont. Eichstetensi (Mon. Germ. SS. VII 249): „Appulin Friteslariensis (episcopus)“. In Triumpho S. Remacli quoque (ibid. XI 445) memoratur ad a. 1066 Frideslariensis episcopus; ubi vide, quae adnotavit Wattenbach. 2. Fuldensi 1048—1058. 3. die 5 Iunii 1051 agendam. 4. Bardo hic, Bardonis archiepiscopi „fratruelis“, fuit postea abbas S. Albani Moguntinus. V. fragmenta epistolae Goswini ad Sigefridum archiepiscopum Moguntinum, Acta SS. Iunii T. IV 88.

1051 *meum? Queso, de leticia mea letare, et tantum huiusmodi gratia ingemisce, ut in conspectu Domini letus merear intrare.* Sic expletis sermonibus, expleta sunt omnia, quae mandavit episcopus.

Iun. 11 Venit igitur hora, multos gemitus motura, multas lacrimas roratura. Et ille vir Dei, pene oblitus infirmitatem propter instantem leticiam, quasi iam propinquans ad gloriam, cilicium in terra iussit sterni sibi, seque super illud levari. Quod ut factum est, ex animi dolore cunctis obrigescentibus et usque ad effusionem oculorum lacrimis effluentibus, sanctus pater, pie commotis super illis visceribus, graviter ingemuit; et, quicquid rideri potuit, causa obliviscendi meroris audientibus protulit. Ridens ergo ore, flensque corde: *Eia* inquit *quando etiam tantae duricie stratum incubui?* Et omnibus humido vultu ridentibus, et invito corde mirantibus etiam eum in tanta molestia posse ridere, intellexerunt[a], haec omnia fieri gratia consolationis movende. Quidam autem ex illis, accedentes ad eum, aiunt ei: *Spem tuam, pater, firmiter in Deo pone ac de eius inmensa bonitate presume; certus, quia non derelinquet te.* Causa enim humanae infirmitatis eum fluitare putabant, et ideo salubris ammonitionis ei verba ministrabant. Ille vero, verbis huiuscemodi commotus: *Et quid* inquid *omnibus diebus vitae meae egi, si hoc non egi? Ipse novit, an sperem in eum, et si umquam alio spem meam posuerim, nisi in eum. Opus eius ego, ille spes mea est. Quod placeat domino, operetur in servo.* Sicque versis ad caelum oculis, instante termino, iam egrius[b] dixit: *Fiat misericordia tua, Domine, super nos, quemadmodum speravimus in te*[1]. Deinde, non tantum dolore carnis coactus, quantum instantis angustiae conscius, ipse sibi oculos reverenter clausit, ceteraque sibi membra composuit. Solusque letus, tristibus omnibus; solus securus, sollicitus dudum; mundo mortuus, tandem vitae redditus; letus, relictis carnalibus exuviis, obdormivit, sociis letabundus angelicis. Quo viso, cuncti, quasi tum[c] primi-

a. intellexerant *c.* b. egs *c.* c. dū c.

1. Ps. 32, 22.

tus gementes: *He pater* inquiunt *cui nos dereliquisti?* Et rursus: *Pro parte* inquiunt *nostra reddat, quod debet tibi Dominus; quia, quem contristaveris ex nobis, non est unus ex omnibus.* 1051 Iun. 11

Postquam ergo dolori cordis multo planctu[a] satisfecere, tandem omnia, quae de sancto corpore facerent, deliberavere. Et tunc depositis in eiusdem loci aecclesia pietatis visceribus, quoniam quidem medie fuit estatis temporibus, utpote 3 Idus Iunii[b 1], ipsum corpus feretro imposuere, ut ad Mogontiam deportaretur, humandum congruis[c] honoribus. Sed interrupto hic ordine, antequam de hoc loco egrediamur, beneficia, quae ibi Dominus operatur per sancti confessoris sui merita, prosequamur. Sexta fuit feria[2], cum sancta illa anima sancto egrederetur de corpore. Quod[d] cum eodem die lotum esset[e], aquam, in qua abluebant eum, fuderunt ad radices arboris aride, quae ibi stabat in equore. Ipsi quidem, quem lavissent, non attendebant, sed hominem alicuius tantum bonitatis presumebant. Sed quante fuerit estimationis apud Deum, innotescunt mirabilia, quae propter eius merita operatur ibidem divina benivolentia. Nam, eadem feria eodemque momento quo aqua fusa est ad radices arboris aridissime, omni eadem feria sexta eodemque momento ex arido ligno in salutem multorum, Deo gratias, fluunt aquae plenissimae. Sed ad ordinem revertamur.

Igitur exequiarum obsequia circa viri Dei[f] corpus ambitiose celebrantes, levatum tandem cum feretro et equis super .....[g] perrexere, secum illum deportantes. Ubi cum devenissent et miseras congregationes, vultu squalidas et gestu lugubres, obviam invenissent, oritur utrimque[h] clamor fletus et multi ululatus; ita ut psalmodiam et cetera, quae canebantur, vix ex-

a. planctus *c.* b. Iulii *c.* c. humandum congruis *scripsi pro* humandis *c.* d. Quod *addidit Papebroch.* e. esset *addidit Papebroch.* f. viridi *c.* g. *lacuna non est in cod.* h. utrumque *c.*

1. Herimannus Augiensis cum necrologiis Luneburg. Hildesheim. Werthin. Prum. Seonensi diem 3 Idus Iunii tuetur; Marianus Scottus cum necrol. Mogunt. Lauriss. Salisb. et S. Maximini diem 4 Idus Iunii; necrolog. Mollenbeccense diem 5 Id. Iunii. WATTENBACH. 2. dies 11 Iunii a. 1051 non in sextam feriam incidit sed in feriam tertiam.

1051 Iun. hibere[a] potuissent. Crederes enim, unumquemque patrem matrem fratrem aut aliquem sibi maxime necessarium deplorare; ita enim irremediabili anhelitu non cessabant lacrimas rorare pupilli, orphani, cives et advenae, iuvenes, senes, viri et feminae. Omnium vox erat unanimis: *Heu, heu, pater amabilis.* Iudei etiam — quibus nulla bona curae sunt — ei obviam facti, ut venerandi viri feretrum viderunt, terrae consternati, caput pulvere consperserunt et dixerunt: *Heu, heu, pie pater; heu, pie pater;* addebantque: *Si christiani anima unquam requiem meruit, merito tua requiescere poterit.* Talis clamor et luctus nunquam visus est nostris temporibus. Nullus alium consolabatur, nullus consolari recordabatur; unicuique certum et proprium incommodum erat quod defleret, nedum alius alium consolantem haberet.

Tandem ad oratorium sancti Martini pervenere. Quo ingressi, sancti viri corpus in medio aecclesiae ante sanctam crucem deposuere. Providentes ergo post haec, ne forte corpus aliqua tabesceret corruptione, cum ad loculum secretius accederent pro hac eadem re, solutis quadam ex parte his, quibus innexus erat, tergoribus, non solum incorruptum eum invenerunt, sed insuper fraglantem thureis odoribus. Res tam magna pro nichilo habita est; quia, multis eius ignoratis virtutibus, putabant: odorem illum thuris esse, quod accendebatur humanitus.

Igitur die undecimo, postquam ad omnia oratoria eum circumduxerunt, post sacrificia sollempnis[b] oblationis et supplicationes aecclesiasticae intercessionis, tandem deportaverunt in locum depositionis. Horret nunc mihi mens, tabescit cor, deficiunt verba, lamenta populi explanare debentia. Quam lividae eorum facies, quam sanguineae acies; quam incompti[c] crines, quam incompositae vestes. Taceo deflenda, subprimo gemenda; ad letiora veniam, ut, quid tum[d] ibi fecerit divina benignitas, proferam. Multis ergo populi fletibus immolatis — quos illi peperit miseratio, quae cum illo ex matris egressa est utero — cum in

a. exhiberi *c.* b. sollempniis *c.* c. incompte *c.* d. dū *c.*

oratorio sancti Martini ante crucem sepulchro imposuere, tales 1051 Iun. odores, qui facile cuncta vincerent aromata, persensere, ut in tanta suavitate daretur intelligi, odorem illum fluxisse ex paradysi amenitate.

Requievit igitur anno etatis suae plus septuagesimo[a], nequaquam illum expertus laborem, de quo psalmista dicit: *Si autem in potentatibus octoginta anni et amplius eorum, labor et dolor*[1]. Sed in senectute bona et vita iocunda deponens temporalem, sine dilatione leticiam invenit eternalem, anno episcopatus ter septeno, numero mysterii pleno. Nunc autem clarescit signis et virtutibus, quae per illum operantur divinitus.

Pauca de Bardone diximus, si verba nostra cum factis eius conferre cupimus. Sed quis verbis comparabit[b] Bardonem? Ergo non tantum nostra prevalet infirmitas, quantum ipsius meretur dignitas; ideoque nostrae concedet devotioni, quod minus congrua suo diximus honori. Hic est Bardo, quem auris audiens beatificabat, et oculus videns testimonium reddebat sibi[2], eo quod liberasset pauperem vociferantem, et pupillum cui non erat adiutor[3]. Benedictio morituri super eum veniebat, et cor viduae consolatus est[4]. Iusticia indutus est, et vestivit se, sicut vestimento et diademate, iudicio suo[5]. Oculus fuit ceco, et pes claudo[6]. Pater erat pauperum, et causam quam nesciebat diligentissime investigabat[7]. Conterebat molas iniqui, et de dentibus illius auferebat predam[8]. Radix eius aperta est secus aquas, et ros morabitur in messione eius[9]. Gloria eius semper innovabitur, et arcus eius in manu eius semper instaurabitur[10]. Qui eum audiebant, expectabant sententiam eius, et intenti tacebant ad consilium eius[11]; verbis eius addere nichil audebant, et super illos stillabat eloquium eius[12]. Expectabant eum sicut pluviam, et os suum aperiebant quasi ad ymbrem serotinum[13]. Si voluisset ire ad eos, sedebat primus; cumque sederet quasi rex cir-

a. nonagesimo *c*. b. comparabis *c*.

1. Ps. 89, 10. 2. Iob 29, 11. 3. Iob 29, 12. 4. Iob 29, 13. 5. Iob 29, 14. 6. Iob 29, 15. 7. Iob 29, 16. 8. Iob 29, 17. 9. Iob 29, 19. 10. Iob 29, 20. 11. Iob 29, 21. 12. Iob 29, 22. 13. Iob 29, 23.

cumstante exercitu, erat tamen merentium consolator[1]. Flebat super eum qui afflictus erat, et compaciebatur anima eius pauperi[2]. Non contempsit subire iudicium cum subiectis[3], non negavit quod volebant pauperibus, et oculos viduae expectare non fecit[4]. Non comedit buccellam suam solus, sed semper comedit pupillus ex ea[5]. Non despexit pretereuntem, eo quod non haberet indumentum[6]; sed benedixerunt sibi latera pauperum, et de vestimentis eius calefacti sunt[7]. Quis loquitur haec? Numquid ego? Non; sed totus mundus. Loquitur terra, loquitur caelum, loquitur Deus in multis quae per eum operatur mirabilibus. Ergo non recedet memoria eius, et nomen eius requiretur a generatione in generationem[8].

1. Iob 29, 25. 2. Iob 30, 25. 3. Iob 31, 13. 4. Iob 31, 16. 5. Iob 31, 17. 6. Iob 31, 19. 7. Iob 31, 20. 8. Eccli. 39, 13.

ANSELMI HAVELBERGENSIS

VITA ADELBERTI II MOGUNTINI.

Quamquam Adelbertus II nec longum tempus praefuit ecclesiae Moguntinae nec rebus gestis magnopere floruit, tamen est in parvo numero eorum archiepiscoporum, de quibus proprios libros habemus. Et vita eius quidem, versibus tradita, ad regni Germanici historiam illustrandam non multum aut nihil omnino valet neque de ipsius pontificatus administratione accuratius erudiri cupientibus satisfacit, sed in rebus placidis potissimum minusque gravibus ludibunda quadam hilaritate versatur. Nam cum totum opusculum idque haud ita sane magnum quinque partes comprehendat, primi libri quatuor fere prorsus in scholarum commemoratione positi sunt, quas Adelbertus obiit Hildeshemii, Remis, Parisiis, Monte-pessulano. Neque tamen, qui versus scripsit, ipsius Adelberti peregrinantis comes fuisse existimandus est. Plane enim testatur, sese ex aliis scire, Hildeshemii quos progressus fecerit Adelbertus[1], et de vestibus equisque pretiosis, Remos eunti iuveni collatis, famam tantum ad se pervenisse[2]. Et quoniam Adelbertum memorat, cum Parisiis Moguntiam reverteretur, „non remotum“ templum S. Egidii[3] et Montem-pessulanum adiisse, abunde arbitror apparere, ab hoc etiam itinere longissime abfuisse poetam.

1. v. 141: Rem sapientibus hanc referentibus ingeniosam.
2. v. 205: Nec velut expertum, praesente vel indice certum,
hoc cano lectori . . . .
210: .. sic credatur hoc, tamquam fama loquatur,
non ego; qui scripsi, retulit mihi fama quod ipsi.
3. v. 790, 791.

Is vero quis fuerit, nobis est exploratissimum ex his versibus:

Set nec ego fictis, Anselmus, inhereo dictis,
ut mihi queratur favor, aut laus vana petatur;
cum sit lex talis decreti pontificalis:
ne quis aduletur, cathedrae qui rector habetur.

Anselmus igitur „cathedrae rector“ id est episcopus[1] *hunc de Adelberto libellum paravit*[2]*. Itaque cum carmen tempore Marcolfi archiepiscopi (1141 Iul.—1142 Iun. 9) conditum esse novissimi versus ostendant, et ex omnibus aetatis illius episcopis Germanicis uni tantum Anselmus nomen fuerit, de scriptore Anselmo episcopo Havelbergensi*[3] *(1126—1155) posteaque archiepiscopo Ravennate (1155—1158) constare fatearis. Nec mirum est, quod is, Havelbergae „insultus paganorum“ accipiens*[4]*, facere non potuerit, quin de Ottone episcopo Bambergensi et de „Transalbina gente“ per eundem ad Christi cultum conversa sedecim versus intermisceret vitae Adelberti*[5]*. Reliqua quidem,*

1. Hac enim voce „cathedra“ omnino sedem episcopalem significari, nemo est qui nesciat. Et quotiescunque verbum illud in ipso poemate positum est, eandem nimirum rem declarari reperimus: v. 825—827: „— pontificatum Christus Adelberto dedit, hoc herede reperto, qui cathedram (Moguntinam) regeret“; v. 831: „hic et pastores, cathedras moderando minores, qui suffraganei (ecclesiae Moguntinae) dicuntur“; v. 839: „inque thronum cathedrae (Moguntinae) duxere patronum (Adelbertum)“; v. 866: „Iam cathedrae (Moguntinae) factus successor (Adelbertus)“; v. 908: „cum cathedram (Moguntinam) regeret (Adelbertus)“; v. 1096—1098: „quia — cathedrae (Moguntinae) iura servaret deside cura“; v. 1141 squ.: „eligit heredem, cui dat Moguncia sedem — Marcolfum — qui meruisset .. cathedrae .. iura tenere“. 2. Ergo iacet Rogeri Wilmansii opinio haec: ab Anselmo praeposito ecclesiae S. Mariae ad gradus Moguntinae (1124—1151) esse opusculum videri. Cf. De arte medica saeculi XII dissertationem meam a. 1853 editam p. 17 et Wattenbach Deutschlands Geschichtsquellen (ed. 2) p. 480. 3. De Anselmi ep. Havelbergensis vita cf. Riedel in Ledebur Archiv für preuss. Geschichtskunde VIII 127 sq., Spieker in Illgen Zeitschrift für histor. Theologie X 2 p. 3—94, Strerath De Anselmo ep. Havelb. dissert. hist. Monasterii 1854. 4. V. Anselmi epistolam a. 1150 scriptam, in Wibaldi epist. 221 (Bibliothecae huius T. I 340): „In presepio meo Havelberch — alii sunt in excubiis ad defendendum contra insultus paganorum“. 5. vers. 846—861.

quae ad nos pervenerunt, Anselmi opuscula[1] *sunt soluta oratione expedita, sed eundem astricto quoque scribendi genere delectatum esse, iam antehac potuit animadverti ex illa epistola*[2], *ubi amicitiae culpam in Wibaldo abbate Corbeiensi reprehendit hoc versu:*

Wisera, curre retro, currat tamen Havala recte.

Non apparet, quibus rebus impulsus vitam hanc Anselmus composuerit. Qui quidem domo generene cum Adelberto quid habuerit coniunctum, ne augurari opinione quidem licet propter tenebras, quae origini eius iuventutique obductae sunt[3]. *Sed tamen, suscepto episcopatu Havelbergensi, Anselmum reperimus et omnino praesulum Moguntinorum usu abundasse*[4] *et cum ipso Adelberto II anno 1140 congressum esse*[5].

Inventum anno 1839 a Ludovico Bethmann[6] *opusculum de-*

1. Anticymenon seu Dialogorum contra Graecos libri III (ap. D'Achery Spicil. Parisiis 1677 T. XIII 88—252, Parisiis 1723 T. I 161—207) et Epistola ad Egbertum abbatem Huisburgensem (ex bibl. regiae Berolinensis ms. theol. fol. 80 chartac. saec. XV fol. 252v—261 edidit Spieker in Illgen Zeitschrift für hist. Theol. X 2 p. 95—120). Praeterea Anselmo attribuitur Tractatus de ordiue canonicorum regularium (ap. Pez Thes. IV P. II 75—110). 2. Wibaldi ep. 158 in Bibliothecae huius T. I 263. 3. Id solum maxime probabile est, Anselmum una cum Wibaldo, postea abbate Corbeiensi, ab Albrico professore didicisse Remis. De hac enim urbe cum plus quam trecentis sexaginta versibus propria certe observatione accuratissime agat Anselmus in Adalberti vita (v. infra vers. 241—608), Wibaldus et in ep. 150 (Bibliothecae huius T. I 241) sese scribit Anselmum „a iuventute sua summa dilectione esse amplexum" et in ep. 167 (ibid. p. 278) in praeceptoribus suis eundem „Albricum Remensem" numerat, de cuius laudibus Anselmus praedicat infra vers. 600—606. 4. Testis enim comparet Anselmus in tabulis his: Adelberti I archiep. d. Moguntiae 1133 Oct. 18 (Schultes director. diplom. I 305); Heinrici I d. Moguntiae 1143 Mart. 19 (Scheidt Anmerk. zu Mosers St. 688), Mart. 20 (Hahn Coll. I 78, Guden C. D. I 139, Schannat Vind. lit. I 181), in synodo (Guden I 135), Erfordiae 1143 Iun. 14 (Guden I 144), 1144 (Würdtwein Monast. Palat. I 212), 1144 Iun. 18 (Mone u. Aufsefs Anzeigeblatt II 64), Iul. 10 (Schrader Dynastenstämme I 232), 1148 (Stumpf Acta Maguntina p. 43—44), 1151 in synodo (Kremer Gesch. der Grafen v. Saarbrück p. 247). Cf. etiam Wibaldi ep. 221 in Bibliothecae huius T. I 341. 5. V. Adelberti II tabulam d. „a. 1140, ind. 3, consecrationis nostrae a. 1" in Braunschweigische Anzeigen von 1752 p. 709, ubi testis reperitur „Anshelm Havelbergensis episcopus". 6. V. Archiv für ältere deutsche Geschichtskunde VIII 42 et 519.

sumpsi anno 1863 ex uno, qui habetur, bibliothecae Bruxellensis codice 8892, membranaceo s. XII, forma octonaria, fol. 54—76; in cuius fol. 100v sic est: Hunc librum emit nota(rius) Philippus de Othoy anno Domini 1422 *et fol. 2 leguntur haec:* societatis Iesu *et:* Antverpiae don.. Prof..

Berolini pridie Kal. Februarias 1866.

Incipit proemium in vitam A(delberti) Maguntini archiepiscopi.

Temporibus letis florebat Roma poetis,
gesta tirannorum qui descripsere priorum
presentumque ducum, qui ius tenuere caducum
urbis Romanae vel honoris nomen inane;
quos stimulis irae mens[a] cogeret ante perire,
iure regendorum quam non fruerentur honorum,
sit quasi dulce mori, nisi succedatur honori; —
cum nichil esse ratum constet, nihil esse beatum,
hoc nisi firmetur per eum, qui cuncta tuetur.
Christus enim, verbum patris adnichilando superbum,
rapto iure throni perversorum ditioni,
dat fasces humili, dat regnum nobile vili[1],
in se credentes faciens magis esse potentes,
quam sine se magnos, ausos regnare, tirannos.
Quod genus elatum labor et sapientia vatum
laudibus ornavit, insignivit, celebravit;
nilque creatori vel rerum dispositori
laudis solvebant, fidei quia luce carebant;
cum non credentes per eum regnare potentes
vere constaret[b], regnique potentia staret;
pompa licet talis sit regibus exicialis.
Est igitur dignum, Regem laudare benignum
eius cultores, regni qui prestat honores.

a. *sic est* mors *correctum in codice.* b. constraret *c.*

1. Luc. 6, 20: „Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei".

Regibus inde bonis, vigor in quibus est rationis,
patribus et sanctis, ferventibus igne Tonantis,
debet preberi laus, quam decet his adhiberi.
Sic Adelberto, qui tamquam lux in aperto
fulsit in ecclesia, dat laudes nostra Thalia;
presule quo freta, viguit Maguntia leta.
Cuius, dispositam per quinque volumina, vitam
carmine signavi; quia spirat odore suavi,
ecclesiae morum linquens exempla bonorum.

De removenda falsitate materiae.

Utile quod credo, lecturis versibus edo.
Set nec ego fictis, Anselmus, inhereo dictis,
ut mihi queratur favor aut laus vana petatur;
cum sit lex talis decreti pontificalis:
ne quis aduletur, cathedrae qui rector habetur.
Ergo contendam, personam iure verendam
sic celebrem facere, reor ut ratione licere.

PRIMA DISTINCTIO.

Gallia, quae gentes consuevit habere potentes,
vergens[a] ad Renum — doctissima flectere frenum
quamlibet in partem, dum vult committere Martem —
edidit infantem, patrios[1] mores imitantem
nobilibus factis post primi tempora lactis.
Hic appellatus, divino fonte rigatus,
est Adelbertus, operum bene merce refertus.
Qui meritis magnis sibi succedentibus annis
sensim pollebat; nichil imprudenter agebat,
vincens maiores, vincens etate minores,
vincens equales prudens adletha sodales,
indole virtutum stipans latus undique tutum.
Set nec Adelbertus magis est florere repertus
qualibet in parte studii, quam nobilis arte.

a. vegns *c.*

1. Fuit Adelbertus filius Friderici comitis Sarbruccensis. V. Ottonis Frising. Vit. Frid. L. I c. 21 et 22.

1128 Hoc igitur pacto, fratrum celebri grege facto
claustrali iure, prelatio prepositurae[1]
cessit[2] Adelberto: Clerus sedet ordine certo;
primo maiorum favor hunc legit, inde minorum,
cumque pari voto par est favor in grege toto
et par consensus vel par concordia sensus.
Qui, sic electus, studuit iudex fore rectus,
non tepide quaeque dispensans fratribus eque.
Qui, fundamentum ponens verbis sapientum,
dictis doctorum superedificando priorum,
Saxoniae partes adiit, quod disceret artes; —
urbe licet patria luceret philosophia
ac scola floreret, qua doctior esse valeret,
si non cura chori foret huic invisa labori
nec rigor ecclesiae daret impedimenta sophiae;
nam psalmodia disconvenit atque sophia.
Quis, precor, arte pari poterit locus irradiari,
quam Romae similis Moguntia, mater herilis?
Hic studium crescit. Hic philosophia virescit
nec sinit hic[a] plane consumi tempus inane,
utilis indigenis, set commoda plus alienis;
nam iuxta morem predictum sive tenorem
non valet indigena refici dulcedine plena,
hic invitatis quam dat sapientia gratis;
quae, sua non parce bona dans, sedet urbis in arce,
convocat et gentes, refici dogma volentes.
Hoc igitur pacto non segniter, exule facto
hoc adolescente, res dignas scire volente,
Hildeneshem petitur, scola nobilis urbis initur.
Hinc petit ecclesiam, supplex orando Mariam,
iusticiae solem quae protulit innuba prolem.

a. *sic correxit manus alia saec. XII:* hoc.

1. S. Mariae Erfordiensis. 2. anno 1128. V. Annales S. Petri Erford. 1128 et 1138 (Mon. Germ. SS. XVI 18) et Adalberti I archiep. tabulam ap. Stumpf Acta Maguntina p. 15.

Nec fuit inde mora, quin fama repleverit ora
Hildeneshemensis cleri populique forensis:
advenisse virum, virtute vel indole mirum.
His igitur dictis, domibus prope claustra relictis,
clerus adest letus; ruit eius in oscula cetus
nobilium fratrum; nec abest electio patrum,
stringit et insertis collum predulce lacertis,
oscula prebendo, complexu membra fovendo.
Denique conventus patrum vel leta iuventus
imberbis cleri segnes timuere videri
sumptibus in dandis vel in expensis cumulandis
hospitis in cena. Quam prebent fronte serena,
munera mittentes, certant se prevenientes
obsequiis dignis, votis instando benignis;
donaque munifici prevenit amicus amici
largus Adelberto pietatis pignore certo;
maiores domini miserunt pocula vini,
set teneros lepores fratres misere minores
et dederant gratos fructus ex arbore natos.
Nec pietas aliquid vacuum fraterna reliquit,
quod non impleret; licet his non hospes egeret.
Namque vir immensus et habundans munere census,
presul A(delbertus)[1], sibi fautor ad omnia certus,
plurima pro votis concessit dona nepotis.
Prodigus argenti fuit artes scire volenti,
addens mente bona largus dator aurea dona,
tale decus iuvenum non vivere passus egenum;
non[a] patrui more patruelis captus amore.
Nam[b] contra votum faciunt plerumque nepotum,
non indulgentes patrui res sufficientes,
horum tutelae vel commisso patruele

a. N̆ *c.* b. N̆ *c.*

1. Adelbertus I archiep. Mogunt. (1111—1137), patruus Adelberti II. V. Otton. Frising. Vita Frid. L. I c. 21, Annal. Sax. 1138 (Mon. Germ. SS. VI 776), Annal. S. Disibodi 1138 (ibid. XVII 25).

patribus orbato, seu rerum iure locato,
quae pueris dantur cum testamenta notantur,
dum nondum pueri possunt sua iura tueri.
Lex etenim veterum fuit haec: ius credere rerum,
insuper infantes patriis rebus dominantes
his, quos maiores et stirpe fuisse priores
illi censebant, qui condere iura solebant.
Quod testamentum renovavit cura parentum,
membris vicinam languore minante ruinam;
inque cohercendis pueris vel rebus habendis
cura propinquorum successit vel patruorum
post obitum patrum; velut est in lege notatum.
Set ne turbetur res aut prior ordo moretur,
insistens operi, procedam calle priori.
Hospes amabilis et venerabilis, ut veniebat[1],
qua sapientia sive scientia magna vigebat,
a sapientibus atque valentibus ipse docetur
et sapientibus apta docentibus aptus habetur.
Verba poetica sive Platonica primo bibebat,
quae iuveniliter atque viriliter hic siciebat.
Postque negocia versibus ocia trita fuere;
sic nec inania tempora talia preteriere.
Tempora iungere, casibus addere verba solebat,
iunctaque singula sunt, quasi regula precipiebat.
Sic fuit huic leve post spacium breve, scribere prosam;
rem sapientibus hanc referentibus ingeniosam.
Inde, magistrorum data post precepta bonorum,
iussu pontificis, nimis expectatus amicis,
flos celebris iuvenum satagebat visere Renum.
Gaudet metropolis reditu Moguntia prolis.
Presulis Alberti mens est gavisa, reverti
incolumem iuvenem, plus blanda virgine lenem,
et tam constantem, ceu fama refert adamantem,
qui lapis in partes per nullas finditur artes.

1. Hildeshemium.

Hic speculum cleri poterat generale videri,
cum secum variae dotes venere sophiae.
Tunc per A(delbertum) rutilabat lumen apertum,
tota poetarum venit ars et norma scolarum.
Non in capsella, set cordis fixa tabella,
affuit et morum secum censura bonorum:
et decor et probitas, reverentia, zelus, honestas,
venerat et secum ius, utilitas, honor, aequum.
Postque dies paucos patriis in finibus actos
presul A(delbertus), bona persuadere disertus,
quo provisore Moguntia crevit honore,
suasit Adelberto iuveni sermone diserto:
deserat ut patriam, peregre querendo sophiam,
et logicam discat, ars ne percepta fatiscat.
Nam solet evelli, solet et de pectore pelli
non munimen habens fragilis sapientia, labens,
sit nisi firmata logicae vel clave serata.
Stringit enim clave dictum dialetica prave,
in melius referens sibi non ratione coherens.
Est etenim clavis logicae doctrina suavis,
argumentorum consistens vi logicorum,
omnia verborum constringens clave suorum;
temperat austera, facit elucescere vera,
haec bene secernens a falsis, utraque cernens
ardenti facie, cum sit pars prima Sophiae.
Namque sciens artem ferit obpositam sibi partem
et nichil opponi sinit oppositum rationi,
quod non dissolvat, cum respondenda revolvat;
resque cavillando ratione vel arte probando,
ingerit expresse, quod vult non esse vel esse,
donec vincatur, contraria qui meditatur.
Haec ubi sepe bonus monuit repetendo patronus,
nobile cor iuvenis flexit persuasio lenis.
Ergo laboratae vestes sunt arte paratae,
auro fulgentes, iuvenilia membra decentes;

conveniens quarum species erat exuviarum
heroum natis, patriam mutare paratis,
ad studium clarum mittendis Francigenarum.
Sic fit amictus ei diversae materiei;
telaque subtilis micat auri lucida filis,
sparsus et argenti color est in veste nitenti.
Set neque gemmarum deerat natura bonarum:
iaspis, crisolitus opus auxit, uterque politus;
pars operis miri notulis erat aucta saphiri;
nec nota berilli texturae defuit illi;
et per fulgorem topazius auxit honorem
purpureae vestis, notulisque iacinctus honestis;
his erat admixtus smaragdus, onix, amatistus;
auxit et ornatus clamidis pallore notatus
qui solet obscuram Calcedon habere figuram;
Sardius hic stabat, carbunculus hic radiabat;
nec fuit electus sardonix inde reiectus.
Purpura, gemmarum distincta coloribus harum,
tamque decens textum iuvenem velavit honestum,
sicut opinantur, per quos haec visa probantur.
Nec velut expertum, presente vel indice certum,
hoc cano lectori, set amici plaudo favori;
ergo cavillari iaculo sermonis amari
nemo potest digne rem, quam pertracto benigne.
Nec mihi credatur, nec quis mea verba sequatur;
set sic credatur hoc, tamquam fama loquatur,
non ego; qui scripsi, retulit mihi fama quod ipsi.
Denique tantorum completo fine laborum,
postque novum cultum vel opus mirabile multum
cetera quaerebat, quibus Athelbertus egebat.
Iussus emendorum fuit explorator equorum
perlustrare fora, iumenta legens meliora.
Emptor abit; studiosus[a] agit, quae iussa fuere;
era dedit; cum merce redit, quam comparat ere.

a. studio *in litura*.

Quadrupedes, quibus esse pedes sensit meliores,
ducit homo, prope pennigero motu leviores,
colla quibus cum pectoribus perplana fuerunt;
forma placet, coma pexa iacet, clunes decuerunt;
crura volant, set nec violant terram volitando;
nec macies, mala nec species est corpore blando;
nec maculae set nec notulae per terga notantur,
que vicio sint, aut odio iuste referantur;
nil oculis, nichil auriculis, nichil obfuit ori,
ut patuit, nichil hic tribuit natura pudori.
Quam fuerint lora, calcaria, sella decora,
quam celebres phalerae, non novit fama[a] silere;
aurea sella fere, set et aurea lora fuere;
auro fulgescunt, gemmarum luce nitescunt
calce viri clari calcaria digna ligari;
quadrupedes cingens resolutaque corpora stringens
perque latus pendens fuit auro cingula splendens.
Hos habet ornatus vir nobilis, ire paratus
pro studio peregre; proficisci nec tulit egre.
Inde salutando plerosque, set oscula dando
ecclesiae clero non affectu sine vero,
vadit, amicorum cetu comitante suorum;
dives et impensis, petit urbis tecta Remensis.

DISTINCTIO SECUNDA.

Ut memor annorum canit etas preteritorum,
finibus immensis urbis qui primo Remensis
menia vallabant et fundamenta locabant,
Remis ei nomen tribuerunt cedis ob omen,
dictum de Remo[1] pro mortis honore supremo.

a. *sic est* lingua *correctum in codice.*

1. Cf. Flodoardi Hist. eccl. Rem. L. I c. 1 (ed. Sirmond p. 1—3) „De urbis namque nostrae fundatore seu nominis inditore non omnimodis a nobis approbanda vulgata censetur opinio, quae Remum, Romuli fratrem, civitatis huius institutorem ac nominis tradit auctorem. — Probabilius ergo videtur, quod a militibus Remi, patria profugis, urbs nostra condita — putatur“.

Turribus et portis, valli munimine fortis,
urbs sedet in plano, quae pascitur aere sano.
Longis et latis et muris firma quadratis,
prominet alta satis, non parvae fertilitatis,
nec tam fecunda quam felix fluminis[1] unda.
Innumeros cives alit urbis copia dives.
Hic alit et clerum cunctarum copia rerum,
legibus ornatum, quas sanxit regula patrum,
iusticia plenum, pascentem vulgus egenum,
virginei moris vel casti signa pudoris
integra servantem, nec legis opus violantem.
Istius ecclesiae domus est in honore Mariae
condita; primorum tenet hic et culmen honorum,
que[a] genuit natum, carnis non passa reatum.
Hic et pontificis campis insedit apricis
Remigii sancti structura cella micanti.
Qui genus ignarum convertit Francigenarum
ad fidei cultum, prius intractabile multum;
primus et errorum genus et simulacra deorum
hic exstirpavit; et regem[2] fonte rigavit,
supra Francigenas tenuit qui iuris habenas;
huic et crisma sacrum fuit ad regale lavacrum
coelitus allatum[3], stillans per Pneuma sacratum.
Hanc prope metropolim fuit execrabilis olim
ardua templorum moles, conclave deorum.
Paret adhuc horum facies antiqua locorum;
templaque semiruta, lapidum compage soluta,
advena miratur; oculosque ruina moratur.
Set prope cum fine careat mensura ruinae
signaque cum veterum sint tecta iacentia rerum,
integra cum starent, quae sic modo diruta parent,
mole sui referunt, quae, qualia, quanta fuerunt.

a. quem *c*.

1. Vidulae (Vesle). 2. Chlodoveum I. 3. V. Hincmari Vit. S. Remigii c. IV § 63, Acta SS. Oct. T. I p. 146.

Causaque defectus fuit his: longeva senectus;
ventus et impingens, quo machina corruit ingens;
vel labor humanus, cito casurus quia vanus,
delubra[1] frangendo fragmentaque diripiendo,
ut nova fundaret vel tecta vetusta novaret,
traxit vicinas ad opus murale ruinas.
Urbs ea precellens, hostes virtute repellens,
firma suis muris, nec belli libera curis,
sepe movet Martem, sociando viribus artem,
militibus plena, doctis bene flectere frena
in giros faciles, dum temptat prelia miles,
miles equo vectus, caput alta casside tectus,
cinctus et ense latus, clipeo, thorace gravatus.
Hos habet invictus miles Remensis amictus;
pervigil in castris, noctem ducentibus astris,
fert quibus algorem; tolerans in luce calorem,
sole gerens ustum lorica corpus onustum.
Excitat hic etiam doctorum cura sophiam
nec languere sinit; quam nullo tempore finit.
Nam neque defectum capit ex etate profectum,
vi neque morborum perit altrix philosophorum.
Vincit et annorum tempus virtus animorum;
quae viret et floret, cum philosophia laboret
perpetuis curis: ut nota sit ipsa futuris
tam per preteritos rerum ratione peritos,
quam per presentes vim cognitionis habentes.
Talibus illectus studiis — set lacte refectus
nobilis altricis et fecundae genitricis,
quod dedit ad studia posito sibi prima sophia[2] —
venit A(delbertus); sapiensque fit, inde disertus.
Primo petit minimos doctores, postea primos;
primo minora notans, hinc maxima flumina potans
dogmatis ingentis, perfectis convenientis.

1. metitur dēlŭbra pro dēlūbra. 2. iunge sic: quod sophia dedit sibi (Adelberto) posito ad studia prima.

Set licet hic iuvenis equus ut dimissus habenis
esse videretur, nulloque iugo premeretur,
ipse tamen gratis, spreto vicio levitatis,
more boni iuvenis vitae melioris habenis
arguerat mentem, nil preter honesta gerentem.
Quem nisi doctarum tenuisset cura scolarum
et nisi prudentem traheret sapientia mentem,
politicus[1] fieret et sic in lege valeret,
tam tenui cura limando civica iura,
maior ut in turbis rectores vinceret urbis.
Nam quid firmarent, fieri quid lege vetarent
iuris consulti — mala iustis legibus ulti
dignaque reddentes his, quos videre merentes —
perspexit iuvenis, oculis utendo serenis.
Nec tam carnali quam lumine spirituali
perpendit verum, quo vergant pondera rerum.
Hoc ita perspecto rationis lumine recto,
consiliis sanis obstabat sepe prophanis
consultis iuris, in iudicio nocituris.
Non spe donorum causam tutando reorum,
set faciens rectum, pietatis habendo respectum,
causidicique boni seu facta sequendo patroni,
causam dicendo, iuvat oppressum redimendo.
Talibus intentus, est quantum passa iuventus,
profuit oppressis, se penituisse professis;
et quos involvit iniusta calumnia, solvit,
quosque cohercebat furor et non culpa premebat.
Et meliorum causidicorum maximus esset,
si studiorum nobiliorum fervor abesset.
Set sapientem fervida mentem cura trahebat
hancque labores utiliores ferre monebat;
utque scolarum propositarum dogma sequatur,
se retrahebat; quasque decebat, res operatur.

1. metitur pōlĭtĭcus pro pŏlītĭcus.

Unde bonorum philosophorum verba sequendo,
omne quod audit, pectore claudit, rite tenendo;
sic sibi totus fit cito notus philosophatus,
sic adolescens, arte virescens, est decoratus.
Cuique placebat, nam peragebat cuncta decenter,
quodque decebat, subveniebat cuique libenter.

Cumque sophistarum, velut unus Francigenarum,
ille frequentaret studium, quo Francia claret,
artibus indulgens et earum laude refulgens,
prenituit tantum respectu philosophantum,
sic didicisse virum, canerent ut compita mirum
et contra morem sit Francia passa stuporem.
Cum sit in hoc iuvene fundata scientia plene
artis septenae, qua mens effulget amene,
quadrivii lumen triviique patescit acumen
ingenio docili, quod posset more virili,
cor quia subtile sua vis probat esse virile.
Ut sum prefatus, fuit ergo stupor geminatus;
namque viro claro solet hoc contingere raro
ingenuoque nimis florenti rebus opimis:
ut totam mentem, studiorum lucra sequentem,
a mundo vertat; cum plus hic paupere certat
artes excolere, timeat quasi dives egere.

Namque solent mentes adhibere frequenter egentes,
ut capiant artes, patrias et linquere partes.
Plangit enim fenus modicum possessor egenus,
concipit et curas, queat ut res pellere duras.
Letaque paupertas fit, opes gavisa repertas:
has sibi donari, quas contigit arte parari.
Quas poscendo dari, formicam vult imitari;
anxia quae curas solet evitare futuras
et legit estate dispersa cibaria late,
quae bene collecta fert intra concava tecta,
stipans annona granaria corpore prona,
pondèra dum plura defert per agrestia rura,

his non usura, veniant nisi tempora dura
brumae candentis terrasque rigore prementis;
tunc dapibus partis utendo, cubilibus artis
non effert gressus, imos servando recessus.
Conveniens tali quoddam genus est animali,
quod, quia compellit paupertas, ocia pellit
inque sophistarum numerum venit; agmen avarum,
arte colens sensum, det ut ipsa scientia censum.
Quod genus instructum fert non sine crimine fructum,
quadrivii partes trivii vendendo vel artes.
Hoc et turpe genus, solitum conquirere fenus
ipsius ex arte, nulla laudabile parte,
pro lucro discens, a lucro nec resipiscens,
servat apum mores, similes imitando labores.
Colligit in rore mel apis, quod suscipit ore,
et trahit ex flore sucum non absque labore
ac brevibus cellis stipat donaria mellis;
donaque cum mellis det apum pars una rebellis,
altera de more venientium sumit ab ore
pondus dulce favi, vas implens melle suavi,
gaudet et in cellis distentis nectare mellis.
Fervet in hunc morem gens nata subire laborem;
sicut apes rorem sugunt vel in arbore florem,
non secus ardescit; logica nec ab arte quiescit,
arte sequens questum, sic fuscans nomen honestum.
Set pius A(lbertus), sine lucri peste repertus,
non regale genus violavit sicut egenus,
nec meriti clari vis polluit instar avari;
indolis ipse bonae liber fuit ambitione,
liber avaricia, quam nescit amare sophia.
Nec fuerat Cynicus, nec corrosoris amicus;
nec dolus inventus, set verus sermo retentus
eius in ore fuit. Verbum nec inutile fugit
illius ex ore; nec vox fuit absque rigore,
set quam dicebat, oratio pondus habebat.

Nec risum novit[a] nisi raro, nec ioca movit,
non sibi vulgari credens fas more iocari;
nilque licere putat, bona quod natura refutat,
vel quod erat morum contra decreta bonorum.
Tamque verecundus fuit et tam corpore mundus,
ut nequeat dici: mores cuiusque pudici
consimiles morum virtutibus esse suorum.
Set neque credendum foret hoc aut iure tenendum:
ulla quod huic similis persona fuisset herilis.
Hoc lex membrorum docet, hoc virtus oculorum,
corporis hoc gestus, docet hoc et vultus honestus;
ut neque lascivum queat aut culpare nocivum
Francia; quae iuvenum spargit per membra venenum
culpae carnalis, fons delicti capitalis,
precipitans iuvenes, nautas quo more Syrenes[1],
que mergunt naves, cantus modulando suaves.
Ac velut incautis Scillea pericula nautis
fiunt causa necis, antris sorbentia cecis,
utque Caribdis obest, dum nautis agnita non est,
equoreis undis abscondens vela profundis,
luxibus immensis sic ledit pompa Remensis
incautos iuvenes. Habet hec urbs namque Syrenes,
femineosque greges, solitos transcendere leges,
illicitisque thoris fines transire pudoris;
quorum conventus procerum mirata iuventus
fallitur, excipitur, sperata merce potitur.
Sic pereunt animae per luxus urbis opimae,
sic dimerguntur, dum carnis lege trahuntur,
Cumque sit incautis peccandi Francia causa,
sic per eam cautis non est sapientia clausa.
Protrahit iniustos in crimina prava voluptas,
set retinet iustos, ne peccent, casta voluntas.
Pena manet sontes, sceleris commissa luentes,

a. *sic est* movit *correctum in cod.*

1. metitur Sy̆rēnes *pro* Sȳrĕnes.

set manet insontes merces, peccare timentes;
in quorum numero tenet A(delbertus) honorem,
tempore qui tenero metuit violare pudorem.
Materiaque licet peccandi non caruisset,
dum mens casta licet viciis labi potuisset,
ille tamen stabat, frustra pugnante procella,
exemplumque dabat contra carnalia bella.

TERCIA DISTINCTIO.

Iam labor et studia crescunt florente sophia,
artibus immensis scola iam viget aucta Remensis,
cum florente statu studii res digna relatu
contigit a clero. Nec falsum misceo vero.
Christi natale, lapso populo veniale,
iam prope transibat, cleri cum turba coibat,
ut consuetudo fuerat: contendere ludo.
Nondum preteriti cum pars foret ultima festi,
frigus inhorrebat, via sub nive tecta latebat,
Ianus et instabat, ludo plebs tota vacabat,
mutua bella geri statuit cum concio cleri.
Frontibus oppositis, Romani more quiritis
moreque castrorum laterum stetit ordo duorum;
utraque ductorum servat pars signa suorum,
ad quorum nutum stat, ut est in Marte statutum,
tempus ut ipsa sciat, quo conflictatio fiat.
Utraque pars spectat, iaculum quo missile flectat,
estuat et scire, quem possit quisque ferire.
Set fuerat ferme totum simul agmen inerme;
nam nec eis scuta fuerant nec cuspis acuta,
nec riget ense latus, nec vertex est galeatus,
nec lorica gravis, conserta trilicibus hamis,
membra viri pressit, qui civica prelia gessit.
Arma ministrabat nix, dextera quam glomerabat.
Utque duces belli populo dant signa rebelli,
vultibus horrendi, bellum civile movendi,

et tuba castrensis sonuit, fit pugna Remensis.
Tollitur in coelum clamor. Volat undique telum
de nive compactum, non ferri pondere factum;
sic nive certatur, nec ferro pugna patratur.
Et pars prima ioci geritur sine lite feroci.
Proh facinus miserum! Mutantur prospera rerum
in miseram sortem. Tumidam subit ira cohortem
alterius partis veri sub imagine Martis,
quae non tuta parum vi constitit Angligenarum.
Ex numero quorum fuit unus origo malorum;
qui nive convolvit lapidem, pacemque resolvit,
et lapidem iecit, quo fronti vulnera fecit,
Teutonici vultum feriens. Quod non fit inultum.
Clerus inardescit, quia terra cruore madescit,
unda velut fontis qui fluxit vulnere frontis.
Lisque fit hic fortis, iustis conflictibus ortis;
nec res infestae sunt quo prius ordine gestae,
gesta set hic vere civilia bella fuere.
Res gladiis geritur; nive qui prius, ense feritur.
Instrepit armorum fragor et murmur lituorum;
bucina clangebat, quae vulgus ad arma ciebat,
non ioca suadendo set prelia vera movendo.
Teutonicis igitur in[a] bella cohortibus itur;
Francia, quos novit validos, in prelia movit;
fulmineos enses cives strinxere Remenses;
ardor et irarum genus excitat Angligenarum.
Set dum Mars fremeret, dum sors extrema maneret
ingenuum clerum summo discrimine rerum,
rumor Adelberto perfertur ab indice certo:
iam mundi florem, iam velle perire decorem
Teutonicae gentis in ferrum sponte ruentis;
et quia preclarum foret agmen Francigenarum
heu miserae sortis passurum vulnera mortis;
et quia matura nece sit manus interitura

a. *sic correxit in codice alia manus* ad.

miliciae gnara, quam miserat Anglia clara.
Nuncius haec referens tundit sua pectora merens
atque fidem verbis lacrimis faciebat acerbis.
Ergo pius iuvenis, constans et pectore lenis,
venit non lentus, ubi gessit bella iuventus,
quae fuit absentum spes interitura parentum.
Inque necem pronam iuvenum cernendo coronam
bellis instare, sic cepit eam revocare
ex hoc conflictu, dicendo salubria dictu:
O genus electum! Nec fas nec censeo rectum,
impia consertis vos arma movere lacertis.
Hoc etenim fieri prohibet sacra regula cleri;
ordinis et sacri lex ferro suadet ab acri.
Nonne Deus clarum lumen vos ecclesiarum
constituit fieri, si mites vultis haberi?
Nonne sacerdotum dabitis vice nobile votum
regi coelorum, per iura ministeriorum
patres dicendi vel pontifices statuendi
vel vice sacrorum fungendi presbiterorum?
Multis nonne locis vestrae facundia vocis
Christi virtutem referet, firmando salutem?
Ultima pars terrae vos sentiet ista referre
terminus et totus, quantumlibet ipse remotus.
Numquid nescitis, in quanto culmine sitis
virtutum positi, quanto vel honore potiti?
Nam vos coelestis ad sortem Principis estis
coelitus electi, si mens erit emula recti.
Nomen enim cleri, quod vobis constat haberi,
sors appellatur; quoniam de sorte notatur
esse Dei veri, qui vivit in ordine cleri.
Iuxta doctrinam sors fertur namque Latinam,
quam proprie Grai cleros[1] *voluere vocari;*
sic cleros Grece sors dicitur esse Latine.
Nec nisi pacificos faciet sibi Christus amicos,

1. κλῆρος.

mentibus in quorum Dominus regnabit eorum,
rege quod in David virtus divina notavit.
Rex etenim David, qui fundamenta locavit
templi maioris, auctor legalis honoris,
hoc non perfecit, quia culpa reum sua fecit
atque cruor multus, quem fudit se nimis ultus;
ipse set heredem, qui templi conderet hedem
et consummaret et, Rex tibi summe, dicaret,
iuxta sermonem Domini[1] *liquit Salemonem;*
qui, cum pacificus et mitibus esset amicus,
templum, quod struxit, hoc ad fastigia duxit
et consummavit, ceptum prius a patre David.
Ergo tenete manus, cadat impetus iste prophanus;
exemplisque bonis mens pacifici Salemonis
vestra reducatur; et pax utrimque geratur
in vestro numero, nec sit discordia clero;
regis ad exemplum queat ut consurgere templum
in vestris animis, meritis quod crescit opimis,
quo delectetur pietasque superna moretur.
Haec ubi dixerat, ira refrixerat, agmina flebant,
sevaque vulnera vel prope funera facta gemebant;
spicula ponere, federa iungere nemo moratur;
inde per oscula congrua copula consociatur.
Postque ferocia quisque negocia conciliatus
tecta reviserat et ioca gesserat, hic epulatus;
plurima fercula, plurima pocula percipiuntur;
postque negocia ludus et ocia plura geruntur.
O celeberrima plebsque miserrima, cur epularis?
cur, iuvenis prece libera de nece, leta iocaris?
Primo negocia gratis atrocia linquere posses,
si socialia letaque gaudia ducere nosses.
Hoc igitur pacto pacis iam federe facto,
noster A(delbertus), meritis et honore refertus,
est habitus clarus, vitae pro munere carus,

1. V. 2 Reg. 7, 12. 13.

quam dedit afflictis sociis, prope morte relictis.
Magnaque pars cleri sub amoris pignore veri
eius subponi gratis voluit dicioni,
et dextram dextrae personae iunxit honestae.
Tamque potentis heri iuga fert manus extera cleri,
cuius se credit fidei. Nec segnis obedit;
huic hilari gratum dans affectu famulatum.
Clerus et ecclesiae, famulans in honore Mariae
virginis et matris[1], fovet hunc cultu pietatis,
cui se subdit homo pars ex hoc maxima clero;
nominis immensi fratres sic urbe Remensi
non piget huius heri, nec se servire fateri.
Utque fides cleri non falsa putetur haberi,
in fidei signum votum sanxere benignum;
nam manus inserta manibus dat pignora certa
voti ferventis, fidei vel labe carentis.
Cumque scolas multas, quas artis plena facultas
reddiderat claras, sibi censeret fore caras,
plus tamen Albrici[2], quae senserat optima dici,
dogmata maiora sibi censuit utiliora.
Qui, nova pandendo set non antiqua silendo,
littera quae cęlat vetus aut nova scripta, revelat,
dogmatis immensi dux primus in urbe Remensi,
testamentorum pandens secreta duorum.
Cuius ut[a] imbutus fuit arte, sagax et acutus
ingenio culto, comitum redit agmine multo
ad patrias partes, velut omnes duceret artes,
flos iuvenum, iuvenis studiorum liber habenis,
post studii dotem patruo revocante nepotem,
presule quo letum tenuit Moguntia cetum
catholici cleri; meruit velut ille teneri.

a. *sic est* et *correctum in cod.*

1. clerus ecclesiae S. Mariae Remensis. 2. De Albrico professore Remensi, postea (1136—1141) archiepiscopo Bituricensi cf. supra, Bibliothecae huius T. I 278 n. 6.

Set preter reliquos, quos secum duxit, amicos
prodigus ille dator nec fictae laudis amator
duxit honoratos, equitum de sanguine natos,
Francigenas, tenerae pubis qui flore fuere
inque nivis more vultus nituere decore;
quos meritis patrum vel ob acta celebria matrum
miliciae more procinctus donet honore,
nobilium natis dans arma decentia gratis.
O decus immensum! Dextra dans divite censum,
gazas expendis, inhias nec rebus habendis.
Munera sparsisti, tironibus arma dedisti,
posset ut hoc opere melius tua fama nitere.
Tempore dumque brevi vir honestus, adhuc rudis evi,
tempora ducendo perstaret in urbe manendo,
est ex fluminibus quae nomen adepta duobus —
flumine nam duplici fertur Moguntia dici[1] —
dum foret hic, inquam, non movit ad aspera linguam
iurgia, nec verbis famam corrupit acerbis.
Set si forte gravis sermonibus edita pravis
in numero cleri dissensio cepit haberi,
hanc bonus orator pacisque repressit amator;
a viciis puros ostendens esse futuros
cives coelorum per congrua federa morum,
et quia pacifici divino munere dici
iure Dei nati[2] possint sine lite notati,
et quia ventura sit sontibus ultio dura,
qui contra mites audent insumere lites.
Monstrat et, ingentes penas plerosque nocentes
iuste passuros, set regna bonos habituros.
Set neque scripturas celavit sive figuras,
tam scripturarum quam rerum vim tipicarum.

1. Simili modo Serarius (Moguntiacarum rerum L. I cap. 4 p. 14) ex tribus aquis urbem nominatam esse somniat: ex Moeno fluvio, et Gonz et Cia (hodie Zey) rivulis. 2. Matth. 5, 9: „Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur“.

Per quem digestus fuerat sacer ordine textus,
et quam noticiam traxit per philosophiam
artis mundanae, facit elucescere plane.

Haec ubi completa per eum sunt pace quieta,
per cuius nutum nichil extat inane statutum —
set manet a fine, nichil experiendo ruinae,
finem contingens, sapientia quam dedit ingens —
presulis[1] illustris mens, rebus provida iustis,
addere maiorem iuveni molitur honorem.
Utque nichil desit, set ut artis culmine presit
his, quibus equalis fuit et discendo sodalis,
admonet hunc iterum, dans consilium sibi verum:
hauriat ut vivum, quem dat sapientia, rivum;
utque requiratur, quae summa magistra vocatur,
Francia, quae[a] novit et eum velut ubere fovit
discipulum carum, prius usum lacte scolarum;
set perfectorum stipe nunc opus esse ciborum,
et superesse manum, quae possit reddere planum
et consummatum vel ad[b] unguem philosophatum.
Hic monet, hic paret, non quod prius ipse vacaret
lusibus et lite — gereret cum cuncta perite —
set quia non apicem studii nec contigit arcem
pre numero cleri, quin par sibi posset haberi,
qui studiis magnis viguisset pluribus annis.
Paruit ergo patri mitis dilectio nati,
nolens pontifici gravis aut contraria dici;
paruit et votis patrui pia cura nepotis.

Ergo, pio sibi consocio cetu veniente,
pro trivio pro quadrivio parat ire repente;
carpit iter, graditur pariter cetus sociorum.
Flent iuvenes, gemuere senes, dolet ordo bonorum,
flent laici, flent canonici, iuvenem proficisci;
quisque dolet, qui facta solet iuvenis reminisci.

a. quam *c.* b. velut *c.*

1. Adelberti I.

Iam veniunt, iam suscipiunt hos advenientes
Francigenae, simul Angligenae clamore strepentes;
Parisius, locus eximius bene cultus, initur;
hic requies, hic leta dies fessis reperitur.
Hic studium fuit utilium vel questio rerum,
hic patuit scola, nec tacuit dialetica verum.

DISTINCTIO QUARTA.

Tempore quo iuvenis, radiis par pene serenis
Phebi candentis, subit urbis tecta potentis,
cepit ei dici virtus et fama Thedrici[1].
Qui fuit orator et rethor et artis amator
grammaticae, logicae, vitam ducendo pudice;
cuius erat genitrix Britannia, Francia nutrix.
Huius ut audivit famam, non segniter ivit
visere doctorem, veluti iuvenis seniorem,
hospes munificus. Videt agnoscitque Thedricus
vultum regalem. Stupet et rem Francia talem,
nunc iuvenis morem, nunc ammirando decorem
purpurei vultus. Movet hanc et gloria cultus
et novus ornatus, color et de murice natus,
set magis haec ora stupet aspiciendo decora.
Qualis enim Phebus veris solet esse diebus,
Cinthia vel plena quantum solet esse serena,
Lucifer aut qualis, vultus est gratia talis;
lux etiam similis, quam forma micat iuvenilis,
claruit in iuvenis membris diffusa serenis,
constitit et voto naturae corpore toto.
Set dixisse satis sit de membris decoratis,
quae natura bona ditavit per sua dona.
Ergo viam repetam, ne deserat orbita metam,

1. De eo apud Iohannem Saresberiensem (Metalogicus L. I c. 14, Opp. ed. Giles V 35) sic est: „Teuredus tamen noster grammaticus, scientia quam opinione potentior, etiam in sonis elementariis ampliorem numerum convincebat“. Cf. Buleus Hist. univers. Paris. II 775, Hist. littér. XIII 304.

et sequar inceptum, nichil appositurus ineptum.
Corpore iam sospes, animo nec languidus hospes
discipulus dici dignatur et esse Thedrici;
rethoricos flores variosque legendo colores,
grammaticus fieri logicusque laborat haberi.
His tribus intentus, set non ad singula lentus,
quamque colens partem, decuit ceu qualibet[a] artem.
Disputat, opponit, probat et contraria ponit,
infert concludens; fieri cavet hoc sibi prudens
nec sinit opponi, quod ineptum sit rationi
quodque refragetur logicae, vel inane probetur.
Set neque rethoricam renuens, Ciceronis amicam,
rethor et orator, defensor et insidiator,
iudex et testis, studiis intentus honestis,
esse laborabat. Causamque suo variabat
arbitrio discens, huic convenientia miscens,
coram doctore distingens verba colore
fictaque verborum. Geritur res ordine morum,
ne tunc turbetur, cum seria causa movetur.
Et quia res gravis est, hanc rem predicere fas est;
nam ceu testantur, qui rethoricae famulantur,
causarum genera tria sunt[1] in lite severa,
quae satis ars hominis secernit in ordine finis.
Rethor enim, verum pensans examine rerum,
qui precepta dabat, haec sic pro fine vocabat:
iudiciale genus causae, quod abhorret egenus,
quod tunc tractatur, cum iudex ius meditatur;
demonstrativum, quod fit quandoque nocivum,
hoc tum[b] tractatur, cum demonstrando probatur,
premia censentes notat aut penas statuentes.
deliberativum[c] Hinc causae genus est, cuius non conveniens est

a. quamlibet *corr. in* qualibet *cod.* b. cum *cod.* c. deliberativum *in margine posuit manus eadem.*

1. Auctor ad Herennium II 2: „Tria sunt genera causarum, quae recipere debet orator: demonstrativum, deliberativum, iudiciale". Cf. Ex Isidori orig. libro secundo ap. Halm Rhetores latini minores 507, 508.

ob legem metricam nomen quod carmine dicam,
nam si dicetur[1], lex metrica lesa feretur;
hoc ego prudenti diffinio scire volenti:
hoc genus est, quaeque cum quis deliberat eque;
idque senatores spectat genus et seniores;
namque senatorum lex est et patriciorum
ordo, quod illorum bene conscius officiorum,
consilio quaeque gerat et deliberet eque,
unde minoretur res publica vel reparetur.
Artibus his geminis, in partibus ens peregrinis,
floret A(delbertus) quasi flos in vere repertus.
Preter quas artes studet octo revolvere partes,
grammaticam[2] querens et ei vigilanter inherens.
His in discendis tribus artibus et retinendis
sumere lautorum non vult alimenta ciborum,
potibus et parcens, somnumque frequentius arcens;
strata premit raro — posito velamine claro
causa provectus — plebeio tegmine tectus.
Utque solent homines ad metae tendere fines,
ut cursu celeri possint in agone mereri
cum bravio dona, caput amplectente corona;
utque, carens veste, certamen inire palestrae
laudis ob eventus oleo solet uncta iuventus,
accipiens laurum dignumve laboribus aurum:
sic perfectorum sudans in agone laborum,
etatis tenerae cepit fervore valere
noster A(delbertus), rationem reddere certus
de re, quam didicit. Sua nam collegia vicit
tam meritis morum quam proventu[a] studiorum.
Quid referam vero, quantas in paupere clero
fecerit expensas, replens per fercula mensas

a. *sic est* provectu *correctum in cod.*

1. dēlĭbĕrātīvum. 2. Cf. Martiani Capellae Satirarum L. III § 326, ed. Kopp p. 323: „Haec cum grammatice — dixisset, — Minerva talibus intervenit: „„Ni fallor, octo partes orationis velut incunabula repetitura intimare disponis““.

dansque, memor Domini, sicienti[1] pocula vini.
Sicque pius iuvenis, sibi parcus, largus egenis,
esuriem victu, frigus pellebat amictu.
Pauperis et cleri vult procurator haberi.
Donaque doctori[2] dat magna set equa labori,
exule maiora, set nobilitate minora;
nam si preberet, quae se prebere deceret,
dona[a] daret pene tot, quot reputantur harenae.
Denique completo studio, parat omine leto,
quasque sciens artes, patrias invisere partes
dispositis rebus paucis prius ipse diebus.
Tunc vero gemitus sonat imo corde petitus,
tunc oritur fletus, locus est merore repletus,
luctibus immensis vacat incola Parisiensis;
set iuvenis mitis, verbis utendo peritis,
cives solatur; spondens reditum, lacrimatur.
Hinc facie tristi lugens petit ora magistri,
eque lugentis, iuvenem vel abire dolentis.
Inde, salute data, largitus et oscula grata,
cum numero turbae prodit pius exul ab urbe.
Set quia sanctorum pervenit fama locorum
ad tam devotum iuvenem: non esse remotum
Egidii Sancti[3] templum, veniale precanti,
pervenit huc hilaris. Astansque salubribus aris,
Egidium poscit, quod fas aut utile noscit;
munera sic dando vel fletibus ora rigando.
Exit, iter rapitur, letis successibus itur.
Hinc adolescenti succeditur advenienti
Mons Pessulanus, cui presidet incola sanus,
phisica qua sedes medicis concessit et edes.
Hic et doctrina preceptaque de medicina
a medicis dantur[4], qui rerum vim meditantur,

a. donat *c*.

1. Matth. 25, 35. 2. Thedrico. 3. St. Gilles, d. Nemausensis.
4. Hinc liquet, Montispessulani scholam medicinalem iam anno 1137 floruisse.

sanis cautelam, lesis adhibendo medelam.
Ergo manens didicit breviter, quod phisica dicit,
perspiciens causas naturae[a], res sibi clausas;
non ut lucra ferat vel opes hoc ordine querat,
set quia de rerum voluit vi noscere verum.
Ingeniosus vel studiosus tunc redit hospes
et sociorum tota suorum concio sospes.
Sic, duce Christo, vectus ab isto Monte quietus
tendit, ameni littora Reni visere letus,
hospes honestus, mente modestus, corde benignus,
dulcis, amandus, pectore blandus, corpore dignus.
Quem venientem sive petentem patria rura
quando videbant, leta ruebant agmina plura.
Hunc meliores et seniores excipiebant,
canonicorum vel laicorum vota strepebant.
Presul honorem tunc et amorem fert patrueli,
plura loquendo, plura monendo voce fideli.
Hinc parvum numerum Phebo volvente dierum
ac adolescente patria regione manente,
presul A(delbertus), de Christi munere certus, 1137
proiciens fragile corpus[1], turbavit ovile, Iun. 23
cui bene vivendo preerat, quasi pastor alendo;
turbavit clerum, flentem contraria rerum,
a dominis terrae metuit quae[2] plurima ferre.
Set desolatum magno patre pontificatum
Christus Adelberto dedit; hoc herede reperto, 1138
qui cathedram regeret vel iura relicta teneret.
Ergo prioratus cleri, cum plebe vocatus, Apr. 17–22
miliciaeque decus, fieret consensus ut equus,
ordine sederunt et consona verba dederunt;
hic et pastores, cathedras moderando minores,
qui suffragari dicuntur et auxiliari

a. naturas *c*.

1. Adelbertus I archiep. obiit 1137 Iun. 23. V. Annales S. Disibodi 1137. 2. sc. contraria.

1138 metropoli sanctae, sunt partis in ordine stante.
Haec ubi perfecta sunt, ut vult regula recta,
eligitur[1] voto parili, livore remoto,
presul A(delbertus); set et insonat ordo disertus
plebis vel cleri: quia sit bene dignus haberi,
in quo nitatur Moguntia sive regatur.
Psallitur, inque thronum cathedrae duxere patronum,
qui dominus cleri, pater est et dignus haberi.

Quo sic electo, sicut decet ordine recto,
Mai. 29 pontifices veniunt, sacra pontificalia fiunt
in iuvenem clarum; quem patres ecclesiarum
ordine donabant[2], oleo liniendo sacrabant[3],
sicut pastorem decet, ordine, iure priorem.
In numero quorum princeps erat officiorum
ponens Otto manum supra metropolitanum,
presul magnorum Bavenbergensis honorum.
Cuius non minimis meritis set fulsit opimis
cura, vacans opere, lucra dans, quae grata fuere
quaeque iuvandarum dederant fructus animarum.

Hic etenim gentes, lapides et ligna colentes,
traxit ab errore Christique replevit amore,
ecclesias condens et vitae premia spondens
his, qui perstarent, ne dis holocausta litarent.
Sic Transalbinae genti, sors ceca ruinae
dum fuit ablata, lux est in pectore nata.
Laude nec humana, cuius sunt premia vana,
Otto fuit captus; donis coelestibus aptus,
quae feret in coelis, qui supra pauca fidelis
servus erit Domino, dono gaudens inopino[4].

Set quia verborum deflectitur ordo meorum
extra materiam, primam sequar ipse Thaliam;

1. Moguntiae, „tertia ebdomada post pascha“, (i. e. 17—22 Apr.). V. Annales S. Disibodi 1138. 2. i. e. ordinabant. 3. Bambergae „octavis penthecostes“ i. e. d. 29 m. Maii. Annal. S. Disibodi 1138. 4. Matth. 25, 21.

pontificisque novi, cuius iam facta removi,
carmine propositam nitar perstringere vitam.
Iam cathedrae factus successor pene coactus, 1138
mitis A(delbertus), summi Patris assecla certus,
exuit iratum vultum[a], cor habens tribulatum.
Cives protexit, sua cautus ovilia rexit,
verba salutifera dans, lenia sive severa;
proque modo facti, meriti vel criminis acti,
aut vindicta datur vel merces digna paratur.
Sic exempla bonis augendae religionis
et documenta malis, cadat error ut exicialis,
presul A(delbertus) dedit, auctor ad haec duo certus.
Utque regendarum doctissimus ecclesiarum
provisor fieret nec eum res summa lateret,
barbam sive comam pascens, petit[1] advena Romam, 1140
miliciae numero septus vel divite clero.
Venit, suscipitur, hoc hospite Roma potitur.
Convenit accitum, vario sermone peritum,
sedis apostolicae rector[2], solatus amice;
ecclesiaeque statum sub eo pastore locatum
querit. Et hortatur: quod[b] se presente loquatur,
quod gerat in mente; ferat hic quia se tribuente,
quicquid ad ornandam petat ecclesiam venerandam,
sicut metropolim decet hanc; quae floruit olim
tam plebis numero quam rebus et inclita clero;
quae satis ornari meruisset et irradiari
tam precellenter, fuerit quam culta decenter
moribus et meritis, doctoribus usa peritis.
Quae dare corde bono se vovit papa patrono,
inter eos solida sit et ut dilectio fida.
Haec ut apostolici sanxit veneranda potestas,
presul agit grates propter res ordine gestas.

a. multum *c.* b. *sic est* ut *correctum in cod.*

1. „a papa Innocentio vocatus", Annales S. Disibodi 1140. 2. Innocentius II papa.

1140 Muneribusque datis, donis et utrimque receptis,
presul ovans rediit, condignis rebus adeptis.
Cuius in adventum prodit collectio cleri,
ceperat et populus gaudenter ab urbe moveri;
signa trahunt alii, clerus cum plebe canebat,
presule pro reduce, Christo qui vota ferebat.
Limen et ecclesiae pastor pius ingrediendo,
pulpita[1] conscendit, quae iussit papa loquendo;
hic et apostolici clero patefecit amorem,
illius ecclesiae qui vult augere decorem.
Haec ait, et signo crucis astantes benedixit;
et verbis hilares dimisit, ut omnia dixit.

QUINTA DISTINCTIO.

1140-1141 Cum cathedram regeret, cum pastor ovile teneret
regis A(delbertus) coelestis preco disertus,
rebus inherebat, fieri quas papa iubebat;
et quod sermo sonat, qui iussa salubria donat
unde salus nasci solet et mens credula pasci,
quae iuvenis legit, evo maturior egit.
Legibus afflictos pravis et carcere strictos
solvit, et algentes vestit, cibat esurientes,
visere[a] languentes, recreare studens sicientes,
hospes egenorum, curam bene gessit eorum.
Quos tumor inflavit, humiles hos esse rogavit,
divinam vocem penamque timendo ferocem,
penam torquentem vocem, tormenta monentem.
Sic bonus orator, patriae pater, urbis amator,
quicquid ad effectum perduxerat utile, rectum,
et bene quod fecit, ad profectum patefecit
plebi subiectae, suadens hanc vivere recte.
Qui bene, susceptis a Christo quinque talentis,
est tot lucratus[2], prudenter in his operatus.

a. *sic est* viscere *correctum in codice.*

1. ambonem. 2. Matth. 25, 20.

Exercetque bonus ut agrestia rura colonus, 1140-1141
semen ubique serens et fructum postea querens,
quem solet offerre bene fertilis area terrae,
in grege pascendo Domini sic arva colendo
eclesiae sanctae, set Christo fructificante,
inter pastores fructus dedit uberiores;
vulsis ex hominis viciorum pectore spinis,
cordibus inserto virtutum munere certo.
Quae tanto levius in pectore fecit alius,
cum foret interna vi lucens ipse lucerna;
quae non celatur modio, quod non videatur,
nec latet occulta, supra candelabra fulta
dum iacit insignem, lichnis ardentibus, ignem,
unde domus plena resplendet luce serena[1].
Sic erat hic lucens; sua post vestigia ducens
ecclesiae cetum, de tali presule letum.
Errantemque gregem divinam discere legem
compulit, urgebat, et oves in ovile trahebat
summi pastoris gressu vitae melioris.

Nec tantum gentes Reni vicina colentes,
per sua set motae parte sunt verba remotae;
sermoque, quem fecit, sic plurima corda refecit
et bonus effectus: ut clerus, utroque refectus,
votum pontificis animis sequeretur amicis.

Qui, Domini cultum cupiens excrescere multum,
haec habuit vota: fratres regione remota
et prope se positos, divina lege peritos,
ad Domini bella sacra coniungere cella;
propositum quorum notat asper cultus eorum
et cibus exilis potusque refectio vilis;
propositi testis color est et lanea vestis,
cui sine tinctura remanet nativa figura;
lege coartantur: verbis ne sepe fruantur
nec referant vana, nisi quae vult regula sana.

1. Matth. 5, 15.

1140-1141 Hic vitae callis confratribus est Clarivallis;
hic tenor, hi mores penes omnes sunt meliores,
qui bona mundana reputant et gaudia vana[1].
Cumque sacerdotum princeps tam nobile votum
pectore conciperet, et in hoc mens fixa maneret:
ut, grege collecto qui viveret ordine recto,
ecclesias faceret, gregis in quibus ordo maneret,
1141 dignus defleri, cepit languore teneri;
qui sibi, maturam mortem signando futuram,
ebibit humorem, membris tollendo vigorem.
Fecit et exiles artus languor iuveniles;
set neque candorem retinebat forma priorem,
quae facie grata florem prius est imitata
aut ebur incisum, mulcens albedine visum.
Lactea languebat cervix, manus egra tremebat;
quaeque iuventa genas vestivit flore serenas,
perdidit effectus, torpens velut egra senectus;
denique nec color est prior et neque pristina vis est.
Ergo, culparum non immemor ipse suarum,
quicquid peccavit nec per bona facta piavit,
ne queat urgeri pena, vult sponte fateri
hoc confessori, solvendi iure priori.
Ergo vocatus adest, cui debita solvere fas est.
Ingemuit merens, veniam pro crimine querens,
eger, et excessus pandit, delicta professus.
Culpa relaxatur, pondus merore levatur,
expiat et scelera dolor et confessio vera;

1. De Cisterciensium ordine Anselmus in Dialog. L. I (Acherii Spicil. XIII 113): „Proinde“ inquit „in Burgundia in loco, qui vocatur Cistercium, fere nostris temporibus surrexit alia nova congregatio monachorum, ab omnibus, qui dicuntur et sunt monachi, ordine et habitu differens. Et quoniam virtute patientiae et abiectione habitus et regulae diligenti observatione et sanctae paupertatis amore et ardentissima religione alios praeminere videntur et excellunt, innumeros suae religionis et formae imitatores habent. Inter quos nostris temporibus apparuit quidam abbas in loco qui dicitur Claravallis, nomine Bernardus“ cet.

nec male plectetur, qui se peccasse fatetur, 1141
ore sacerdotis culpis plerisque remotis.
Ergo coronandus a Christo presul amandus,
fletu perfunctus, oleoque salubriter unctus,
sanguine se[a] Iesu cum sacri corporis esu
postquam munivit, iter omnis carnis inivit[1]. Iul. 17
Presulis ob letum dedit Erpesfordia fletum,
flens, in se florem patriaeque ruisse decorem.
O qui disponis vi secretae rationis
omnia, rex regum, iusto tamen ordine legum!
Iure doleremus, qui tali patre caremus,
si casu fierent et certa lege carerent
res contingentes, set coelitus advenientes.
Quas, licet infestas homini, divina potestas
providet et fieri discernit, provida veri.
Actibus humanis sic non dominatur inanis
casus, et incertum nichil est vel inane repertum;
cum res terrenas per certi iuris habenas
hic complectatur, coelestia qui moderatur.
Ergo pontificis mors sic toleretur amicis,
per dispensantem res sicut facta Tonantem;
qui sic finiri statuit res sicut oriri,
ortum sic hominis statuens ut tempora finis.
Post obitum patris ingemuit satis urbs[2] populosa,
movit et omnia pectora conscia mors preciosa.
Exequialibus undique laudibus hunc comitatur
clerus, honoribus atque favoribus huic famulatur,
turba frequens plebeia sequens illum lacrimatur,
cum careat, cum non habeat, per quem doceatur.
Exequias lacrimasque pias quicunque notabat,
hoc donum meruisse bonum patrem reputabat.

a. de *c*.

1. obiit Erfordiae die 17 Iulii a. 1141. V. infra versus 1068 et 1069, Annales S. Disibodi 1141: „moritur 16 Kal. Augusti"; Annal. S. Petri Erphesfurdenses 1141 (Mon. Germ. SS. XVI p. 19): „obiit in Erphesfurt".
2. Erfordia.

1141 Sic seniorum canonicorum concio flevit,
nec laicorum nobiliorum turba quievit.
Hinc venerandum corpus humandum turba ferebat,
hocque Moguntia metropolis pia suscipiebat.
Ante tamen celebrem corpus quam tangeret urbem,
claret amor verus, quem dat post funera clerus;
nec minus apparet, quin vivum vulgus amaret,
cui sic defuncto supplex favet agmine iuncto.
Utque pateret amor populi, ferit ethera clamor;
unguibus ora secat, merorem planctibus equat.
Signa, cruces sanctae, vexilla, choro famulante,
obvia delata precedunt membra beata;
donec delata fuerant in templa sacrata
urbis procerae, pre tectis quae nituere,
turribus alta nimis, ornatibus inclita primis.
Haec domus ornata, caput urbis et aula vocata,
est subiectarum metropolis ecclesiarum.
Corpus ut hic igitur condatur, fletibus itur;
postque sacros ymnos expletos, presule dignos,
et post missarum, quae spe fiunt animarum,
vota celebrata, tumulo sunt membra locata,
diluta pigmentis, personae more potentis.
Vixque fides dictu, precioso quam sit amictu[1]
presul A(delbertus), tumulo ponendus, opertus.
Quae caput ornabat, gemmis intexta micabat
infula, pontifici quae posset idonea dici;
aureus ex parte clara color emicat arte,
set fuit argenti pars sparsa colore nitenti.
Casula tum qualis foret aut stola pontificalis,
claruit ex opere nec res est passa latere:
casula fulgebat gemmis, auroque rubebat,
corpus odoratum tumulo complexa locatum;
fulgurat insertis gemmis stola, digna lacertis
iudicio cleri talis quae fertur haberi.

1. humerali.

Qualia[a] scit texta Serum connectere dextra, 1141
membra tegit rutilis dalmatica, lucida filis,
artis ab auctore multo perfecta decore:
pondere gemmarum rerumque notis variarum.
Albam[1] cum fanone[2], subtile[3] pari ratione
dextera perfecit opifex, qua cetera fecit.
Hos habuit cultus, quam rexit in urbe sepultus,
presul honorandus, coelesti veste beandus.
Virga[4], patena[5], calix[6], anellus[7] pontificalis
ordine congesta digitis sunt, pectore, dextra.
Inque sepultura non desunt cetera iura,
quae celebrandarum lex exigit exequiarum,
Christum fine bono tali querente patrono.
Neve quis ignoret vel frustra scire laboret:
presulis expletum fuerit quo tempore letum;
hunc sexto decimas sciat eripuisse Kalendas Iul. 17
Augusti mensis; qui parma manebat et ensis
desolatorum, spes et tutela reorum,
ecclesiae fauctor[b], patrie dux, pacis et auctor,
regula vivendi, persuasor iuris habendi.
Quem Deus, exemptum tenebris seu[c] morte redemptum
misterioque crucis, sublimet munere lucis,
quae nequit expleri, minor et neque maior haberi.
Una set inponi, non conveniens rationi,
res huic pontifici solet et contraria dici;
quam decet evelli, ne serpat more rebelli.
Nam quidam referunt, qui famam carpere querunt
patris A(delberti), mendaces esse reperti:
pocula quod medicus sibi confecisset iniquus,
quae data pontifici specie medicantis amici
facta repentinae[8] fuerint sibi causa ruinae;

a. Q̊ua *c.* b. *manus altera addidit* c *supra fautor.* c. ſ; *c.*

1. tunicae speciem. 2. mappula. 3. tuniculam. 4. lituus. 5. in qua frangitur hostia. 6. quo vinum eucharistiae offertur. 7. anulus. 8. V. Annales Colon. maxim. 1141 (Mon. Germ. SS. XVII 759): „Albertus Mogontinus archiepiscopus subito obiit“.

1141 cumque sub hac pena sibi senserit hausta venena,
iusserit, ut partem quam miscuit ipse per artem
phisicus hauriret, quod sumpto felle periret.
Qui, secedendo prius hoc rectore verendo,
sic, ut nascendo, prevenit eum moriendo.
Ergo relinquatur livor, ne fama prematur
tanti pastoris perversi morsibus oris.
Nec probo rem quandam, simili ratione notandam.
Vulgus enim memorat — quod res augere laborat
falso sibi dictas primo vel ab[a] indice fictas —:
vox quia coelestis, venturi prescia testis,
mortem maturam sit vaticinata futuram
pontifici magno; quia par foret ipse tiranno,
predia sanctarum discerpens ecclesiarum,
et cathedrae iura servaret deside cura.
Sermoque vulgaris verbis iactabat amaris:
hanc nimis atrocem factam de presule vocem
cuidam perfecto, magis ipso presule recto;
qui, cum novisset rem, pontifici retulisset,
ut sibi prospiceret, cum mors vicina maneret.
Pars ea dicebat, quae non livore carebat,
parsque per inclusam divinis vocibus usam
haec referunt dicta mulierem, nec fore ficta.
Set ratio veri diversa videtur haberi
a re predicta, removens a presule ficta.
Nam fuit abbatum quidam, vigil in grege fratrum,
qui bene provexit, iusto quos ordine rexit,
inque Deo stabilis curam bene gessit ovilis.
Cuius basilica, quo more columba pudica,
primo solebat ali doctrina spirituali;
pontificisque boni Moguntini ditioni
haec erat adiecta, sua per munimina tecta.
Set qui prelatus fuit, hic est insidiatus
vitae pontificis, quasi sic prodesset amicis;

a. ab *addidit manus altera.*

cuius facta nimis distabant ultima primis. 1141
Nam sibi prelatum per ius vel pontificatum
dixit non eque dare vel disponere quaeque;
immo detenta queritur monachis alimenta.
Raptaque causatur, per quae nec clerus alatur
nec cenobitae, quibus est conversio vitae,
immo tirannorum nati vicibus[1] monachorum,
ordinibus densis dociles assistere mensis
presulis elati, fruges consumere nati[2].
Nunciat ergo: sequi censura iudicis equi
pro pena mortem, nisi corrigat hanc cito sortem[3].
His plebs perceptis rem verbis auxit ineptis;
et quod homo fatur, mala dum ventura minatur,
vox quia coelestis foret, est plebs perfida testis;
invidiamque bono conflat verbosa patrono,
sit quasi dampnatus, cui sit Deus ista minatus.
Quod quia non sit ita, patet ipsius indice vita
indicioque Dei patet, est qui fons requiei
dives; habens votum: coelo genus addere totum,
in se quod credit, operatur, sperat, obedit.
Iamque sepulchralis honor et favor exequialis
desiit et fletus, tenuitque silentia cetus.
Cumque satis planxit, sibi quem pro presule sanxit,
eligit heredem, cui dat Moguncia sedem
aeclesiae sanctae; clero cum plebe probante:
Marcolfum iure tali succedere curae,
per genus et mores hos qui meruisset honores
coelitus accipere, cathedrae vel iura tenere.
Hoc igitur pacto conspirantum grege facto,
presul ut eligitur, sacratur, honore potitur.

1. vice. 2. Hor. Epist. I. 2, 27. 3. Propter hanc narrationem ea, quae supra p. 405 legitur, Ruthardi abbatis Eberbacensis epistola a me non ad A(rnoldum) sed ad A(dalbertum) II relata esset, nisi infra Christianus in chronico definite scripsisset sic: „Erat quidam abbas in claustro Eberbach — qui ipsum Arnoldum pro suis excessibus saepe litteris arguit et imminentia pericula intimavit“.

VITA ARNOLDI ARCHIEPISCOPI MOGUNTINI.

Turbulentiorem quam Arnoldi episcopatum non facile viderunt Moguntini. Is enim, post ipsam violentam Heinrici I archiepiscopi dimissionem praefectus ecclesiae Moguntinae, tanta importunitate severitateque utebatur, ut, cum per septem annos nec armis nec iudiciis ad mansuetudinem coactus esset, odio iraque efferati oppidani episcopum, sine omni fere praesidio ad urbem incredibili audacia adeuntem, incenso S. Iacobi monasterio, trucidarent.

Atque has procellas Moguntinas, brevi spatio interiecto[1]*, memoriae prodidit clericus*[2] *Arnoldo deditissimus, qui usque eo*

1. Arnoldi archiepiscopi die 24 Iunii a. 1160 necati vitam tempore Victoris IV antipapae (1159—1164 Apr. 20), ideoque intervallo annorum 1160—1164 compositam esse, facile intellectu est; propterea quod scriptor, probato Victore IV m. Febr. 1160 in concilio Papiensi, schisma omnino sublatum esse refert (ad 1159 Nov.) verbis his: „Et scismatis cancer infaustum eo usque ecclesie corpus irrepserat, quod christiane unitatis soliditatem pene sua infecisset malitia, nisi inspirante Deo catholici principes huic generali morbo ancipiti gladio spiritus per abscisionem festinassent occurrere“; (cf. etiam ad 1160 Febr., ubi Victoris auctoritatem „sole clarius apparuisse“ legimus). Huc accedit, quod gravissima Moguntinorum poena, a Friderico I imperatore m. Aprili 1163 pro nece archiepiscopi sumpta, ne leviter quidem in Arnoldi vita attingitur, ut arbitrari liceat, iam ante hunc eventum exstitisse librum. 2. Boehmer quidem (Font. III p. XLVI) et Wegele (Arnold von Selenhofen p. 31) abbati illi, Arnoldi asseclae, opus addixerint, qui semivivus a Moguntinis in vincula ductus esse traditur in Arnoldi vita ad 1160 Iun. 24. Sed ut omittam, quod abbas, si libri scriptor esset, contra vulgarem illius temporis modestiam de se ipse sic praedicavisset: „viriliter et sine metu ad illos prorumpens“ cet., illud omnino monachico nihil quadrat scriptori, quod Godefridus abbas S. Iacobi Moguntinus (v. ad 24 Iun. 1160) cucullatus diabolus vocatur.

secutus est occisi causam, ut nae illum nefario scelere sublatum at superbum tamen dominum faceret hominem mitissimum omnium prorsusque sanctum martyrem. Habuit idem captiosum quoque illud narrandi studium, quod et nimio verborum cultu et orationibus penitus confictis exornat factorum simplicitatem; velut tristem rerum exitum videmus tinctum esse copiosis Arnoldi dictis precibusque, quae mortalium nemo audivit. Sed ceteroquin tamen adeo perite eaque ubertate de re universa tractavit, ut non solum in tanto favoris fuco tum nuda Arnoldi natura tum ipsae motuum illorum causae appareant, verum pervagatior etiam aetatis illius memoria non mediocriter locupletetur. Hinc nimirum proferendo in publicum tali opere Boehmerus, usus hac inscriptione: „Martyrium Arnoldi archiepiscopi Moguntini", anno 1853 (Font. III 270—326) de rerum Germanicarum historia graviter meritus est.

Ad eundem librum novis curis recolendum adhibui codices duos, ex quorum altero cum Boehmerus editionem suam effecisset, alterius tardius cogniti varietatem tantum attulit l. l. p. XLVIII—L. Qui quidem hi sunt:

1. codex chartaceus olim collegii societatis Iesu Moguntini, nunc bibliothecae universitatis Wirziburgensis ms. fol. 187, ab Antonio Ruland, ut iam supra p. 520 dixi, benignissime ad me missus, in cuius fol. 91—119 invenitur Arnoldi vita manu saec. XV descripta[1]*;*

2. codex manu saec. XVIII scriptus, chartaceus, quondam Würdtweinii, deinde sacerdotis Dewora, hodie bibliothecae civitatis Francofurtensis, qui nititur in duobus Iohannis Gamansii apographis „ex ms. Blanckenheimensis comitis" deductis[2]*. Et hunc quidem codicem anno superiore in ipsa bibliotheca Francofurtensi evolvi.*

1. Hartzheim Concil. Germ. III 383—384 edidit a. 1760 vitae fragmentum, ex hoc codice desumptum. Sic enim adnotavit: „Ex vita ms. Arnoldi archiepiscopi, quae exstat in codice ms. bibliothecae collegii Moguntini societatis Iesu, descripsit Schannat b. m." 2. In prima enim codicis pagina leguntur haec: „Nota bis a Gamansio sine titulo descripta erat ex ms. Blanckenheimensis comitis".

Haec duo vitae Arnoldianae exempla artissime inter se coniuncta sunt, ac licet utrumque haud exigua ad recensendum librum afferat, tamen ex communi fonte manabant[1], *et eo quidem tantopere vitiis laborante, ut coniecturali emendandi officio deesse minime licuerit.*

Berolini 8 Kal. Martias 1866.

Virum misericordie, cuius iustitie oblivionem non acceperunt[2], venerabilem martirem Christi, Arnoldum archiepiscopum Maguntinum omnium fidelium posteritati[a] intimandum iubente caritate suscepimus. Non quia sufficienti preconio eius nos posse virtutes miserationesque arbitremur efferre; sed ne vel intra silentium ipsius vita finisve languesceret vel oblivione prorsus periret[b], aggressi sumus super tanti novitate negotii verborum nostrorum habenas magistra veritate laxare. Novum quippe tormentorum et nostris temporibus immo a seculis inauditum fuit genus simul cum penis expertus. Verum, antequam nostre obedientie manus reverentissimi viri attrectent martirium[c], vite ipsius iacienda sunt fundamenta tamquam materia; ut ex discipline conversationis morumque eius structura novi martirii[d] crescat edificatio in templum sanctum Domino[3].

Itaque venerabilis Christi martir Arnoldus pago Maguntino ex religiosis nobilibusque parentibus extitit oriundus. Qui ab adolescentia sua, bone artis preclarique facinoris normam sectatus, nullis[e] incuriarum ineptiis, quibus huiuscemodi etas solet occupari, animum dedit. Sed[f], tamquam dominici agminis[g] ar-

a. prosteritati 1. b. perierent 1. c. martirum 1, martyrium 2. d. martirii 1, martyris 2. e. nullisque 2. f. se 1. g. *sequitur* sed *in* 1.

1. Id ubique fere intelligi potest. In utroque codice est etiam Arnoldi vitae appositum fragmentum chronici a Christiano scripti: „Perpetrato hoc scelere — multipliciter est afflicta" (cf. Christiani chronicon infra). De quo quidem fragmento non recte iudicavit Boehmerus, qui alienum operis additamentum cum vita Arnoldi coniunctum proposuit, et largitorem Christianum censuit spoliatorem fuisse. 2. Ezech. 33, 13: „omnes iustitiae eius oblivioni tradentur". 3. Ephes. 2, 21: „in quo omnis aedificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino".

gumentosa[a] apis[b], totus suspensus in Domino, ad sanctarum scripturarum capessendam[c] doctrinam ipse sedulus anhelabat; meditans prophete vaticinantis oraculum, quod, qui docti fuerint, fulgebunt sicut splendor firmamenti[1], et quia scientia et prudentia custodiunt rectorum salutem et protegunt gradientes simpliciter[2]. Unde cum diutina[d] instantia sub theologice discipline[e] ferula sudaret et secundum apostolum a domino Deo, qui dat omnibus affluenter scientiam, vias suas dirigi in lege Domini instanter deposceret[3], magnificavit Dominus facere cum ipso[4]; ut sancte scripture scientiam, que in incepto sibi dispositio fuerat, tamquam discretionis rationabilem habitum indueret.

E studio igitur devocatus ad propria, cum omni devotione divino se manciparet obsequio, et dum moribus scientia ac honestate super omnes coetaneos suos emularetur religionem virtutum, senilemque ipse iuvenis etatem virtute transcenderet et quasi eximium sidus inter ceteros celebri conversatione splenderet, affuit mox ille, cuius invidia mors introivit in orbem terrarum[5]. Affuit, vidit et invidit. Doluitque famam sanctam et[f] opinionem boni viri, que longe lateque crebuerat; et superseminavit zizaniam in medio tritici[6]. Aggressusque est in venerabilem virum tela invidie persecutionisque molimina per suos satellites intorquere, vitium virtutem ferre non prevalens. Sed Dei protegente clementia, hostium cuneos ut immunis a culpa sic a lesione semper pertransiens, tyrannidem evasit; se ipso cottidie melior et maior et Deo et hominibus acceptabilior clariorque existens. Ipsa vero turma hostilis e contra, nevo tabescens invidie, in sese[g] fatiscebat assidue, invidie spiritus tabe cancerata atque consumpta. Sui namque officii finem sortitur[h]

a. augmentosa 2. b. ovis 1. c. capescendam 1. d. divina 2. e. disciplina 1. f. ne 1. g. se 2. h. sortitus 1.

1. Dan. 12, 3: „Qui autem docti fuerint“ cet. 2. Prov. 2, 6: „quia Dominus dat sapientiam; et ex ore eius prudentia et scientia“; 2, 7: „custodiet rectorum salutem et proteget gradientes simpliciter“. 3. Iac. 1, 5: „si quis — indiget sapientia, postulet a deo, qui dat omnibus affluenter“. 4. Ps. 125, 2: „magnificavit Dominus facere cum eis“. 5. Sap. 2, 24: „Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum“. 6. Matth. 13, 25.

invidia, dum afficit spiritus invidie: spiritus afficiens[a] atque studiose[b] genitricis sue diligens officium, scilicet[c] officere. Unde quidam ait:

Iustius invidia nihil est, que protinus ipsum
Auctorem rodit excruciatque[d] animum[1].

Reverendus autem vir Domini, ut dictum est, in medio nationis prave et perverse[2] civium suorum tamquam luminare clarissimum refulgens, quanto magis persequebatur, tanto magis in gloria et honore crescebat, ad altiora proximaque virtuti semper se erigens. Namque[e] — ut dicitur, ab extremo ungue usque ad supremum calculum per dignitatum gradus ascendens[f] — postquam sibi Deus fecerat nomen magnum iuxta nomen magnorum qui erant in terra[3], ut[g] splendore indutus principum[h],
1152-1153 imperialis aule illustrissimus cancellarius[4], quasi alter imperator in latere imperatoris imperii prestaret officio, circa omnes afflictos pia et clementissima gestitans viscera, orphanorum viduarumque ac Yberniorum Scotorum[5] — quos ultima mundi ad nostre meditullium terre baculo peregrinanti transmittunt — omniumque peregrinantium oppressorum unicum gremium armarium et tutissimus existebat portus[i]; ut cum beato Iob dicere posset: *Cumque sederem quasi rex in solio meo, eram tamen merentium consolator*[6]. Raro pauper a manu ipsius vacuus quandoque recessit. Tempore vero ingruentis inopie, que totam Ger-

a. afficiens — ait *om.* 2. b. atque studiose *scripsi pro* et qui studio 1. c. scilicet *scripsi pro* sed 1. d. excruciamꝯ 1, excrucians 2. e. iamque 2. f. ascendit 2. g. et 1. h. principm̄ 1. i. *om.* 1.

1. Mauritius Haupt me docet, inveniri hos versus in Hieronymi ep. ad Galatas L. III c. 5 (Opp. ed. Vallarsius VII 508): „Pulchre quidam de neotericis, Graecum versum transferens, elegiaco metro de invidia lusit dicens: „„Iustius"" cet.; et in Anthologia Graeca XI 193 (ed. Iacobs, Lipsiae 1814 T. II 376) sic esse:

Ἀδέσποτον.

Ὁ φθόνος ἐστὶ κάκιστος, ἔχει δέ τι καλὸν ἐν αὑτῷ.
τήκει γὰρ φθονερῶν ὄμματα καὶ κραδίην.

2. Philipp. 2, 15. 3. 2 Reg. 7, 9. 4. Friderici I regis a Martio a. 1152 ad Iunium a. 1153. 5. De quibus cf. Wattenbach Die Kongregation der Schottenklöster in Deutschland (in Quast u. Otte Zeitschrift für christliche Archäologie und Kunst I 21 sq.). 6. Iob 29, 25.

maniam fame profligatura minitabat[a], tercentos pauperes — propria manu obsequiis exhibitis — alimoniis sollicitus et specialiter nutriebat; aliis quibus victum largiebatur adhibitis, quorum non est numerus. Mensa autem ipsius multo frequentique paupere hospite ac peregrino[b]. Tanta namque opinio elimosinarum suarum ac pietatis circumfuderat pauperes, quod ad ipsum tamquam ad proprium certumque promptuarium ubique concurrerent. Religionem autem super aurum et lapidem pretiosum[1] omnemque pulchritudinem artius amplectens, illius professionis viros, quorum iugiter fruebatur contubernio quorumque[c] presentiam[d] post Deum venerabatur, tamquam fratres et patres fovebat, honorabat; manum auxilii misericordie sollicitique tutaminis sine intermissione ipsis impertiens. Ecclesiis etiam propensius intendens, beneficiis eas multis et magnis pro eterna retributione dotabat. Diruta earum resarcire, dilapsa atque dispersa congregare, et ne caritas seu religio penes ipsas tepesceret vel remitteretur, sollicitus erat. Disciplinatissime vite rigorem huiuscemodi tenuit, quod principes omnes eius verebantur[e] presentiam, cessabantque loqui in eius conspectu et digitum superponebant[f] ori suo[2]. De[g] ipsius quippe probatissime conversationis specimine talis elucebat moralitas, ut quilibet, qui hanc experientia[h] adipisci valeret, inventum tesaurum tamquam pretiose margarite[3] portaret. In orationibus ieiuniisque quam creberrime procumbens, divinum officium tanta venerabatur instantia, ut in beatissime Marie officiorum inpensis, licet seniles multisque laboribus fatigatos gereret artus, numquam ipsos, nisi gravissima invalitudine pressus, quiescendos quandoque remitteret; innumeras venias[4] toto corpore Domino cum lacrimis et gemitu solvens. Et cum terreni imperii pro assumpto officio instantius occuparetur obsequiis, numquam ei pigrities[i] sompni 1152-1153

a. profligatura minitabat *scripsi pro* profligaturam nutabat 1, profligatura putabatur 2. b. *sic codd.* c. quorum 2. d. pn̄cia 1, praesentiam 2. e. ferebantur 1, verebantur 2. f. supponebant 1, superponebant 2. g. Ex 2. h. experientiam 2. i. pigrities *scripsi pro* ingeries 1. 2.

1. Ps. 18, 11. 2. Iob 29, 9: „Principes cessabant loqui et digitum superponebant ori suo“. 3. Cf. Matth. 13, 46. 4. inclinationes.

1152-1153 subrepsit[a], quin medio tempore noctis iuxta prophetam ad confitendum Domino surgeret[1]. Quadragesimali quoque tempore clam sibi mattam submittens pene[b], id temporis spatium noctibus insompne ducebat, in orationibus gemitu lacrimisque pernoctans. Ad insigne quoque tanti viri mirabilitatis preconium hoc[c] accedit: quod, si quando — vel rigore iustitie vel ex humanitatis innata commotione — iram conceptam, qua mortalium nemo caruit, in aliquem vel dampni vel detrimenti illatione[d] perfunderet, mox ultricem discipline corpori suo usque ad sanguinem virgarum addebat vindictam. Et sic, per verberum dirissimas[e] cruces excessum patratum perexpians[f], domino Deo intra cubiculum cordis in ara crucis se ipsum mactabat. Vir itaque, summis virtutibus fultus, sibi notus erat et Deo.

Iamque ad canos reverentissime et venerabilis sue persone usque pervenerat, dum divina satagente[g] clementia de multis
1153 aliis dignitatibus, clero Maguntine metropolis unanimi[h] eligente, populo acclamante, imperatore cooperante, Romano pontifice[2]
Iun. 7 agente — deposito[3] Heinrico archiepiscopo — Wormatie, uni-
post Iun. 14 versa terra plaudente, ad summum meruit provehi sacerdotii gradum; letantibus et exultantibus universis[i], quia respexisset Dominus plebem suam et metropoli illi Maguntine, que multa pastorum insolentia hactenus graviter laborarat, in tanto et tam venerabili patre providisset. Exultat apostolica sedes in tanta columpna ecclesie, resultat imperium de tam illustrissimo principe, consultant[k] principes in principe[l], plaudit[m] Germanica[n] tellus in mirifico presule.

Verum licet sit scriptum: *Qui episcopatum desiderat, rem bonam desiderat*[4] — studium enim sapientie est, animarum superintendere curis — tamen, quia nonnulli contendunt, eximium virum appetisse magis pontificium[o] quam fugisse, opere pretium

a. subrepit 1, subrepsit 2. b. pene 1, plene 2. c. huc 1, hoc 2. d. illacionem 1. 2. e. durissimas 2. f. semper expians 2. g. satagante 1. h. unanimiter 2. i. universis *om.* 1. k. consultant — principe *om.* 2. l. principie 1. m. plaudet 1. n. Germania 1. 2. o. pontificatum 2.

1. Ps. 118, 62. 2. Eugenio III. 3. die 7 Iunii 1153. 4. Cf. 1 Timoth. 3, 1.

est de multis inserere, que religiosis auribus familiaritatis consortio enarrare solebat. Aiebat enim: *Quicquid mihi ex honore sacerdotalis officii extranei arrident, non valde penso. De vobis autem, mihi ac*[a] *de re arridentibus, non minime doleo; qui desiderium meum plenissime scitis. Vetustam enim navem vehementerque confractam et a multis depopulatam ego infirmus et indignus suscepi. Undique enim fluctus intrant; et cottidiana ac valida tempestate quassate, putride ecclesie Maguntine naufragium tabule sonant. Populus enim hic meus dure cervicis est*[1] *et incircumcisus corde*[2] *et labiis; nec domari potest aut ad viam rectitudinis duci, nisi aculeo flagellis scorpionibusque cedatur. Maguntinum enim oportet quasi tyrannidem exercere*[b]. *Nusquam tuta fides est. Qui enim edunt panes meos et qui sub specie exhibendi servitii mihi assistunt, sitiunt sanguinem meum; fraude et domestico dolo observantes mihi calcaneum*[3]. *Nulla vero est efficacior pestis quam domesticus hostis. Preter voluntatem pontificalis*[c] *apicis onera laboremque coactus suscepi.* Et adiciebat: *Quod autem emuli mei maledictionis ac impietatis persone mee notam infligunt, asserentes: me prebuisse materiam, qua felicis memorie predecessor meus Heinricus*[d] *Maguntinus antistes a sui presulatus decidisset honore, Deus qui absconditorum est cognitor novit, quod in hoc scelesto*[e] *et nefario verbo in nullo michi conscius sum. Nec ulla reatus inputatio*[f] *meam in hac re conscientiam stimulat, nisi quia ille bonus homo — cum in sententie penderet articulo, actoribus pro dilapidatione ecclesie et obedientie transgressione acriter in ipsum agentibus, nec haberet quod rationabiliter proponeret — nitebatur, ut adversus veritatem sibi assisterem. Quod quia fas non erat manifeste veritati occurrere pertinaciter, nec salva Dei gratia aut tuto honore meo id facere quibam, imposuit mihi cum suis nomen calumpnie: quod honoris et dignitatis sue sibi supplantationem fecissem.* 1153

a. hac 2. b. existere 1. c. pontificialis 1. d. .N. 1, Heinricus 2. e. scelesti 1. f. inputatio *scripsi pro* inpunctio 1, compuntio 2.

1. Exod. 32, 9. 2. Cf. Ierem. 9, 26. 3. Ps. 55, 7: „ipsi calcaneum meum observabunt".

1153 *Quod sicut est Deo et hominibus odibile, ita et a cogitatione mea et opere est prorsus extraneum.* Hec et his similia vir beatus[a] merebat[b 1].

Postquam ergo canonica electione parilique voto cleri populique ac omnium principum Maguntine metropolis guberna-
Iun. Iul. cula, quamquam coactus, regenda suscepit, processione cleri totius principumque splendore omniumque[c] populorum frequentia, deducentium ipsum in iubilo, gloriosissime propriam[d] est locatus in sedem. Et demum[e] — duobus viris apostolice sedis legatis[2] hinc[f] inde suffultus — per impositionem[g] manus ministeriumque episcoporum[h] suorum plenitudinem[i] officii sui[k] sollempnissime est adeptus et nomen[3]. Multa cepit secum anxietate temptare: quomodo animabus sibi commissis superintendere, ac ecclesie sue dilapsa et multo retro tempore alienata colligere, et priscum illius sedis honorem conservare valeret. Quippe Maguntina sedes et in suffraganeis gloriosa et in principibus est nobilissima et hominibus et rebus ditissima et in potestate et ditione amplissima. Ei[l] namque obedit Saxonia et Thuringia, Franconia et Asia[m], Suevia[n], Boemia et Moravia.

Primum igitur, ut euangelici precepti imitator egregius, statuit regnum Dei et iustitiam eius querere[4], et ecclesie statum, qui valde ob quorundam insolentiam conversationemque notabilem a religionis forma deciderat, in melius reformare. Unde
1154 Mart. 14 tandem, auctoritate apostolica in *Letare Iherusalem* totius sui metropolitanatus convocato concilio, manifestam hominum suspectionem[o], quantum potuit per se et venerabiles episcopos qui presentes et cooperatores aderant, canonicis edictis et legibus a cleri eliminavit consortio; aliaque, que ad domus Dei decorem

a. beate 1. b. memorabat 2. c. omnique 2. d. proprie 1. e. *sequitur* officii sui per impositionem *in* 1, 2. *Cf. infra not.* g *et* k. f. hic 1. g. per impositionem *in suum locum hac reduxi. Cf. supra n.* e. h. episcopiorum 1. i. plenitudine 1. k. officii sui *om.* 2. l. Et 1. m. Hassia 2. n. Suecia 2. o. *sic.*

1. maerebat. 2. Bernhardo pr. card. tit. S. Clementis et Gregorio diac. card. S. Angeli; v. Otton. Frising. Gesta Friderici II c. 9 et Wibaldi epp. 409 et 414 Bibliothecae huius T. I p. 548, 552. 3. Arnoldum ante diem 12 Iulii 1153 consecratum esse, docet diploma Friderici I regis ap. Würdtwein Nov. subs. dipl. VII 172. 4. Matth. 6, 33.

queque ad[a] religionis studium caritatisque fervorem conducerent[b], 1154 Mart. 14
modis omnibus conciliabat.

Ipso quoque pontificatus sui ingressu, quia per ostium intravit et non aliunde[1], bono pacis, ut filius pacis[2] esset, in tantum cepit insistere, quod[c] inimicos suos, quos ab ipsis adolescentie sue crepundiis emulos et insidiatores pro virtute habebat, sibi reconciliabat; reputans antiquitatis sententiam: quod magne res longoque tempore parte labuntur discordia, parve autem[d] et tenues crescunt[e] concordia[3]. Benedixit itaque domui[f] Dei et inhabitantibus eam[4]; sciens, esse mandatum: *In quamcumque domum intraveritis, dicite: „pax huic domui"; et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super eum*[g] *pax vestra, sin autem, ad vos revertetur*[5]. Ad memoriam etiam apostolicum illud reducens, quod negligentiam omnem episcopus deberet vitare[6], et quod bene diluculo surgit, qui substantiam domus Domini querit[7], sicut fidelis dispensator et prudens — ut haberet, unde necessitatem tribueret patienti — aggressus est dominicalia ecclesie sue, villas quoque et castella aliaque, que dudum sic alienata fuerant, ut vix eorum paterent vestigia, multo labore multisque impendiis recuperare. Et de ventre oblivionis immo magis[h] de tyrannorum potentumque voragine abstracta cepit ea in lucem parere et, utpote dotem titulumque ecclesie sue, strennue prudenterque stabilita tenere.

Cum autem in episcopatus sui ditione persisteret et Deum coram oculis suis omni tempore haberet essetque cum eo Dominus, ad quecumque[i] ambularet, in tantum ut prerogativa[k] iustitie et sapientie sue cunctis[l] inclitis terre principibus et tyrannis formidabilis foret, essetque pax in finibus eius nec sathan aut malus occursus[8]; cumque ad decorem domus Domini,

a. ad *om.* 1. b. obducerent 1, conducerent 2. c. in *add.* 1. d. *om.* 2. e. calescit 1. f. domū 1, domum 2. g. eam 1, 2. h. magna 1, magis 2. i. quemcunque 2. k. prerogatā 1, praerogativa 2. l. cunctisq; 1, cunctis 2.

1. Ioh. 10, 1. 2. Luc. 10, 6. 3. Salusti Crispi Iugurtha 10: „Nam concordia parvae res crescunt, discordia maxumae dilabuntur". 4. Cf. 1 Paral. 13, 14. 5. Luc. 10, 5. 6. 6. Cf. 1 Timoth. 3, 2. 5. 7. Cf. Prov. 11, 27. 8. 3 Reg. 5, 4.

ad religionem, ad pauperum miserationes, postremo ut ius suum unicuique tribueret et iuxta apostolum omnia ut omnibus esset[1], adniteretur; nocturnus sator, qui seduxit universum orbem[2] et qui nihil intemptatum dimittit, sathan videlicet, affuit, bonis ceptis[a] eius invidens atque quieti. Cepit itaque venerabilem virum per maiores illius ecclesie principes — quorum patres pro Maguntine ecclesie libertate tuenda proprium effuderant sanguinem — ascitis hiis, qui a primordiis adolescentie sue in boni viri necem ardebant, lacessere[b] finitimo et domestico bello; bona ecclesie eius invadere diripere, sanctuarium Dei prophanare, crucem et vulnera Domini more Iudaico conspuere blasphemare; denique sacrilega manu omnia confundere commiscere polluere, nulli parcere, nulli pacem servare; intollerabiles exactiones per episcopatum exercere.

Voluntatem itaque eorum malam et nequam et manifesti[c] sacrilegii opera rapinarum[d] conspiciens, multimodis[e] secum deliberabat, qualiter huic malo occurreret. Multisque ad hec que[f] necessaria videbantur adhibitis, ea, que[g] pacis erant, cepit primum rogare. Tandem cum, potissima episcopatus deperditum ire[h] cottidianis incendiis rapinis afflictionibus et exactionibus, cum altaria execrari, vita[i] cum rebus privari suos, dolore cottidiano conspiceret; ratus, quod in tali foro melius contingere potuit; statuit vim vi repellere, mucrone mucronem. Et
1155 apertis thesauris suis et ecclesie sue, pro honore Dei ut vir in hostes exivit. Vicemque tristem, prout tempus blandiebatur et locus, inimicis Domini sacrilegis et tyrannis, qui gratis ecclesiam Domini persequebantur[3] — postquam legittimis eos vocarat induciis[k] et ad satisfactionem venire contempserant — reddidit[4].

a. acceptis 2. b. lacescere 1, lacessere 2. c. *sic scripsi pro* manifesta 1, 2. d. *sequitur* concupiscens *in* 1, *ubi vox deleta est;* concupiscentias *add.* 2. e. multimodis *scripsi pro* multis 1, 2. f. que *om.* 1. g. que a 1. h. iri 2. i. vitā 1. k. iudiciis 2.

1. 1 Cor. 9, 22. 2. Apocal. 12, 9. 3. Ps. 118, 161: „Principes persecuti sunt me gratis". 4. At in Chron. S. Petri Erford. (ap. Menckenium III 219) leguntur haec ad 1155: „Bellum fuit inter episcopum Arnoldum et Hermannum palatinum, sed Arnoldus terga vertit". Cf. etiam Arnoldi epistolam, Wibaldi ep. 436 in Bibliothecae huius T. I 571.

Certatum est magna vi multoque discrimine. Hic pro domo Dei 1155
contra impios, pro lege Dei sui contra sacrilegos, pro pauperum pupillorumque tutamine contra predones; illi autem, ab omni fidelium eliminati consortio, contra Deum et ecclesiam, contra dominum et episcopum et pastorem suum, contra iustitiam et equitatem, contra fas et licitum sacrilega rapaci et parricidali[a] manu armabantur[b].

Interea victoriosissimus triumphator Fredericus[c] Romanorum imperator, de Italia — imperialis diadematis consecratione percepta[1] — rediens, omnes illos sacrilegos coram se, Wormatie responsuros domno episcopo, evocavit. Ubi in presentia to- Dec. 25
tius curie, omnesque in faciem suam ad pedes reverentissimi pontificis corruentes, iuxta quod scriptum est: *Et inimici eius terram lingent*[2], in cinere et cilicio satisfacientes, penas tanto facinori congruas dederunt; et vindictam, que vulgo dicitur harnescharre[d3], in medio hiemis horridissimi temporis quilibet in ordine suo secundum suam dignitatem vel conditionem nudipes[e] ad terminum usque statutum pro gratia tanti pontificis recuperanda proprio collo congestans; in primis Hermannus palatinus comes Reni, sicut principalis tanti flagitii auctor, canem per medium lutum portans. Alii sellam asinariam, alii subtellarium[f4] instrumentum, alii secundum suam convenientiam alia, rigidis plantis algentibusque, totius in conspectu ferebant concilii.

Postquam igitur auctore Deo pax est reddita terris, et ve- 1156
nerabilis vir, cum prefatis hostibus osculo pacis conveniens, quendam etiam[g] ministerialem suum nomine Mengotum, qui contra eum omni tempore perniciosissimo studio moliebatur, intercedentibus pro ipso principibus, in gratiam recepit. Hic enim erat, qui, in domnum Maguntinum veteri et funestissimo odio

a. parricida 1. b. armabuntur 1. c. *sequitur* primus *in* 1 *et* 2; *sed hoc verbum sine ulla dubitatione insiticium est.* d. harnes 1, harnescharre 2. e. nudipedes 1, nudipes 2. f. *an* bubulcarium? g. em̄ 1, etiam 2.

1. 1155 Iun. 18. 2. Ps. 71, 9. 3. de hac poena cf. Grimm Deutsche Rechtsalterthümer (ed. 2) 681 et Waitz Deutsche Verfassungsgeschichte IV 445. 4. Cf. Ottonis Frising. Vita Friderici I L. II c. 28: „nobilis canem, ministerialis sellam, rusticus aratri rotam — gestare cogatur“.

1156 ad mortem usque invectus, omni tempore vite sue machinabatur contra eum et ipsius inenarrabiliter sitiebat exitium. Receptum itaque tanta gratia cepit respicere, quod, restitutis omnibus que lege beneficiorum amiserat, eum inter primos et precipuos amicos haberet diligeret et foveret; illud sepe pertractans, quod misericordia superexaltat iudicium[1] et: *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum*[2]. Iam enim verbum istud in proverbium exiit: quod domnus Arnoldus Maguntinus archiepiscopus, qui ipsum odiunt persecuntur et ledunt, eos diligat honoret et amplificet. Et utique ea virtutis altitudo et illa misericordie sublimitas erat in principe et in mirifico presule Christi illa nobilitas, quod, de quantacumque[a] offensa quispiam ad suam gratiam per satisfactionem rediret, numquam suam iniuriam in posterum reminisci sed potius ei misereri et in gratia bona respicere eum mallet; malorum iudicans esse, meminisse iram post inimicitias. Ingrediebatur itaque Mengotus ad domnum episcopum et egrediebatur; intereratque consiliis et secretis ipsius; habebatque perfidentem[b] et amicum introitum ad omnia, que agebantur omni tempore vite sue. Erat autem Mengotus ministerialis Maguntini, strennuus sapiens et in multis expertus et omnibus Maguntinis virtute prole viribus atque[c] divitiis tempore illo excellentior. Confidebatque sibi venerabilis archiepiscopus, eratque sibi familiaris dilectus et primus amicus, omnemque domum eius tenere diligebat.

Noluit vero dominus Deus pacis, qui est terribilis in consiliis super filios hominum[3], iniuriam illam, quam prefatus palatinus et Mengotus et alii complices eorum domno episcopo fecerant, de qua supra meminimus, transire inultam. Sed, reformata pace, in brevi eos Dominus ita delevit de terra, quod omnes, qui illius facinoris fuerant auctores, exceptis hiis quos gladius anathematis ante reconciliationem quasi vivos absorpserat, aut sunt seculo mortui aut cum ipsis rebus vitam amise-
Sept. 20 runt[d] extremam. Mortuus est ergo Hermannus palatinus comes[4].

a. quantācumque 1. b. perfidelem 1, 2. c. ac 2. d. amiserant 1, amiserint 2.

1. Iac. 2, 13. 2. Rom. 12, 21. 3. Ps. 65, 5. 4. 1156 Sept. 20.

Mortuus est et Mengotus, pulmonis infirmitate percussus. Ad quem dum venerabilis archiepiscopus, intempeste noctis silentio excitatus, venisset et eum in agone spiritum reddendi[a] comperisset[b], valde sibi compati et vehementissime flere de eius funere cepit; ita ut omnibus manifestum esset indicium, quantum ipsum in vita diligeret, quem sic in extremo[c] mortis articulo et tanta conturbatione defleret. Cumque post honorabiles exequias eum usque ad locum sequeretur sepulcri — ut dilectionis affectum, quem exhibuerat patri, post obitum filiis eius effectuose inpenderet — artius eos consolari cepit et per omnia amplecti. Unde quendam eorum Mengotum nomine, defuncti Mengoti filium, cingulo tandem militari accinxit; multisque beneficiis ipsos[d] ditavit. Avunculum autem eorum nomine Burcardum, prepositum in Iecheburg[e], qui ante minus erat acceptus, in gratiam receptum, domesticum et familiarem adeo sibi exhibuit, quod splendidum et honoratum et sibi collateralem in omnibus consiliis suisque secretis ipsum admitteret, unde in oculis imperialibus omniumque principum prefatus prepositus non modicus appareret.

Interea — inimicitiarum[f] undique collisis rancoribus, postquam funestissimos iniquitatis sue radios rutilante pace malefida discordia condidit[1] — contigit[g], quod venerabilis episcopus suscepti vicem officii fluctuantem[h] doleret[i], quod hactenus tempestate discordie, et nunc[k] negotiorum importuno tumultu, quieto sacerdotio fas vacare non esset. Verbum autem illud scripture vigilanti meditatione proruminans[l]: *Quia cum ingressi fuerint sacerdotes, qui excubant ad ministerium altaris, non egredientur exterius de sanctuario et ibi reponent vestimenta sua in quibus ministrant, quia sancta sunt*[2], maximae contrarietatis assertionem sue rationi, tamquam arbitrio, diiudicandam ferebat: quomodo quis possit altaribus excubare divinis, qui secularibus im-

a. reddentem 2. b. *an* reperisset? c. extreme 1. d. epōs 1. e. Iecheburgk 1, Iecheburgck 2. f. inimiciarum 1. g. contigit *addidi*. h. fluctitantem 1. i. dolore 1. k. tunc 2. l. perruminans 2.

1. abscondidit. 2. Ezech. 42, 14 et 40, 46.

plicaretur negotiis. Verum — quia scriptura tenet: *Vestimentis aliis sacerdotes vestientur et sic procedant ad populum*[1], et Dominus in euangelio ait: *Reddite que sunt cesaris cesari, et que sunt Dei Deo*[2] — aiebat: *Quemlibet voluit Deus stare in loco suo et in ea vocatione, qua esset vocatus, commorari*[3]; *quoniam omnis potestas a domino Deo est*[4]. Et resumens iterum narrationis verbum[a], adiecit, loquens hiis qui cum ipso aderant religiosis viris: *Pacem* inquit *reliquit Deus discipulis suis, dicens: „Pacem meam do vobis; non quomodo mundus dat, ego do vobis"*[5]. *Pacem hanc pernecessariam habemus, fratres, quoniam mundus in maligno est positus*[6]. *Omnes fere non que Iesu Christi, sed ea, que sua sunt, querunt*[7]. *Vos autem beati estis, qui, spiritu ambulantes, esse spiritu pauperes elegistis*[b] *propter regnum celorum*[8]. *In patientia enim vestra possidebitis animas vestras*[9], *pacem et quietem et animi vestri inenarrabilem tranquillitatem habentes, ut soli Deo sine intermissione vacare possitis. Sed, heu mihi; quia incolatus meus prolongatus est, habitabo cum habitantibus Cedar*[10], *ubi nulla pax, nulla quies, nulla tranquillitas; ubi percepti officii mei ministerium exequi aut vix aut numquam otium habeo. Quis dabit mihi pennas sicut columbe*[11], *ut ad sanctorum altissimam paupertatem de hoc inquietudinis stadio advolare possim et quandoque mihi vacare*[c]. *Quis me liberabit de corpore mortis huius?*[12]. *Quid retribuam Domino pro omnibus, que retribuit mihi?*[13] *Rogate pro me, dilectissimi fratres mei, ut Deus, in cuius omnia dispositione consistunt, circa impossibilitatem meam dignetur benignitatis sue operari virtutem; ut de hac mundi me potenter eripiat miseria, et iugiter me faciat per vestram opitulationem suis inherere mandatis. Videt*[d] *Dominus, fratres mei, quia desiderio ardentissimo omnino concupisco, ab hoc nequam*[e] *eripi seculo et cum pauperibus pauper habitare in domo Dei in Christo.* Habebat autem

a. vm̄ 1. b. eligistis 1. c. vocare 1. d. Vivit 1, 2. e. nequaq; 1.

1. Ezech. 42, 14. 2. Matth. 22, 21. 3. Cf. 1 Corinth. 7, 20. 4. Cf. Rom. 13, 1. 5. Ioh. 14, 27. 6. 1 Ioh. 5, 19. 7. Philipp. 2, 21. 8. V. Matth. 5, 3. 9. Luc. 21, 19. 10. Ps. 119, 5. 11. Ps. 54, 7. 12. Rom. 7, 24. 13. Ps. 115, 12.

iuxta precepta canonum[1] religiosissimos clericos et monachos 1153-1160
omni tempore assistentes sibi, sollertissimos sue vite custodes, qui conversationis sue testimonium darent et ad quorum exemplum mundum cum suo flore ipse quandoque asperneret.

Ceterum ad ecclesiarum edificationem et restaurationem, et ad pauperum sustentationem, et ut religio in ecclesiis sibi commissis omni servaretur custodia, vigilantissimam operam dabat. Et ne cui paupertas delinquendi necessitatem infligeret, larga manu fratrum indigentie procurabat occurrere, aiens: quod necessitas iustum cogat peccare. Monasteria quedam incepta perfecit, ab initio quedam fecit; multisque beneficiis ea locupletavit. Inter que insignia sunt, quod[a] Sancta Maria in Valle et quod[a] Sancta Maria in Burnebach dicitur. Ibi enim voluntatem quiescendi extremo declaraverat[b], locumque sepulcri fecerat; fecissetque votis satis, nisi ei[c] alter occurrisset eventus.

Annitebatur vero cottidie in civilibus causis horas quas poterat, quibus cum Maria ad pedes Domini staret, subtrahere. Acriusque presulatus sui procumbebat ministerio; ut preteritos neglectus, quos discordie fucus induxerat, posset commodius a se[d] abstergere, et ab officio[e] suo ingratitudinis maculam deinceps omnem posset, Domino donante, propellere. Officiatos autem omnes, presertim qui divino mancipabantur obsequio, quoslibet in suo ordine peritissimos habuit et fideles. Ad decorem vero domus Domini et sacerdotii venerationem iuxta religionis pudicam sanctimoniam sic insudabat, ut in sui pontificii sede habitu decore ornatu et religione ipsa disciplina thronum glorie sibi statuisse probares.

Huc accedit, quod sacerdotii scemate pontificatus sui fulgebat officium. Tantaque reverentie gratia personam suam in pontificali[f] habitu divinus perfuderat splendor, ut nec ipse Melchisedech, immo nec ipse sapientissimus Salomon in omni gloria

a. quod *om.* 1. b. extremo declaraverat *scripsi pro* extremam locaverat 1, 2. c. et 1, 2. d. commodius a se *scripsi pro* commodosius 1, 2. e. ab officio *scripsi pro* a beneficio (a bñficio) 1, 2. f. pontificiali 1.

1. Cf. Gratiani decr. P. III de consecr. D. I c. 60.

1153-1160 sua sic fuerit coopertus. Vestes autem ipsius, que pontificalem fulgorem prestabant, ex pretiosissima materia opere polimito erant auro contexte; verumtamen materiam superabat opus. Primum namque coccineam induebat clamidem splendidissimam, que, speciem omnimodam[a] equalitatis habens, nec infra eius staturam angusta, nec extra excedens, decenti parilitate mensure in ipso se[b] totam pandebat equalem. Deinde superhumerale nuda colli tegebat, probatissimo auro opere fabrili in[c] margine totum contextum. Tertio adicitur[d] et linea; que in cunctis oris[e] usque ad protensionis sue quaslibet fimbrias, per omnes humerales regiones lateraque[f], ab imo et sursum, de dextra in sinistram, miro opere in aureum corpus contexta, aureum cernentibus offert nitorem. Hec zona iacinctina concluditur, cui baltheum auro contextum fulgidissima specie conseritur. Deinde stola apponitur; cuius siquidem si contemplaris figuram, tanta artis virtute opus ipsum deprehenderes[g] instructum, quod, ubi sit aurum ubi autem non sit qualiterque implexum[h], visu erranti[i] non sine admiratione et stupore transibis. Eiusdemque generis manipulus[k] illic et opere eodem pulchra consideratione consociatur. Et adhuc, ut[l] pectus pontificis caractere Dei viventis muniatur, insignissimum et invictissimum crucis signum, lignum videlicet, in quo salus mundi pependit, crustario[m] opere lamina argentea mirabiliter insculptum, balsamum ut aromatizans, ubi magna sanctorum pignora condebantur, collo pontificis aureis catenis[n] suspenditur. Tunc adiungitur et alia clamis, smaragdinum per totum tenens virorem, que ad linee[o] usque laminam pendens, eiusdem lamine[p] oras[q] undique tetigit; et fit nescio quedam admiranda auri viridisque iunctura. Tunc additur rationale, ad officium ministerii iudicii doctrinam et veritatem baiulans, tunica videlicet, desuper contexta per totum ex lamina auree contextionis[r], fimbrias aspectu concupiscibiles

a. *sic scripsi pro* in modum 1, 2. b. se *addidi.* c. in in 1. d. addicitur 1. e. horis 1. f. lateraque *scripsi pro* latamque 1, lata 2. g. deprehendere 1. h. impletum 2. i. errante 2. k. manipulū 1. l. est 2. m. crustario *scripsi pro* cristallino 1, 2. n. cathenis 1. o. linei 1, 2. p. laminis 1. q. horas 1. r. contexcionis 1, contexionis 2.

undique dirigens. Quas fimbrias mulier ab infirmitate detenta 1153-1160 tetigit, ut a modo pontifex ingrediatur ad sancta sanctorum[a]. Hoc igitur vestimento, sicut caritatis unitate et tamquam talari tunica, pontifice toto circumdato, contra temptationum molimina, fidei et spei tollerantieque tamquam loricam, casulam induebat. Cuius vestimenti pro facie dignitatis sue genium, quod pallium dicitur, ad ima usque promergens, fibulis aureis venerabilis archiepiscopus Arnoldus[b] applicare iubebat. Sic itaque tantus pontifex, tantis ministeriorum infulis sacerdotaliter redimitus ut summus Aaron pontifex, cydarim seu mitram, qualis[c] ipsum decebat[d], ut pro se et pro toto exoraret populo, gestans[e], ad mensam Domini religiosissima, quasi vestitus nuptiali podere, gradiebatur honestate. Qualis autem onor[f], qualisque[g] gestus, quive modus dicendi, queve reverentia, cum sacris astaret misteriis! Quantaque honestatis prerogativa gloriosus apparebat in conspectu Domini, intelligi magis potest quam dici.

Sed et corporis quantitatem et persone elegantissimam formam divina sibi indiderat dispositio. Stature namque habebat longitudinem sed mensuratam, sicut solent incliti terre. Longo igitur corpore corpulentiorem prebebat faciem; in ceteris inexhausta, remissa[h] tamen, pinguedo maciei horrorem pellebat. Canus erat toto vertice; crispoque[i] capillo cesaries venustatis habitum admiserat. Oculi grandes, nares equales, frons leta satis sed severa; et luminum intuitus morum gravitate fulgebat. Labia composita, risus blandus et suavis, vultus in oblongum vivido alboque colore suffusus. Sed et omnis facies constantiam[k] pondusque auctoritatis habebat. Agilis et pro[l] quantitate sua admodum erat gracilis, torosus tamen artubus a planta pedis usque ad verticem; ut vix vel nulla in eo reperiretur[m] macula. Sed et affectum animi facie procliva[n] laxabat; quia in subrubeo colore gratiam, in rubore[o] commotionem, in ominibus[p]

a. *Hunc locum mutilum esse patet. Qui fortasse sic ex parte supplendus est:* ut a mo(rbo liberaretur .... quan)do pontifex *cet.* b. Arnuldus 1. c. qualem 1. d. dicebat 1. e. gestiens 1. f. onor *scripsi pro* odor 1, 2. g. qualis 2. h. inremissa 1, 2. i. crisposque 1, crispusque 2. k. constancie 1, constantiae 2. l. pro *addidi.* m. reperietur 1. n. prodiva 1. o. colore gratiam, in rubore *scripsi pro* gratiam in rubore colore 1, 2. p. omnibus 1, 2.

1153-1160 biis mediis quibusdam signa[a] esse ad utrumque probatur. Magnus ingenio[b], inmensus in consilio, audax erat animo; castus, liberalis, virtutumque omnium emulator magnificus; multumque eloquentie, multumque sapientie ei[c] inerat.

Quanta vero lucta de Maguntine ecclesie nobilitate certarit[d], ne cuiuspiam vicini peregrina diffinitio eius libertatem, qualibet potestate nacta[e], deprimeret, nulla debet temporis oblivione[f]
1156 deleri. Namque, cum Treverensis archiepiscopus[1] legationis qua fungebatur potestatem ad Germanie omnes ecclesias quadam iurisdictione intenderet, cogitabat: qualiter ipsam a se et ab omnibus sui metropolitanatus depelleret finibus. Et quia mons Appenninus ex ea facie, qua Italiam totamque Liguriam respicit, nomini Theutonico admodum erat infestus; et montium abdita viarumque Ligurus observabat angusta; et ad hoc accedebat, quod bruma[g] rigens omnia Alpium pervia squalente vestiverat glacie[h]; nivosum Iovis montanumque transitum provide[i] arripere rennuit. Statuit igitur, quia id[k] tali negotio non esset differendum, alia per orbis climata sedem Romanam petere.

Mart. Apr. Prudentissimo itaque frequentique clero comitatus, magnis commeatibus multisque sumptibus, peragratis Theutonici regni finibus, ad mediterraneum mare perveniunt. Ubi, quia sub uno remige propter multitudinem eos aliqua navis non quibat
Apr. recipere, multis collectis navibus, parabant Venetum attingere portum[l]; estimantes, conserto navigio, datis velis boree, quod possent simul navigare. Mox autem, tempestate exorta, elapse dissoluteque sunt ita ab invicem procul naves, quod nulla alterius teneret vestigium nec unus alium cernere posset. Dedit se itaque venerabilis archiepiscopus Maguntinus pro libertate ecclesie sue ventis, credidit se procellis. Non mine ponti, non rabies fluctus, non Caribdis, non denique Sirtis ulla ab incepto deterruit; non peregrina puppis, non invisa littora, non locorum

a. signa *scripsi pro* signis 1, 2. b. in ingenio 1, 2. c. ei *addidi.* d. certavit 2. e. nacticia 1, maxima 2. f. oblivioni 1. g. bruina 1. h. squalentem — glaciē 1. i. provide *scripsi pro* perinde 1, 2. k. in 1, 2. l. pontum 2.

1. Hillinus. Cf. Epist. Mogunt. 54 supra p. 402.

habitator incognitus, nec ullum saltim discrimen ab hac intentione reduxit. Ferebatur enim, intumescentibus undis, equoris per horridum altissimumque fundum. Et nunc delphinorum species, quos eversio[a] ebullivit ponti[b], nunc alia maris terribilia monstra, nunc belue[c] marini fetus, diros teterrimosque mugitus frendentes, nunc insurgentis tempestatis mugitationes, nunc[d] fragor horridissimus aquarum, nunc[d] venti duelliones modo ad alta nunc ad ima navem undanti horribilitate pellentes et, ut in summa dicatur, omnis marina conditio novo hospiti minas intemptat[e]. Modo[f] navis ad celica usque[g] videbatur astra efferri, nunc, per medium conglobantis aque fervorem dependens, ad profundi[h] ima putabatur demergi[i]; aliquando medios ambientis[k] se undique ponti excelsissimos[l] cumulos[m], efflante[n] aquilone, secabat. Tandem, divina protegente clementia, rapidissimo cursu, unda flatibusque pellentibus, cum eos periclitatio sola naufragiumque maneret, divino miraculo in Venetum navis portum, diutine suspiratum, evasit. Ceteros autem, eadem sub sorte laborantes, ipsa similisve[o] fortuna recepit. 1156

Postquam, propitiante Domino erepti de naufragio, Venetie applicantur[p] et gaudia, que tunc imminebant[q], feriarum paschalium[r] celebrarunt, festinissima[s] a Venetis oneraria[t] donati — quia propter Romanos, quibus offensi erant Alemanni, proficisci ad papam per Romaniam Italie nequibant — marinas Siciliam versus attingentes oras[u], postquam Nargine[1] moram diutinam habuerunt, vix tandem apostolicam convenerunt presentiam. Recepit itaque venerabilis papa Adrianus domnum Arnoldum Maguntinum, tantoque eum honoratum habuit sollempni[v], et eo dignitatis splendore pre cunctis Romane curie honestatum, ut, quotiens Maguntinus ingrediebatur ad ipsum, Apr. 15 Iul. Aug.

a. eversa 1, 2. b. ponti ebullivit facies 2. c. bullae 2. d. nō 1. e. intentabat 2. f. nunc 2. g. *om.* 2. h. profunda 1. i. dimergi 1. k. ambientes 2. l. excellissimos 1. m. tumulos 2. n. afflante 2. o. similisve *scripsi pro* similique 1, 2. p. applicarantur 1, applicantur 2. q. imminebat 1. r. paschalia 1. s. festinissima *scripsi pro* festivissimo 1, 2. t. oneraria *scripsi pro* honore 1, 2. u. horas 1. v. sollempnio 1, 2.

1. Narniae.

1156 Iul. Aug. domnus papa, ei assurgens, collateralem sibi acceptum magnificum et gloriosum omnibus exhiberet[a], omnisque curia obsequio magnificentissimo sibi inclinaret[b]. Quid plura? Omnem voluntatem suam a sede apostolica impetrans, vicem domni pape legationemque super omnem Maguntinam metropolim ibidem re-
Aug. 11 cepit, et ecclesiam suam de subiugo aliorum exemit[1]. Novissime, curia decentissima largitione donata, ipse quoque apostolicis mirifice donatus exeniis[c], multo tamen labore et inestimabili sumptu Iovis altissima iuga deculcans, cum omni tripudio, Domino comitante, honoratus remeavit ad propria.

Eodem tempore Mediolanensium sevitia et propria dominandi libido contra finitimas civitates et populum sibi adiacentem in tantum exarsit, quod clamor afflictorum omnes[d] orbis iam pene repleverat aures et ipsum gloriosissimi cesaris Frederici imperiale tribunal querelarum sedula cumulatione pulsabat. Cumque post temporum longa interstitia[e] monitis imperialibus acquiescere nollent, et invictissimi cesaris arma post tergum quasi proicerent, accirentque sibi regnorum omnium invidiam, obmittendum non erat, quin gladium imperialem — qui ad vindictam gestabatur malefactorum, laudem vero bonorum — expe-
1158 rirentur. Igitur Fredericus invictissimus Romanorum imperator et semper augustus, ad arma prosiliens, contra Mediolanensium rebellionem acutum vibrantem inmoderatumque gladium Theutonicorum totiusque imperii sui principes, in maxima virtute, sicut multitudo harene que est in littore maris[2], virorum fortium et pugnatorum, sub imperialis edicti expeditione commovit.

Inter quos venerabilem Arnoldum[f] Maguntinum, sicut maximum sapientissimum et ditissimum totius imperii principem, evocavit. Ipse vero Maguntinus proinde[g] multa instantia imperialem precabatur clementiam, ut ei in gratia sua intra provinciam remorari liceret; etatis sue exhaustum senium, et ad bellicum usum ineptum et hactenus multiplici labore in obsequio

a. exhibebat 1. b. inclinabat 1. c. xeniis 2. d. omnes *scripsi pro* omnium 1, 2. e. in tristicia 1. f. Arnuldum 1. g. perinde 1, 2.

1. V. Epist. Mogunt. 55 supra p. 404. 2. Genes. 22, 7.

imperiali attritum, pretendens. At imperator, sciens, rem militarem virtute animi magis procedere quam viribus corporis[1], cognoscensque, virum ipsum consilio et omni virtute divitiis ac honestate inter omnes regni principes esse excellentissimum, noluit ipsius carere presentia. Maguntinus itaque, imperialem videns prevalere sententiam, vergentem sui quasi oblitus etatem, ut vir virtutum omnium gnarus — pro honore Dei et Maguntine ecclesie; et ut pax inter regnum et sacerdotium, que tunc quibusdam emergentibus causis admodum erat elapsa, reformaretur[a]; possetque ad imperii gratiam Mediolanenses revocare concordia, ne tanta civitas[b] deperditum iret — statuit, se[c] imperialibus obtemperare mandatis. 1158

Et quia Maguntinus post[d] imperatorem princeps est principum, ut secundum Maguntine ecclesie decentiam ad tantum imperii negotium se posset accingere, sicut ius gentium habet, a Maguntinis civibus tam in[e] ministerialibus quam burgensibus stipendia militie deposcere cepit; proponens eis, quod — cum frequentissime pro honore ecclesie et totius civitatis magnis laborasset impendiis, sive in imperiali sive in apostolica curia, sive contra hostes ecclesie — nihil exegisset ab eis. Postquam vero opem ex consilio subpeditationis animo libenti spoponderunt, quidam Arnoldus ministerialis, cuius erat prenomen[f] Rufus, cum ad ipsum verbum petitionis venisset, medio prorumpens multitudinis, aiebat — forte ex privilegio[g] per Albertum[2] civibus concesso, quod[h] allegavit — ipsos de iure nihil debere, nihil domno episcopo ex iustitia debere. Unde a cunctis etiam civibus animum tribuendi non sine magno episcopi incommodo revocavit. Venerabilis vero pontifex — quia dies expeditionis instabant, nec poterat ex induciis, quibus culpabiles conveniendi forent, legittimis uti diebus — tantam sue lesionis iniuriam us-

a. reformarētur 1. b. se *add.* 2. c. se *om.* 2. d. post — Maguntine *om.* 2. e. in *om.* 2. f. erat per nomen erat rufus 1, erat praenomen Rufus 2. g. previlegio 1. h. quod *om.* 1.

1. Salusti Catilina I: „vine corporis an virtute animi res militaris magis procederet". 2. V. Adelberti I tabulam ap. Guden Cod. dipl. I 117—121.

1158 que ad regressionis sue presentiam ab expeditione distulit prosequendam.

Die autem egressionis sue, accersitis necessariis fidelibus suis, ut domui sue proficiscendus disponeret, inter omnes nominatim et specialiter filios Mengoti, cuius supra meminimus, et prepositum Burcardum de[a] Iecheburg, eorum avunculum, advocarat; tamquam eos, quibus omnia[b] fidebat. Namque eidem Burcardo quandam[c] nobilissimam Maguntine ecclesie preposituram, Sancti Petri videlicet que tertie vocis honore prefulget, et eius fidei contulerat, et de scabello pedum suorum ipsum sibi auricularem collateralemque et gloriosum perfecerat. Huic igitur vicem suam in spiritualibus causis et iustitia[d] banni a flumine Werre in totam usque Franconiam, deinde civitatem Maguntinam sibi suisque nepotibus, filiis Mengoti, bona fide usque ad[e] reditum suum commisit. Et eum[f] tamquam alterum se ipsum super iusticiis suis disponendis reliquit; cui omnimodam fidelitatem tamquam domino suo iurarunt.

Igitur Maguntinus, sub predictorum fide domo civitate rerumque suarum cura relicta, in nobilissimo robustoque milite centeno et quadrageno, ave dicens fratribus, regio apparatu et in religiosissimorum fratrum frequentia, ut que sunt cesaris ce-
Iun. sari reddat et que sunt Dei Deo[1], Italiam versus procedit. Eratque exercitus eius tamquam exercitus regis, quos ipse propriis ducebat expensis; ne rapine malum, qualibet necessitate coacti, incurrerent. Dabatque in omni sufficientia singulis. Qui omnes erant pugnatores robustissimi in clipeo et hasta, in lorica et gladio, pharetra et arcu, funda et lapide; gerebantque omnes ferventissimam et virilem etatem, omnes incliti iuventute sua. Dederatque domnus Maguntinus omnibus in mandatis, quod, sicut diligerent personas suas[g] et res, a pauperum se continerent rapinis; non furta, non rixas, non expoliationes, nullasque inter se attemptarent discordias.

a. de — avunculum *om.* 2. b. omnibus 2. c. quandam 1, quondam 2. d. iusticie 1. e. usque bona fide ad 1, 2. f. eum *scripsi pro* eos 1, 2. g. suas *addidi.*

1. Matth. 22, 21.

Preteriens autem per depopulationes[a] Lombardie, lugubres 1158 Iul.
desolatasque regionis intuens partes; quantasque miseri illius terre coloni dederant strages; meniaque fugato interempto habitatore deserta; et quomodo et[b] vitam cum rebus incole heu[c] innocenter amiserant; vincula captivitatesque eorum, quos gladius non vorarat, cernens; quomodo et prophanata sanctuaria Domini violataque altaria clamarent ad Dominum; non sine magna animi compassione aiebat: *Ve terre, cuius imperium discordia regit; ve hominibus, per quos hoc scandalum venit.* Circa omnes vero afflictos pia et misericordissima gestans viscera, maxime circa clericos et monachos, quos Boemorum gladius, qui in exercitu erant, exulare compulerat, manum caritatis sue omnibus aperiebat.

Quanta vero strennuitate in Mediolanensium se obsidione Aug.
habuerit; quantumve consilio viribus magnificentia munificentia et omniformi[d] virtute inestimabiliter ecclesiam Dei et imperium super omnes principes honorarit; quanta pro bono pacis annisione[e] laborarit; quam instructa, quam robusta, quam fortissima castra fortissimorum habuerit; qualiter a suis et quam ordinate structa acie, quanta simul[f] sollicitudine claustra et ecclesias fratrum et omnes pauperes tutabatur; quanta eis largitus fuerit, et quanta largitate et benivolentia in ipsis castris eosdem[g] amplexabatur[h] pascebat[i] et consolabatur; quantumque apud cesarem et alios principes eis adminiculabatur; citius nos tempus, ut videtur, ad hoc referendum quam verba desereret.

Dum Mediolani hec gererentur, crebra fama legatioque ferebant: quod filii Mengoti et illi, quos domnus episcopus super ditione[k] sua domi reliquerat, officium pietatis et gratiam, quam ipse cum eis fecerat, interpretati sunt in malificium crudelitatis et in impietatem ingratitudinis. Ferebant[l] enim: quod Burcardus prepositus cum complicibus suis, gravissima coniuratione introducta, omnes Maguntinos pene priores contra ipsum epi-

a. depopulacionis 1. b. et *om.* 2. c. hoc 1. d. omniformi *scripsi pro* omni facti 1, 2. e. bona — amisione 2. f. sit 1. g. eosque 1. h. amplectebatur 2. i. pavebat 1, poscebat 2. k. dicioni 1. l. Referebant 2.

1158 Aug. scopum armaverit, quod ipsum Burcardum in episcopum condicerent et pro episcopo haberent; et de sede episcopali et omnibus ad episcopatum pertinentibus per invasionem se intromitteret; officiatos et iustitias episcopatus subverteret et suas imponeret; hominia multorum reciperet; cogeretque per violentiam[a] multos; haberetque se in episcopali[b] curia gestu omnique festivitate sicut Maguntinus; omnisque civitas oculos in ipsum haberet; ipsi autem filii Mengoti homines et ministeriales et colonos ecclesie cepissent captivassentque, et graves rapinas in ipsos et exactiones exercuissent, precipientes in civitate; ipsi civitas, ipsi episcopatus, omnia in omnibus in civitate essent; aulam episcopalem avunculo suo, quem episcopum crearant[c], multa elatione facientes. Venerabilis autem episcopus, bene sibi conscius, fidem relationum verbis adhuc prestare nolebat, donec suam eis exhiberet[d] presentiam, secundum scripturam Domini dicentem: *Descendam et videbo, utrum[e] clamorem eorum, qui venerat ad me, opere compleverint; an non est ita, ut sciam*[1].

Interim autem questio coram imperiali presentia de beneficiis ipsorum, qui militie stipendia contempserunt persolvere, suborta est. Et exinde principum[f] omnium emanavit sententia: quod abiudicata eis forent beneficia, donec et stipem persolverent secundum beneficiorum iura, et contemptum, quem fecerant, per compositionis dispendium dominis suis civiliter expiarent. Ex ore igitur principum prolata, ab imperatore et tota curia confirmata est.

Factum autem est quod[g], cum omnia ad honorem Dei et magnificentiam imperii, Mediolanensibus in gratiam per dedi-
Sept. 8 tionem civitatis receptis[2], consilio principum, maxime virtute et[h] prudentia Maguntini, essent in pace composita, domnus Maguntinus, honoratissimus et de magnifico obsequio a maiestate imperii admodum regratiatus, de latere imperatoris bonis avibus remeavit ad propria.

a. violeciam 1. b. episcopatu 1, 2. c. crearunt 2. d. exhibet 1, 2. e. veterum 1. f. principium 1. g. quod *addidi*. h. et *om.* 2.

1. Gen. 18, 21. 2. 1158 Sept. 8.

Ceterum, coniurationis contra se facte molimina[a], cuius supra meminimus, quia latere eum non potuerunt — nichil enim opertum, quod non reveletur[1] — ceperunt coniuratores ipsi manifesta se iam oppositione detegere; et clandestinis[b] machinationibus et iniquorum cetuum conciliabulis et omni conamine, quo nequitia pietatem impetere solet, rependentes mala pro bonis, impietatem pro beneficiis, in ipsum bello civili et plus quam civili, quasi intestino, grassari[c]; nequitiam impietatis, quam in eius absentia conceperant, mortifero fetu in eius presentiam parturientes. Quam ob rem ad factionis huius apertum indicium in tantum vesanie sue filii Mengoti irruperunt furorem, quod, cum quadam die Renum domnus episcopus transire decerneret, ipsi armata manu in gladiis et telis in ipsum et suos insurgerent, et transitum, ne in civitatem veniret, conarentur obstruere. Postquam vires eis ad id perficiendum minus subpeditarunt, archiepiscopus, consultis fidelibus suis, coram se responsuros sibi ipsos vocavit. Qui post multas dilationes, simulato licet satisfacientes, de preteritis et que in absentia sua contra ipsum commiserant omnem pollicitabantur in condicto termino satisfactionem. Ab illo ergo die[d] cogitaverunt eum occidere. 1158-1159

Sane coniuratio vehementissime convalescebat cottidie. Eruntque principes coniurationis: Burcardus prepositus; et nepotes sui, filii Mengoti; et Hartmannus maior prepositus[2], in cuius fabrica omnem hanc iniquitatis cudebant monetam; et abbas[3] Sancti Iacobi; et Arnoldus Rufus; et Wernherus[e] de Bonlant; et cum hiis complices innumerabiles. Concilium isti habebant contra episcopum, conveniebantque in domo maioris prepositi. Recipiebantque se tandem apud Sanctum Petrum in curia prepositi Burcardi et domo filiorum[f] Mengoti, ibique pro castris

a. molimine 2. b. clamdestinis 1. c. crassari 1. d. die *addidi. Cf. Iohan.* 11, 53: Ab illo ergo die cogitaverunt, ut interficerent eum. e. Warnherus 1, Wernherus 2. *Cf. infra p.* 630 *n.* b. f. fidelium 1, 2.

1. Luc. 12, 2. 2. ecclesiae S. Martini Moguntinae. 3. Godefridus. V. Annales S. Disibodi 1158 et 1163, Mon. Germ. SS. XVII 29, 30.

1158-1159 erant; maledicentes domno episcopo, minitantesque ei, quod pro ipso nunquam de civitate discederent.

Episcopus, post tantum laborem et post tantum imperii servitium cupiens requiescere, pacem non inveniens, multos in coniurationis malo habens suspectos — nec facile se eis poterat credere, quia plerique latebant — postquam oblongos cultellos, quibus eum clanculo sub velamento satisfactionis confodere decreverant, deprehendit et ipsos coniuratores contra se ipsa in civitate moliri omnibus modis cernebat, Burcardum prepositum, qui summus in coniuratione auctor et dux erat, de civitate expulit, et vires ei[a] omnes in civitate ademit.

Hunc itaque, ad imperatorem proficiscentem, secutus est Embrico Mengoti filius[1], et abbas Sancti Iacobi[2], Wernherus[b] de Bonlant, et clericorum et laicorum maxima multitudo.

E vestigio legem, ab imperiali ore de beneficiis Mediolani promulgatam in eos, qui militie stipem sibi non dederant, domnus episcopus in medium proferebat. Et de beneficiorum amissione perterriti, nonnulli secundum iustitiam vel secundum gratiam super hoc respondebant[c]. Solus Arnoldus Rufus, ministerialis eius de quo supra retulimus — cum comparium suorum nollet stare sententie[d], nec ullam de iniuria illata domno episcopo exhiberet satisfactionem, sed nunc bonis verbis nunc occasionibus nunc et induciis[e] tempus redimens, cum adhuc in nullo ab episcopo gravaretur, licet eum super quibusdam contra se satisfactionibus interpellaret[f] — male sibi conscius, cesarem appellavit. Et sicut coniurationis ita itineris preposito Burcardo ad imperatorem factus est comes.

Postquam commentationes suas et fraudium molimina, quibus famam domni episcopi incrustare ac insimulare[g] attemptarant[h], penes imperatoriam maiestatem lente procedere viderent[i],

a. eis 1, 2. b. Wernerus 1, Wernherus 2. c. respondentes 1. d. sentencia 1, 2. e. indiciis 1, 2. f. interpelleret 1. g. simulare 1, 2. h. attentarent 2. i. viderentur 1.

1. Embrico filius Meingoti et eius frater Meingotus, ministeriales ecclesiae Moguntinae, in variis Arnoldi archiepiscopi tabulis comparent ap. Stumpf Acta Moguntina p. 69, 71, 72 et ap. Guden C. D. I 232. 2. Godefridus.

ne[a] omnino viderentur confusi, efflagitant litteras dimissorias, 1159
ut recipiantur satisfacientes. Quod domnus episcopus libenti animo fecisset, si ipsi condignam satisfactionem exhibuissent. Frustrati igitur hac vice, iterato labore multis litterarum precariis[b] domni imperatoris multorumque interventu multisque precibus pulsabant: ut digna cum satisfactione denuo reciperentur. Acquievisset domnus episcopus et tunc eorum postulationibus; sed ipsi eam, quam exposcebat, dare[c] spernebant satisfactionem.

Multis tandem precatibus[d] domni imperatoris — postquam iudices deputarat, qui eos ad satisfactionem usque deberent compellere — domno imperatori volens deferre[e], annuit, ut in civitatem ingrederentur. Et prefigens eis diem, egressus de civitate, condictum eorum prestolabatur satisfactionis terminum.

Potitis igitur sue voluntatis optatibus, confracte prius eis vires malitie non defecerunt. Sed omni temptatu conaminum gravius in domnum episcopum assurgentes, tanto robore plateas civitatis domosque omnesque[f] viarum concursus ipsosque cives armaverunt in ipsum, ut iuxta eorum sevitiam nullus a modo domno episcopo in civitatem pateret accessus. Elevatum est cor eorum nimis, et locuti sunt adversus Deum et adversus dominum suum episcopum in magna superbia et nequitia. Contuleruntque manus suas; proscriptionis et exulatus multarumque afflictionum iniurias mortisque titulos in ipsum dictantes. Rapacem, tyrannum, pestilentem, et quidquid blasphemie spiritu[g] adinvenire poterant, eum nominabant; adicientes ad contumelie maiorem cumulum: quod, si redire[h] unquam[i] in civitatem auderet, ipsi carnifices panifices cerdones pelliparii sacharii mensariique[k] adesse in ipsum sese[l] proscribebant.

Postquam huius infidelitatis profanus et nefandus rumor totam terram asperserat, in superbie sue pervicacia ipsis exstantibus, sinodales dies adventabant. Domnus itaque epi- Oct.

a. nec 1. b. precariis *scripsi pro* pariis 1, 2. c. dari 2. d. precibus precatibus 1, 2. e. deservire 2. f. omnes 2. g. spiritus 1. h. si redire *addidi.* i. nunquam 2. k. mensarūque 1. l. adesse in ipsum sese *scripsi pro* a sede in ipsum esse.

1159 Oct. scopus, pro officii sui debito ad celebrandam synodum se accingens, contra eorum impetum perfidie in multo militum robore eis invitis civitatem ingressus, noluit absque iudicio vendicare in ipsos; sed, ut pius et clemens pater, ad satisfactionem — cum eos repente posset delere — iterum iterumque invitans, sinodum instantem celeberrimo prosequebatur officio. Sed ipsi filii diaboli, obstinationem sectantes, contra observabant oportunitatem, ut assultum in synodo facerent[1] et episcopum cum suis ex inproviso occuparent. Sed ubi fraus eorum[a] impietati sue effectivum[b] processum ministrare nequibat[c], ut interim maiores sibi passim[d] vires accerserent[e], rogabant ea que pacis erant; offerebantque satisfactionem, ut sententiam synodalem et excommunicationem tali tergiversatione evadere possent. Interrogabat enim domnus metropolitanus sinodalem sententiam: quid super his diffiniendum foret, quia et contra eum et[f] suos[g] coniurationem fecissent, et insultum[h] molirentur, cedem et perniciem totius ecclesie et conturbationem; et presentiam suam iuxta canonicam consuetudinem exhibere synodo contempsissent. Quo[i] cum in procinctu sententia esset, differebatur in crastinum, agentibus internunciis, qui compositionem facerere nitebantur.

In crastino vero, ad tertiam usque diei nunciis hinc inde crebrescentibus, paci[k] tandem per satisfactionem devoventes, publico congressu aulam episcopalem et omne concilium se[l] armis parabant invadere et stragem, dispositam in episcopum suosque, perficere. Duxeruntque[m] aciem suam tribus ordinibus, ut per medium civitatis, dextra, sinistraque congrederentur per turmas suas, cum gladiis et fustibus, contis, fundis, sudibus, omnique militia[n] hominum; quos ruralis gleba, tetris arcubus fuligineaque[o] cuspide, obscuro fatiscenteque[p] clipeo, fulvis aridisque vexillis; quos et pelliparia cerdonaria saccaria lictoria ma-

a. *om.* 2. b. erectuum 2. c. nequibāt 1. d. possint 2. e. accersere 2. f. et *om.* 2. g. suos *addidi.* h. insuetum 2. i. Quo *scripsi pro* Quod 1, 2. k. pati 1, paci 2. l. se *om.* 2. m. dixeruntque 1. n. malicia 2. o. fulgineaque 1. p. faciscenteque 1.

1. „post festum sancti Remigii" (post d. 1 Octobris). Annales S. Disibodi 1159, Mon. Germ. SS. XVII 29.

cellaria clibanaria, extrema prestiterat[a] civitatis conditio[b]. Hiis igitur falangis talibusve[c] castris filii Mengoti instructi cum suis militibus contra episcopum properabant. Milites[d] vero episcopi, ex adverso festinantes — habebat enim sexcentos milites et eo amplius, optime loricatos et omnes in armis fortissimos, absque alia admirabili multitudine — in eos transire affectabant, et repentino in ipsos irruere interitu[e] et uno impetu eos trucidare. Quoniam vulgus, omnis ferme inermis, facile erat in fugam converti. Sed domnus episcopus, parcere multitudini volens, paulisper in unum eos faciebat subsistere. Et fuerunt, qui utrimque[f] pactum faciendum[g] susciperent. Et[h] ad hoc compositionis calculum[i]: quod[k] infra quindecim dies aut secundum gratiam vel iustitiam domno episcopo satisfacere deberent. Erant enim maiores et honestissimi viri terre, quibus satis credendum fuerat.

1159 Oct.

Hiis ita dispositis, inevitabiliter instabat, ut iuxta condictum[l] Wirciburgensi episcopo[1] Selinginstat[m] in crastinum occurreret, ut ei simul et manum et benedictionem imponeret pontificatus et plenitudinem ministerii conferret.

Protinus ergo, ut domnus metropolitanus de civitate egressus fuerat, illi, rupto federe, violata fide, fracto concordie bono, confuso fasque nefasque, unanimiter cum toto populo, quibus antea indulgebatur, immani et sacrilega audacia ipsam domum Domini, ecclesiam scilicet maiorem[2], ut ab ipsa inciperet iudicium, occupaverunt armaverunt et incastellaverunt. Et coram altari, coram mensa Domini, ubi sanguis et corpus Domini conficitur, ubi dominice passionis misterium commemoratur, officinam[n] impudicitie, et abhominabilis voluptatis lacunam[o], meretricumque lupanar, et immundissime luxurie scortique fecerunt prostibulum. Exinde, fractis foribus, prorumpentes in erarium ipsius ecclesie, ubi

a. praestarat 1. b. condictio 1. c. talibusque 2. d. miles 2. e. *an incursu?* f. utrumque 1, 2. g. pactum faciendum *scripsi pro* factum pacandum 1, 2. h. deduxerunt rem *excidisse videtur.* i. calculo 2. k. quidem 2. l. conductam 2. m. Seligenstad 2. n. officium 1, 2; officinam *coniecit Gamansius.* o. lacunam *scripsi pro* lucanar 1, 2.

1. Heinrico II. 2. S. Martini.

1159 Oct. sancta condebantur sanctorum, fures et latrones et sacrilegos et immundissimos diaboli satellites constituentes ibidem custodes, nec Deum nec hominem nec ipsa sancta verentes, sacrilega et impiissima manu demoliti sunt sanctuarium; et omnia profanantes omnemque thesaurum ecclesie et domni episcopi, quidquid sacrum, quidquid Deo dicatum, quidquid intus sub Dei protectione depositum fuerat, temeraverunt. Ipsa sacrata indumenta et omnem templi decorem, privilegia[a] antiquitatis[b], ecclesie librarias et antiquarias[c] destruxerunt, et tamquam margaritas porcorum vestigiis exesas cuncta[d] ...... sui populatus lugubres ad Deum mittebant mugitus. Deinde vertiginem vesanie sue in aulam episcopalem vertentes, furioso ore in episcopum latrantes, omnia subverterunt, quidquid in utensilibus in suppellectili, quidquid in vino et frumento[e], confractis cameris, ostiis, diversoriis, deambulatoriis sedibusque, penitus omnibus demolitis[f]. Vinum, quod non potuerunt consumere, in rivum productum terra mater sorbebat. Novissime in clericos, qui domno episcopo adherebant, sui furoris convertentes tonitruum, domos ipsorum et res familiares et quicquid in ipsis fuit ad solum usque denudabant. Portas quoque urbis clauserunt, ne aliquis ab inde domno episcopo pateret accessus. Et sic, domum Domini irreverenter ac[g] contumeliose prostituentes hactenus, qualiter domno episcopo inferrent perniciem, omni sollicitudine pertractabant; super omnibus his sceleribus, sicut qui maiori se iudice solent tueri, domnum imperatorem auctorem et preceptorem interpretantes.

Postquam tante impietatis ad domnum episcopum pervenit opinio, nichilominus, admonitis fideiussoribus, prefixum emendationis ipsorum in castro Pinguie prestolabatur terminum. Ubi autem eos fraudis sue emolimenta[h] perpendit tanta infidelitate fore[i] adeptos nec satisfactionem pro iniuria sed minas e contra tonare, aiebat: *Ab ipsa pactionis*[k] *origine* inquit *luce clarius*

a. previlegia 1. b. antiquitates 2. c. librarios et antiquarios 1, 2. d. cuncti 2. e. invenerunt *excidisse videtur.* f. demolitur 2. g. in 1. h. emolumenta 2. i. foret 1. k. factionis 2.

erat, quia[a], *mortifero doli velamine concordie*[b] *federa ineuntes*[c], 1159 Oct.
non dictis facta compensarent, sed timide nequitie sue cepta, data oportunitate, patrarent. Semper enim presumit seva, conscientia perturbata[1]. *Conscientia enim eorum, nevo infidelitatis transfixa, non potuit non nocere. Generatio enim hec prava et perversa filiorum Mengoti, generatio que nunquam direxit cor suum*[2], *genimina viperarum*[3], *hec venenosa capita ydre repullulantia nunquam vincuntur in bono*[4]. *Ego enim per patientiam sustinui eos. Vindicet Deus obprobrium et conculcationem sanctorum suorum, et reddat sanguinem tante traditionis super capita eorum; quoniam polluerunt sanctuarium Domini, et de domo Dei fecerunt speluncam latronum*[5]. *Hoc videat Deus et iudicet, reddatque eis secundum opera eorum; quia gratis sitiunt sanguinem meum, et insidiantur vite et honori meo.*

Post hec versus Moguntiam cum[d] procederet, et prae[e] foribus civitatis eorum comperisset et — in fugam ipsis conversis — evasisset potenter insidias, noluit fidelium suorum consultationi acquiescere, ut, collecta militia, civitatem percuteret in ore gladii. Sed cum in pravitate propositi sui eos perseverare et imperiali se auctoritate super tanto flagitio tueri cerneret, civitatemque ipsam eius soli domino[f] conservandam faterentur; postquam eos in festivitate omnium sanctorum gladio Nov. 1
excommunicationis ferierat et civitatem a divinis suspenderat; ad imperialem presentiam, cui tanta obsequia impenderat, super tam piaculari flagitio cum religiosorum copiosissima multitudine transalpinare contendit.

Ea tempestate, felicis recordationis papa Adriano debito nature perfuncto[6], magnis apostolica sedes obtunsionum[g] malleis erroribusque trapezitarum[h], tamquam regnum in se ipsum di-

a. quod 2. b. discordie 1, 2. c. inientes 1. d. *om.* 1. e. pro 1. f. *an* dominio? g. obtonsionum 1, obtensionum 2. h. trapezatarum 1.

1. Sap. 17, 10: „Cum enim sit timida nequitia, dat testimonium condemnationis; semper enim praesumit saeva, perturbata conscientia". 2. Ps. 77, 8: „generatio prava et exasperans; generatio, quae non direxit cor suum". 3. Matth. 23, 33. 4. Cf. Rom. 12, 21. 5. Cf. Matth. 21, 13. 6. 1159 Sept. 1.

1159 Nov. visum in duobus apostolicis e regione dissidentibus, quorum alteri Victor alteri Alexander tradiderat pronostica[a] nomen, raptabatur in preceps. Et scismatis cancer in vastum eo usque ecclesie corpus irrepserat, quod christiane unitatis soliditatem pene sua infecisset malitia, nisi inspirante Deo catholici principes huic[b] generali morbo ancipiti gladio spiritus per abscisionem[c] festinassent occurrere. Itaque venerabilem Arnoldum Maguntinum, transalpina petentem, imperiales apices multorumque illustrium principum in itineris ipso procinctu prevenerunt epistole precarie, poscentes: ut pro necessitate universalis ecclesie eis dignaretur in octavis epiphanie[1] reverentissimam suam exhibere personam; locum Papie, et totius qualitatem meritave insinuantes negotii; proponentesque: quod sine auctoritatis sue presentia, etiam si mundus conveniret in unum, tam arduam causam diffiniri non expediret, eo quod omnium oculi ipsius super hoc consilium expectarent atque sententiam.

In omnium quoque epistolarum pretextu[d] ipsius super negotio, cuius gratia proficiscebatur, imperator ac principes accuratissime loquebantur; patientiam, quam in hac causa exhibuerit, admodum commendantes; et suam opem contra impios hostes domini Dei et suos omnimodam pollicitantes; prenunciantesque, quod nil aliud perfidos et infidelissimos ipsos nisi labor pena et erumpna atque confusio maneret, quoniam hac infanda temeritate non solum Maguntinum, verum etiam in ipso totum concussissent ac[e] turbassent imperium. Hiis ergo litterarum, quasi ultro se ingerentis[f], victorie perceptis tropheis, aiebat: *Dominus Deus* inquit *qui est terribilis in consiliis super filios hominum*[2], *videat et discernat causam meam; quoniam gratis et supervacue exprobraverunt animam meam*[3], *et demoliti sunt domum Domini et testamentum eius polluerunt. Deus, qui dissipavit*[g] *consilium Achitofel adversus David, dissipet consilium eorum adversum me et reddat eis secundum vias abhominationis*

a. prognostica 2. b. hinc 1. c. abscissionem 2. d. *sic.* e. et 2. f. ingerentes 1. g. dissipat 1, 2.

1. 1160 Ian. 13. 2. Ps. 65, 5. 3. Ps. 34, 7.

eorum. Ego autem paratus sum, innocentiam meam omni regno probare[a]*; et coram omni imperio cum ipsis contendere volo iudicio; et perscrutari, quid apud imperium promeruerim*[b]*, quia isti impiissimi auctoritate, ut aiunt, inperatoris mandatoque suo tantam contumaciam in me presumpserunt.* 1159 Nov.

Gradiebatur autem domnus Maguntinus via regia; cupiens montium Iovis aditus valliumque ipsius anticipare prerupta, ne forte hiemps, que tunc asperior inhorruerat, que haut parum nivales aquas in glaciem iam coegerat, transitum ipsum Iovis in difficultatem converteret. Nov. Dec.

Porro adversarii sui, contra eum per invia et solitudines compendio quodam usi, more latronum noctis profunde inrumpentes[c] silentium[d], bidui itineris ferme spatium ipsum precesserant; clanculo preire conantes, ut famam ipsius apud imperatorem et totam curiam commacularent[e] et, pretio exhibito, aliquos interim sibi compararent fautores. Sed Deus, qui superbis resistit et humilibus dat gratiam[1], eorum nequitie impetum ipso in itinere subnervans, iuxta quod scriptum est: *equum et ascensorem proiecit in mare*[2], a quodam magnate regionis illius capti, detenti et ad suam, scilicet episcopi, presentiam usque conservati, ipsiusque voluntati omnes sunt traditi et in manu sua positi; ut eis redderet, secundum quod ipsi promeruissent. Noluit autem clementissimus presul — quamvis tanta mala pro[f] bonis ei ingessissent, quamvis tantam impietatem et tam immanem[g] rapinam tyrannidemque adhuc in domum[h] Dei et in ipsum exercerent, et[i] domo patria propriaque sede eum expulissent — noluit in eos manum inicere; non carcerem, non vincula, non ullam custodiam. Sed vehementer indoluit, quia retenti ac impediti fuissent. Iussit eos illesos ac liberos abire, ut ceptum contra iustitiam prosequerentur iter. Ceterum ipsi, nusquam[k] tutos[l] se fore credentes, ad imperatoris usque pre-

a. probare *om.* 1. b. promeruerunt 2. c. inrupentes 1. d. solencium 1. e. conculcarent 2. f. bro 1. g. immanam 1. h. domo 1, 2. i. ac 2. k. nunquam 2. l. tutos *om.* 1.

1. Iac. 4, 6. 2. Exod. 15, 1.

1159 Nov. Dec. sentiam ipsius fruebantur[a] tuitionis ducatu. Implebat itaque venerabilis Maguntinus mensuram apostolicam, factus[b] tante adversitatis discrimine actor[b] apostolici verbi, dicentis: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi*[1]. Animum quoque David, Bethleemitidis regis atque prophete, induisse conspicitur vir iste egregius; cui cum persecutorem suum, Saul impiissimum regem, Dominus in manu sua in spelunca Odollam[c] tradidisset, abscisa[d] clamidis ipsius[e] ora[2], noluit extendere manum in ipsum, dicens: *Iudicet Deus inter te et me*[3].

Dec. Quanto autem apparatu quantove[f] tripudio, postquam presentie sue rumor castra cesaris fama evolante respersit, et quam officiosissime ad unum circiter miliare — preter hos, qui pridem[g] ad unam vel amplius dietam occurrerant[h] — principes omnes obviam Maguntino procedere si[i] cerneres et certatim in oscula ruere[k] et ab ore narrantis pendere inviseres[l], pulchri spectaculi illa dies foret. Stipatus igitur hinc inde principibus, undique et fulcitus proceribus et aliis quorum non est numerus, aulam imperialem preconis sub voce Maguntinus ingreditur. Tante presulis reverentie maiestas imperialis assurgit et Teutonico more[m] resalutatum considere iubet.

At ipse, omnibus principibus sibi constantibus magno dato silentio, iniurie sue querelam presentibus adversariis coram depromit; curiosissime sciscitans: an cesaris throno hec tam seva emanasset sententia, quod[n] ministeriales sui coram positi sedem Maguntinam, patria rebus et honore ipso depulso, rapaci sacrilegio et latrocinanti[o] tyrannide debuissent invadere; et domum orationis, ipsum tribunal Dei viventis, speluncam latronum et omnis spurcitie lacunam exhibere mandasset; et an servitio suo apud imperialem maiestatem id promeruisset.

Talia perstabat memorans, fixusque manebat[4].

a. furebantur 1. b. factus — actor *scripsi pro* actus — factor 1, 2. c. Mo-olla 1, Meolla 2. d. abscissa 2. e. *om.* 2. f. quantoque 2. g. predem 1. h. occurrererant 1. i. si *addidi.* k. rure 1. l. videres 2. m. m̄e 1, more 2. n. quid 2. o. latrocinante 2.

1. Rom. 12, 20. 2. 1 Reg. 24, 6. 3. 1 Reg. 24, 13. 4. Virg. Aen. II 650.

Vix cum verba finisset, concitato clamore ob sceleris novitatem 1159 Dec.
et immanissime infidelitatis raritatem omnes strepere omnesque vociferari glomeratis cepere tumultubus: *O pro nefas!* et: *Moriantur suspendanturque! Rei sunt mortis et rei sunt maiestatis*[a], *qui hec presumpserunt.* Et geminabant. Tandem clamore sedato, postquam domnus imperator a se huius suspicionis notam absterserat, adversarii Dei, luridi ora[b], in medium responsuri ducuntur; faciem enim ipsorum pallor, suffusus rubore ac tremore, obsederat[c]. Quid contra dicerent, miseri non habebant. Sed, quibusdam innitentes calumpniis — a principibus pressi silentio, quia hiis mendaciis locus non erat — quales principum totiusque curie invectiones detulerint; quam truces[d] intuitus ferocesque animadversiones experti sint[e]; quanto ludibrio habiti, qualesque damnationes in se super tam detestabili temeritate sua audierint; quanto pudore affecti, a conspectu curie usque in crastinum, iterum audiendi, sublati fuerint; quantumque[f] domni Maguntini oris gratiam et corporis dignitatem et elegantiam gestus ipsius observantiamque verborum suorum et grandeve sue etatis reverentiam universi obstupebant, hostibus suis devoventes; et presens etas et secutura[g] potest retinere posteritas.

Hiis ergo pro tribunali decursis, catervatim ruunt principes, suum domno Maguntino offerentes hospitium.

Validissima namque obsidione medio hiemis tempore ambierat domnus imperator quoddam munitissimum Italie opidum, Crema nomine; aggeresque, valles, propugnacula, arietes, machinas et omnia edificiorum tormenta contra ipsum in gyrum prestruxerat. Ediderantque sui ad hiemales imbres horroresque algentis brume arcendos, omnibus circiter ad decem miliaria circa abrosis[h], quecumque mappalia, paleariis circumpendentibus[i].

Ad hec igitur hospitia novum hospitem curiosi principes certatim vocabant. Obtinuitque eum illustris Conradus comes palatinus Reni, imperatorisque germanus; et quia vicinior curie,

a. maiestati 1. b. luridiora *corr. in* lucidiora 1, luridi ora 2. c. obsiderat 1. d. corucis 1, truces 2. e. sunt 1. f. quantamque 2. g. secutā 1. h. obrosis 1, abrosis 2. i. pendentibus circum 1, 2.

1159 Dec. et quia ei familiarior erat. Et suum hospitium, medio in publico pro ipsius oppidi foribus magno macerie[a] robore septum, et multitudinis erat capacius et, in cuiusdam valli eminentia patula[b] consitum, liberum cernentibus longioremque passim pollicebatur intuitum.

Tanta autem vis algoris regionem illam et omnem meridianam plagam ea tempestate compresserat, ut et aqua, in terre duritatem coacta, solidum[c] plantis iter prebuerit — quod illic monstruosum est — et, rerum lege mutata[d], meridionales coloni in aquilonis climate se hiemare contenderent.

Hospitalitatis igitur expletis officiis, dum aurora spargit polum terrisque illabitur[e] dies[f], super negotio domni Maguntini principes convenerunt in unum; quilibet ipsius iniuriam tamquam suam prosequi cupiens. Sed obsidionis labor atque anxietas aliquot resistebat diebus; nec dabatur otium, ut domnus imperator huic malo[g] imponeret debitum finem. Nec sine magno cordis dolore transibant[h] principes, presertim Maguntine ecclesie homines, tantam iniuriam. Conquerebantur enim sedula contritione altissimo Deo, quod huiuscemodi conditionis viri tam temerarium et criminosum facinus in tam excelsum principem magnificumque archiepiscopum[i] et in tam nobilissimam sedem attemptassent; adicientes, quod, si iam fas esset et nisi per imperatorem dumtaxat omitterent, diversis penis affectos[k], laqueis eorum guttura constringerent[l], et variis suppliciis actos[k], diversarum genera penarum experirentur.

ante Dec. 25 Tandem, cum sollempnis sacratissime nativitatis Domini ortus urgeret, nacta oportunitate — in medio exhibiti cum obiectis respondere nequirent, nec esset conveniens eorum testimonium; et ex principum sententia mortis pene[m] addici super horrenda sua presumptione universi deberent — iudicium sic mutatum est in consilium: ut ipsi, omnimoda satisfactione domno episcopo in misericordia vel iudicio respondentes, sicut vitam

a. materiae 2. b. patulo 1. c. solitum 1. d. immutata 2. e. illibatur 1. f. *om.* 2. g. modo 2. h. transiebant 1, transigebant 2. i. episcopum 2. k. *sic.* l. confringerent 1. m. pena 1.

et res diligerent, civitatem monasterium et omnia ablata infra illud spatium sibi cum omni integritate restituerent; et offensam illatam digno exhibitionis honore pro beneplacito domni episcopi cum omni emendatione expiarent; et civitatem et proprium larem et totum episcopatum usque ad gratiam suam et preceptum abiurarent. Noluit autem domnus episcopus tunc in instantia eorum iuramenta[a] recipere, nisi primum excommunicationis vinculo exirent et secundum canonicam se exhiberent iustitiam. Quod quidem ob obsidionis ferventissimum studium ad Papiense usque dilatum est concilium. Satagebat enim domnus imperator, ante nativitatis proximum festum ut oppido[1] vel deditione seu viribus potiretur. 1159 ante Dec. 25

Interim autem — adversariis ibidem retentis[b], ut postmodum, nisi omnia restituerentur episcopo, gravius in eos animadverteretur — domnus imperator in hec verba Maguntinis[c] rescribit:

„Fredericus Dei gratia Romanorum imperator et semper augustus universo clero totius civitatis Maguntine ministerialibusque et omnibus eiusdem civitatis civibus gratiam suam et omne bonum. Veniens ad nostre maiestatis presentiam carissimus et nostri maximus imperii princeps, Arnoldus archiepiscopus vester, miserandam et nostris temporibus inauditam auribus nostris in communi frequentia principum nostrorum querelam adversus vos deposuit: videlicet quod ipsam domum Dei, ecclesiam maiorem, quod a seculo non est auditum, incastellaveritis; et, que domus Dei domus[d] orationis ex ipsius ore Dei predicatur[2], speluncam latronum et omnium officinam abusionum vobis illicite et flagitiose feceritis. Quam ob rem, sicut gladius doloris pro tanti sceleris ausu et pro tam piaculari flagitio viscera nostra concussit et ipsa precordia nostra prorsus penetravit, sic ipsum gladium iustitie, gladium ultionis, quem[e] ad

a. eorum in camenta 1. b. relictis 2. c. Maguntino 1. d. domus *addidi.* e. que 1.

1. Crema. 2. Matth. 21, 13: „Domus mea domus orationis vocabitur“.

1159 ante Dec. 25 vindictam malefactorum laudem vero bonorum ex divina provisione gerimus, in cervicem impiorum et malefactorum deservire[a] oportebat; nisi quod ex persuasione principum, ne[b] precipites videamur, tanti sceleris expiationem et dignam emendationem vestram expectamus. Preterea, ne quid ad dolorem deesset, unde tam nostra quam omnium catholicorum voluntas contra vos merito succendi debeat, erarium domus Dei, in quo sancta sanctorum erant recondita, in quo et ornatus templi, videlicet pallia cappe plenaria vestesque[c] sacerdotales et cetera vasa[d] ministerii Domini erant reposita, armata manu irrupistis; et universa per pavimenta ecclesie dispergentes, tabernaculum Dei suis operimentis denudastis violastis et contaminastis. Ut autem de divinis ad humana descendamus, huc[e] accedit: quod ipsum carissimum principem nostrum, dominum et archiepiscopum vestrum, suo potentatu suoque dominatu temerario ausu vestro privastis; ab ipsa civitate, ad cuius titulum electus et consecratus et intronisatus est, ipsum violenter eiecistis; eiusque domum et aulam episcopalem indecenter ei abstulistis; et fracto eius erario simulque cellario, aurum eius et argentum, vinum quoque et necessaria cetera, quibus nobis debebat deservire et imperio, vos, quibus est pro ratione voluntas, diripuistis et violenta manu inter vos distraxistis[f]; hec et similia ex nostra voluntate et iussione vos fecisse, asserentes. Quod, sicut Deo et hominibus odibile est, ita a conscientia nostra et omni mandato nostro, teste Deo, constat esse alienum. Per presentes itaque nostre auctoritatis apices vobis[g] singulis et universis mandamus, sub optentu nostre gratie precipientes: quatenus, a sanctuario Dei primum incipientes, cum omni honore et ornamentorum integritate ecclesiam Dei Deo restituatis; et dilecto principi nostro archiepiscopo vestro domum suam et aulam episcopalem cum auro et argento suo, cum omnibus utensilibus et universis ablatis, in presentia legatorum nostrorum Simonis[h] de Sarbrucke et Walteri[i] de Husen[k] et Davidis Wor-

a. deservire 1, 2. b. nec 1. c. vestes quo 1. d. vsa 1. e. hoc 2. f. destruxistis 1. g. vobis *addidi*. h. Simone 1. i. Waltero 1. k. Hussen 2.

matiensis, presente quoque nuncio[a] archiepiscopi, Arnoldo custode[b] maioris ecclesie, sub testimonio etiam Hartmanni maioris prepositi Sigiloni[c] decani et magistri Willehelmi, absque omni diminutione reddatis; ipsam quoque civitatem cum omni iure et honore ita liberam, sicut eam habuit, cum a patria eximus, omni remota contradictione, eius dominationi subdatis et resignetis; et de omnibus illatis iniuriis ipsi plenarie satisfacientes, debitum honorem et dignam reverentiam cum omni servitio ei de cetero exhibere ita studeatis, quatenus gratiam eius, quam vehementer offendistis, per dignos fructus correctionis[d] vobis reconcilietis, et nostra imperialis clementia inter ipsum et vos mediatrix possit exsistere, quod ecclesie Maguntine status de cetero incolumis perseveret et universitas vestra in rebus et personis sub eius patrocinio in pace et tranquillitate possit permanere“. 1159 ante Dec. 25

Postquam, perfecta legatione, nuncii repedarunt — de civitatis, ecclesie auleque episcopalis ablatorumque[e] restitutione aliaque prosperitate[f] domno archiepiscopo et universe curie secundos baiulantes rumores — dominice nativitatis feriatis sollempniis, Cremensisque oppidi obsidione, ipsius facta deditione[1], victoriose ac[g] triumphanter[h] peracta, castris in favillam cineremque usque redactis[i], ventum est ad Papiense concilium. 1160 Ian.

Ubi — postquam sancta et universalis ecclesia, spiritu Dei verbi congregata, de duobus apostolicis per[k] decretum alterum presentem, Octavianum videlicet qui ad eius examen confugerat, canonica censura electum et promotum ut illic multis argumentis sole clarius apparuit, in cathedram beati Petri canonice ac rationabiliter confirmavit — in presentia domni pape et imperatoris totiusque concilii domnus Maguntinus prefatos adversarios suos ab excommunicationis sententia denodavit. Dignum namque erat, ut, quod sub oculis totius mundi, ut ita dicatur, Febr.

a. notario 2. b. custodi 1. c. Sigilonis 2. d. correptionis 1. e. ablatorumve 1. f. prosperitate *scripsi pro* prospera 1, 2. g. et 2. h. triumphante 1. i. redactis *scripsi pro* correctis 1, 2. k. per *addidi.*

1. 1160 Ian. 26 et 27. V. Otton. Morenam, cuius librum edidi in Mon. Germ. SS. XVIII 619.

1160 Febr. per superbiam commiserant, per satisfactionem coram omnibus humilitate diluerent. Absolutionis igitur et reconciliationis modus hic fuit: ut clerici secundum ordinem suum, qui presentes aderant, post absolutionem pro honore domni episcopi in[a] ipsa civitate Maguntina laneis tunicis nudisque plantis vindictam, que vulgo dicitur harnschare[1], de Sancto Petro usque ad Sanctum Albanum per civitatem mediam deferrent, et sic domno episcopo reconciliarentur per osculum; ita tamen, quod iustitie starent, si super aliquo eos impetere vellet; laici vero: capitanei post ipsam absolutionem, et qui in presentiarum erant et qui domi remanserant, usque ad mandatum domni archiepiscopi civitatem et ipsum episcopatum abiurare et, cum ipse iuberet, civitatem ingredi — et non ante — deberent, responsuri super hiis, que adversus[b] ipsos haberet, vel in misericordia vel iudicio suorum comparium, et sic gratiam et bonam voluntatem recuperarent; cives autem, postquam vindictam[c] portassent, domum episcopalem, ut antea fuerat vel melius, in omnibus suis utensilibus reparare et, quicquid ex ablatis deesset, equa compensatione domino suo archiepiscopo oporteret recompensare. Hec coram imperatore et principibus acta et privilegio[d] imperiali confirmata ac per nuncios imperiales, quo[e] super his omnibus vicem cesaris cognoscerent, Maguntinis constat esse delata.

Quanta autem auctoritatis dignitate inter alios catholicos patres in conspectu totius concilii effulserit; qualia quoque de christiane religionis unitate referenda[f] contra divisionis impiissimum scisma more declamatorio et quam profunda[g] disputarit; quomodo et universam ecclesiam in[h] verbo exhortationis ad emulationem indivise armaverit unitatis et paternarum traditionum; quantum pro pacis bono, quantum ad reformandam[i] concordiam inter regnum et sacerdotium desudaverit; et quantum Ma-

a. in *addidit Boehmer.* b. adversarios 1. c. vindicta 1. d. previlegio 1. e. quod 1, 2. f. unitate referenda *scripsi pro* unitatis reverencia 1, 2. g. profunde 2. h. in *om.* 1. i. reformandum 1.

1. Cf. supra p. 615 n. 3.

guntinam ecclesiam profunditate sapientie, discipline gestusque 1160 Febr.
sui reverentia, vocis totiusque persone dignitate in oculis omnium magnificaverit, ita ut recte id in ipsum regine Austri[a] concreparent eulogium: *Maior est sapientia tua quam rumor, quem audivi*[1]; et quomodo omnem Theutonicum clerum in articulo diei illius sue virtutis fulgore nobilitarit; nulla temporis mobilitate[b] a bonorum mentibus debet excidere.

Deinde, novo cum apostolico veterana Romane[c] et Maguntine ecclesie federa novis amicitiis[d] concilians, vicem apostolici super omnem sui metropolitanatus diocesim legationemque novellis fascibus portans; valedicens fratribus; ab imperatore totaque curia gratissime[e] resalutatus, ei queque[f] optata prosperaque imprecante[g]; assumptis honoratissimis viris ex imperiali latere, qui causam suam cum Maguntinis vice domni imperatoris, ut supra dictum est, peragerent; itinere multo confecto, aerisque violentissimam intemperiem fluminumque ac[h] viarum pericula[i], aquilone horribiliter stridente, Spiram usque perpessus; ad patrios lares — pacem et quietem[k], et amodo divinis totum se mancipare obsecutionibus inenarrabiliter sitiens — Maguntiam[l]
circiter ramos palmarum remeavit. Et haut procul a civitate c. Mart. 20
apud Sanctum Albanum emendationem civium per octo dies continuos et eo amplius expectavit.

Ubi cum omnia in pace iuxta imperialem sanctionem auctore Deo[m] composita viderentur, et misericordissimum ultra quam credi possit se singulis et universis exhibuisset, omnibus, qui onerosam[n] vindictam vel exilium pro offensa debebant, supra modum parcens et compatiens; pauci admodum effluxerunt dies, quod hii, qui secundum[o] imperiale decretum gratia satisfactionis ad exilium, sine voluntate domni episcopi non reversuri, transmigrarant, e vestigio ferme — cum optimum circa eos

a. Austriae 2. b. nobilitate 1. c. veterana Romane *scripsi pro* Romane veterana 1, 2. d. amicis 1. e. gravissime 2. f. quoque 1, 2. g. imprecantes 1, nuntiantes 2. h. ac *om.* 1. i. periculis 1. k. quietam 1, *corr. in* quietem 2. l. Maguntinam 1. m. *om.* 1. n. *sic scripsi pro* honorem 1, 2. o. *sic scripsi pro* secus 1, 2.

1. 3 Reg. 10, 7.

1160 gratie gereret animum, ut mox ad imperatoris precatum eis sine difficultate largiretur introitum — ipso invito et inconsulto[a] denuo civitatem quasi ex precepto imperatoris[b] maiori[c] quam prius contumacia ingressi sunt. Et fiunt novissima peiora prioribus.

Duo enim truculentissimi homines, Reginbodo scilicet de Pinguia et Gotefridus de Eppinstein, quasi duo viperini virulentissimi fetus gemelli, qui una cum aliis civitatem et episcopatum abiurarant, in civitate ipsa deierantes[d] perstiterant, armata multitudine eundem locum inpiantes. Ad quos eliminandos, quia popularis vesanie impietas ipsis cepit iterum favere, quosdam suos necessarios domnus metropolitanus convenerat. Quam ob rem, ut impietas impietati adesset possetque[e] contra pietatem dimicare fortius, qui exierant, illicitam maturaverunt reversionem. Numquam[f] satis festinare potest infidelis eversaque conscientia.

Ceperunt iterum civitatem machinis propugnaculis turribus et edificiorum obstructionibus aliisque munimentis, domos suas[g] atque plateas modis omnibus instruere, cives a magno usque ad parvum contra dominum suum archiepiscopum armare animare et, ut ad necem ipsius vigilantissime se prepararent dato signo, pro viribus adhortari; proclamantes: ipsum esse sevum hostem loci, destructorem, predonem, exactorem, qui eos omnibus bonis privasset, totiusque civitatis mortificatorem; senem, cuius iam peccata venissent, cuiusque sanguinem propriis manibus deberent profundere[h]. Et ex hinc observabant oportunitatem, quomodo eum possent occidere. Ad maiorem quoque tante exprobrationis atque[i] contemptus cumulum turgida[k] et illud adiciebat crudelitas: quod, quicquid ei paulo ante detulerint, non pro ipso, non ut sibi aliquem ex offensa impendissent honorem[l], sed ex mandato et pro mandato dumtaxat cesaris hec persolvissent. Hec impia et alia sceleratissima in episcopum et dominum suum profana personabat Maguntia.

a. in ipso invito et conscio 1, ipso invito et inconscio 2. b. imperatorio 2. c. maioris 1. d. degerantes 1. e. posset 1. f. Numquam — conscientia *om.* 2. g. suos 1. h. perfundere 1. i. et 2. k. tergida 1. l. laborem 2.

Cum hec multiplici rumore multorum vel relatione forent 1160
comperta, primum domnus episcopus, pii magistri ac pastoris Iesu Christi exemplo maledicta eorum haut multum depensans, *Et Dominus* inquit *meus Iesus Christus a Pharisaica hoc quam sepe pertulit perfidia, dicente: „Demonium habes“*[1] *et: „Filius fabri est*[a][2], *qui in Belcebub eicit*[b] *demonia“*[3] *et: „Venite, mittamus lignum in panem eius, et eradamus eum de terra viventium*[4]; *quoniam contrarius est operibus nostris et improperat nobis peccata legis*[5], *et abstinet se a viis nostris tamquam ab immunditiis“*[6]. *Qui, cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur; tradebat iudicanti se iniuste*[7]. *Non contendebat neque clamabat, sicut dicit scriptura, nec audivit quis in plateis vocem suam*[8]. *Contumelias et errores passus est ab eis. Exemplum dedit nobis, ut et nos ita faciamus*[9]. *Oportet ergo nos ambulare, ut et ipse ambulavit*[10]. *Maguntina autem cecitas ad hanc usque prorupit insaniam, quod Iudaica infidelitate domum Dei, domicilium orationis, sponsam Iesu Christi, sancta sanctorum*[c] *dehonestarit et infandissima immunditia conculcarit. Et in hoc tanto et tam inexistimato nostris temporibus facinore non solum resipiscere*[d], *non solum Deo satisfacere nolunt*[e], *sed et contemptum contemptui coacervant. Quippe impius*[f], *cum in profunda viciorum devenerit*[g], *contempnit*[h][11]. *Ceterum a sanctuario Domini inceptum est iudicium*[12]; *et quis sum ego, ut dispositionem*[i] *Dei possim prevenire*[k], *quando et si sic a Deo previsum est, ut*[l] *pastorem percutiant. Sane, impietatem eorum et abhominationem nefandissimam tantumque nefas in ecclesia Dei, mihi commissa, insidere, equo animo ferre nullatenus possum. Utamur ergo foro, quod gratia Dei nobis concessit, donec invicta Felicitas finem his malis imponat. Ego*

a. es 2. b. eiecit 1, eiicit 2. c. conculcarit et *sequuntur in* 1, *desunt in* 2. d. resipisci 1. e. volunt 1. f. ipsius 1. g. devenerint 1. h. contemnet 2. i. disposicioni 1. k. perire 1. l. et 1.

1. Ioh. 7, 20. 2. V. Matth. 13, 55. 3. Luc. 11, 15. 4. Ierem. 11, 19. 5. Sap. 2, 12. 6. Sap. 2, 16. 7. 1 Petr. 2, 23. 8. Matth. 12, 19. 9. Cf. Ioh. 13, 15. 10. Cf. 1 Thessal. 4, 1. 11. Prov. 18, 3. 12. Cf. Ezech. 9, 6.

1160 *enim sum senex sexagenarius et eo amplius et processi in diebus meis*[1]*; canus, uti verticem cernitis; multo labore multisque huiusmodi erumpnis et calamitatibus et angustiis spiritus attritus; seniles artus et fatiscens canities quietem et otium a modo rogant. Proposueram*[a] *reliquum tempus vite mee et etatis — etsi*[b] *circa undecimam et serotinam horam, tamen quia numquam est sera conversio — adepta pace, domino Deo holocaustum exhibere; ut deinceps, exutus a contubernio et sollicitudine*[c] *huius mundi et*[d] *a nequitia eius, soli Deo vacarem. Sed nunc, quia Maguntina perfidia quietem mihi et propositum invidet, et desolationem ecclesie mee, pro qua multos perpessus sum labores et mala, contemptumque sanctorum nequeo intueri, vertendus est huius linee*[e] *gressus. Malo enim incidere in manus hominum, quam in manus Dei mei*[2]*; ut cum propheta canere possim: „Quid retribuam Domino pro omnibus, que retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo“*[3]*. Dominus Iesus Christus pro peccatoribus, quorum ego unus sum, et pro ecclesia non habente*[f] *maculam neque rugam*[4]*, ut exhiberet eam virginem, sanguinis sui proprii lavacro mori dignatus est. Et ego quoque propter ipsum et ecclesiam suam, ut filii sathane de tanta presumptione non glorientur, paratus sum et in carcerem et in mortem ire. Ipsi quidem mihi necis minas et verba blasphemie intemptant, arbitrantes me deterrere. Sed ego, volente Deo, persequar*[g] *vias eorum et eos*[h] *de tante factionis piaculo in emendationem Domini compellam intrare. Scriptum quippe est: „Cecos et claudos compelle intrare“*[5]. Dixerat hec.

Denique, ut infidelitatis periurii et sacrilegii ipsorum decertaretur[i] et convinceretur vesania, ducem Saxonie[6] ad spectaculum istud — quia ipse, cum coram imperatore compositionem[k] fecissent[7], presens erat — et alios principes, ut saltim

a. Preposueram 1. b. et sic 1. c. sollitudine 1. d. et *addidi.* e. linie 1. f. habentem 1. g. per se ipsam 1, persequar 2. h. eos *addidi.* i. decertaretur *scripsi pro* detestaretur 1, 2. k. comspicionem 1, conspirationem 2; compositionem *coniecit Boehmer.*

1. Luc. 1, 18. 2. Cf. Eccli. 2, 22. 3. Ps. 115, 12. 13. 4. Eph. 5, 27. 5. Cf. Luc. 14, 21. 23. 6. Heinricum Leonem. 7. Papiae, m. Febr. a. 1160. Cf. supra p. 643.

eorum adhuc uterentur[a] consilio et Deo et sibi satisfacerent[b], 1160
et alios quosdam nobiles suos fideles Moguntiam advocarat. Ipse autem, paululum eos precedens, versus civitatem se cum paucis accinxerat.

Sed ubi ad castrum suum Ameneburg[c], quod a Maguntia Iun.
ferme duabus dietis distat, pervenit, verentes principum tantorum et ipsius domini sui offensi presentiam, missa legatione in magna deceptionis fraudisque[d] dolositate denuo pacem rogabant; obsides, quot et quantos et quales de civitate placeret admittere, pro gratia sua pollicitantes. Dominus autem, sciens de lege mandatum: *Ne sis memor iniurie civium tuorum*[1], quamvis, totiens et tam maligne deceptus, nec se[e] ipsis credere nec ipsorum verbis poterat[f] in tantum[g] fidem adhibere, tamen, ne supplicantium confunderet vultus et iusta diceretur contempnere, omni annisu ad bonum pacis anhelans, tales obsides cum tali satisfactione et hac vice laudavit accipere. Et protinus demandans principibus, ut modice oporteret subsistere, donec super hoc verbo cognosceret; ipse haut in multitudine magna Blidenstat ad cenobium quoddam, deinde, ad levam Maguntiam obmittens, cis Renum progrediens, quatuor miliaribus a civitate Pinguiam, suum quoddam castrum, ultra Renum transivit.

Helfricum autem quendam, vicedominum suum et fidelem, Maguntiam super obsidibus sciscitandis et procurandis transmiserat. Ipse enim[h] particulam quandam civitatis valida munitione et magni muri robore cinxerat, et presidio totis[i] viribus suis domno archiepiscopo erat. Argutissima vero calliditate ac impiissima Maguntini utentes renunciabant: paratos se fore, quot et quales obsides preciperet[k], et omnem satisfactionem et securitatem domino suo archiepiscopo, dummodo eius promererentur gratiam, exhibere; summopere et eundem vicedominum exorantes, ut eis in tanto negotio patrocinari dignaretur; quia nil tam

a. uteretur 2. b. satisfacerent 1, satisfaceret 2. c. Ameneburgk 1, 2. d. fraudisve 1. e. ne se 1. f. erat 2. g. in tam 1, in tantum 2; *an* in tam gravi re? h. etiam 2. i. tocius 1. k. reciperet 2.

1. Lev. 19, 18.

1160 Iun. asperum, nil adeo durum et difficile esset, dummodo eorum omnino non excederet vires, quin paratissimo animo et obedientia promptissima cum omni fidelitate et humilitate persolverent; et quoniam omni plenitudine cordis et emendatione super his, que deliquerant ad Deum et domnum archiepiscopum, esset eis difficile omnino et timorosum, nec possent[a] leviter[b], in presentia eius apparere; sed in civitate, in curia sua, pro solito vellent ei ad omnem suam iussionem satisfacere. Verum hec idcirco aiebant, ut, si immunitus civitatem ingrederetur, quocumque ingenio esset, ipsum deberent occidere. Unde maiores civitatis ad ipsum super hoc Pinguiam miserunt. Et consilio adinventum est, ut eorum omnis malignandi adimeretur occasio, quod apud Sanctum Iacobum eos suis conspectibus iuberet astare.

Locus autem, ubi hoc cenobium conditum[c] erat, urbis est promontorium haut modicum, toti civitati patulam faciem obpandens[d]. Hoc[e 1] itaque — ab eadem, que in ipsius fundata est radicibus, civitate per sexaginta cubitos vel paulo plus blanda se altitudine in arduum porrigens — amenum et quasi voluptuosum receptaculi sinum in sui medio producit; perviam per ipsum sui medii centrum, in ambientis muri prefati monasterii giro grandi ac[f] sublimi positam, respiciens portam. Deinde se in vastissimam extendens planitiem, a priori facie, que Maguntiam[g] intuetur[h], tribus, per[i] ipsius civitatis duas portas ducentibus, levo medio dextroque circuitu distinguitur viis; ipsum cenobium sancti Iacobi apostoli ambientis — ut diximus — cingulo muri in suo sublimi equalique[k] plano concludens. Monasterium igitur istud, pedibus suis[l] muros Maguntinos attingens, quasi civitas super montem posita, cernentibus eminus adspectatur[m].

Iun. 23 Ad hunc itaque locum reverentissimus Arnoldus Maganti-

a. possunt 1. b. leniter 2. c. consitum 1. d. obpandens *scripsi pro* depandens 1, 2. e. Hic 2. f. grandi ac *scripsi pro* grandem in 1, 2. g. Maguntinam 1, in Maguntiam 2. h. intueetur 1. i. per *addidi.* k. equalive 1. l. suos 1. m. adsuspicatur 1.

1. promontorium.

nus archiepiscopus, zelatus domum Dei et legem Dei sui secundum scientiam[1], [a]ante nativitatem sancti Iohannis baptiste pacifico ingressu sicut homo pacis et mansuetissimus princeps, ut cum impiis civibus suis Maguntinis — quia domum Dei, ecclesiam videlicet Maguntinam, profanaverant — reconciliaretur et[b] eorum super hoc scelere emendationis inibi reciperet obsides, de castro suo Pinguia, non armata manu nec tyrannico apparatu, non ut hostis et depopulator sed ut pius dominus et omnium bonorum amicus, ut in propriam confidentissime[c] domum cum paucis advenit. Sic Achimelech[d] sacerdos Dei ad impiissimum regem Saul[2], sic Abner princeps Israhel de via dolo reductus in Ebron ad Ioab[3], sic Onias sanctissimus et summus sacerdos ad Andronicum, quia scilicet Menelaum furti vasorum templi arguerat[4], sic Symon Machabeus et Matathias filius eius ad sceleratissimum Tolomeum[e] accessit[5]. 1160 Iun. 23

Unde pietas ad Maguntinam impietatem? pax ad discordiam? humanitas ad inhumanitatem? concordia ad discordiam? homo bonus de bono thesauro[6] ad liberos sathane? pastor, princeps, dominus reverentissimus, unctus et consecratus, summus sacerdos, religiosus, castus et misericors ad sacrilegos, homicidas et crudelissimos? Sed quid[f] consilii Maguntia[g] detestabilis cepit? *Ecce* inquit *venit heres; venite, occidamus eum, et habebimus hereditatem eius*[7]. Et nesciebat vir Deo deditus, quia tanto molimine fraudes in eum commentarentur.

Sed ut ceptam prosequamur historiam, ubi eum Maguntini adesse senserunt, primo — arbitrantes, valida manu adventasse et exercitum magnum habere — omnem emendationem et condictos obsides iuxta omnem sui beneplaciti gratiam prebere in crastinum pollicebantur. Verebantur enim, ne principes, quos

a. die *excidisse videtur.* b. et *addidi.* c. confidentissime *scripsi pro* confidissimam 1, confidentissimam 2. d. Achimelech *scripsi pro* Abimelech 1, 2. e. Tolomeum (*i. e.* Ptolomaeum) *scripsi pro* Tolonicum 1, Dolonicum 2. f. quod 1. g. Maguntina 1.

1. Cf. Rom. 10, 2. 2. V. 1 Reg. 22, 11. 3. V. 2 Reg. 3, 27. 4. V. 2 Macc. 4, 32. 34. 5. 1 Macc. 16, 14. 16. 6. Matth. 12, 35. 7. Matth. 21, 38.

1160 Iun. 23 illuc pro bono pacis vocarat, ad ipsum e vestigio pro totius civitatis pernicie maturare deberent, si[a] forte voluntati ipsius non acquiescerent; nondum introitum vel exitum ipsius ad plenum usque noscentes[1]. Verum, ut supra allegavimus, venerabilis pontifex non ut hostis, non armata manu, non ut qui eis aliquid moliretur incommodi, sed ut pacificus dominus et benivolus pater, scilicet pastor ad oves, pater ad filios, quos cupiebat in Iesu Christi visceribus[2], ad[b] satisfactionem, eorum inclinatus[c] precibus, misericordi animo suscipiendam advenerat; magis ipsorum saluti quam sue voluntati vel potestati consulens. Cuius rei evidentissimum est argumentum, quia milites, qui eum comitati fuerant — sparsim in civitate per hospitia sua secure degentes[d] — et tota familia non arma meditabantur, nec ipsa circa dominum suum intulerant; sed leti iocundique animo civium crastinam prestolabantur conventionem. Manifestum est enim, quod venerabilis pontifex numquam tam tenui manu partibus eorum se credidisset, si eos ipse corripere et non ad[e] eorum[f] emendationem super sacrilegii commissi reatu tantummodo recipiendam venisset.

Cum igitur de conventione hac, de obsidibus[g], de satisfactione per totum illius diei spatium tractaretur et noctis; et tota curia, impatiens morarum, crastinum pacis spectaculum et — precursoris Domini, sanctissimi Iohannis baptiste, quo inter natos mulierum nullus maior surrexit[3], feriantes[h] vigiliam — cepte festivitatis omnes prestolarentur solempnia; Maguntini fraudum suarum pestilentis artis[i] nequaquam fuere immemores. Placido[k] enim blandoque vultu ut scorpio et optimis verbis circa domnum episcopum inter nuncios ita incedebant, quod nullus[l] mortalium venenatam caudam ipsorum vel aliud nisi verbum humilitatis, pacis et omnimode[m] satisfactionis, ex ipsis posset percipere. Quippe in corde[n] excordes[o], sevientes, magisque blan-

a. si — acquiescerent *om.* 2. b. ad *om.* 1. c. inclinatis 2. d. eligentes 1. e. ad *om.* 1. f. ipsorum 2. g. obsidionibus 1. h. *sequitur* g *in* 1. i. pestilentes artes 1. k. Placito 2. l. nullis 1. m. omni modo 1, omnimodae 2. n. in cerde et 1, in corde ex 2. o. excordes *scripsi pro* et corde 1, ex corde 2.

1. Cf. Isai. 37, 28. 2. Philipp. 1, 8. 3. Matth. 11, 11.

dam faciem quam bonum ingenium gerentes, omnes de curia, 1160
pro pace, pro gratia ut sibi circa domnum archiepiscopum essent Iun. 23
propitii, efflagitabant; iuramenta periura, quot et qualia velles, et ultro gratisque fervore mendacii exhibentes. Iurares equidem[a], quod nulli viventium sic pacem, sic et tanto ardore gratiam et bonam voluntatem alicuius possent amplecti, sicut isti gratiam domni pontificis cupidissime videbantur exoptare. Unde grates ab omnibus dicebantur altissimo Deo, quod iam pax videretur esse reddita terris.

Ea tempestate[1], (cum Iudas[b]) dominum et magistrum suum furoris et proditionis precio venumdaret, sicut dicitur, alter Iudas, primogenitus sathane, quidam qui sub ovili veste et religionis habitu dirissimus lupus per tonsuram Deo mentiebatur, totius discordie ab ipso cepto incentor, iniquus auctor mendacii et natus ex ipso, eiusdem sancti Iacobi cenobii abbas[2] affuit. Hunc autem domnus episcopus[c] ceteris aliis Maguntinis prius[d] in gratiam receperat; et, ut malum in bono solito[e] devinceret[3], per loca sui episcopatus secum iam ut fidum amicum deducens, eum in plurimis honorarat[f] et, ut bonum amicum de inimicitia creatum, ad consilia secretasve sui cordis deliberationes, quoniam vultum religionis induerat sanctitatisque indolem, incunctanter admiserat.

Hic itaque, solempnem excelsumque diabolum in intentione perbaiulans, accitis nunciis et domesticis suis impiis Maguntinis, efferata, ut dicitur, crudelitate interpretabatur dicens: *Quid tantopere de obsidibus et conventione anxiamini? Quid tam diu protelatis satisfactionis consilium vestre? Ecce victoria in manu vestra est, si homines esse velitis. Ecce tempus, multis retro diebus optatum, presto est. Tradidit enim Deus inimicum vestrum et hostem mortalem, qui filios vestros servituti addicere et gentem et locum demoliri et vos patria et bonis privare cu-*

a. et quidem 1. b. cum Iudas *scribendum videbatur pro* qui 1, 2. c. *sequitur* cum *in* 1 *et* 2; *quam vocem sustuli.* d. prius *scripsi pro* primus 1, 2. e. solido 2. f. honorat 1.

1. nocturna. 2. Godefridus. V. supra p. 629 n. 3. 3. Rom. 12, 21: „sed vince in bono malum“.

1160 Iun. 23 *piebat, in manus vestras. Nunc igitur non parcat oculus vester*[1]*; et non senectuti, non misereatur dignitati; non paveat christum Domini, non formidet a verbis ipsius et*[a] *occursu; non potestatem, non Deum non hominem, in hoc revereatur facinore. Reducere collibeat in*[b] *memoriam, quomodo et ante*[c] *coram imperatore et nunc in principibus vos, civitatem et liberos vestros fuerit annisus confundere ac perdere. Ego sum, qui hoc adhortor, qui tribuo consilium, qui et pro viribus precipio. Circumveniatis inhermem senem et pessimum. Omni*[d] *mea licentia et totum monasterium igne corripite et incendite; que potestis, postmodum reddituri*[e]*, eruite ac extrahite*[f]*; et*[g] *senem illum pestiferum, cuius extremus accessit finis malorum, vivum comburite. Expedit enim, ut ipse moriatur, quam omnes vos pereatis. Verumtamen, ut omnis infamie a vobis detergatis maculam, qualescumque sive lanificum vel carnificum vel cuiuscumque conditionis extiterint, in crastinum sibi obsides prebete. Quos dum ipse inficiabitur*[h]*, repentino interitu in impetu fortitudinis vestre ipsum pariter cum omni loco, si necesse fuerit, involventes igne vel gladio consumatis; super omnia curantes, ut hoc verbum omni tegatur silentio. Ego vero, interim que circa ipsum aguntur, vobis demandare curabo.* Dixerat hec propheta diaboli, preambulus antichristi, facies sathane, domicilium demonis.

Et ilico ad obsequendum reversus coram stabat episcopo; cauteriatam mortiferamque quam gerebat conscientiam minus iam, prodentibus[i] indiciis, abscondere valens. Ubi autem probabili attestatione conlocutionem, quam cum adversariis habuit, in ipso domnus comprehendit episcopus, a sue conspectu presentie ipsum eliminans, tali obiurgatione[k] eum, ut fertur, increpuit: *Discede* inquit *a nobis. Numquam illius infidelitatis atque mendacii expertus monachum fui. Nos super hec*[l] *nullam tibi aliam vicissitudinem reddemus, nisi tu in cheminata tua* ......[m] *Nos, sicut Deus voluerit, ambulare decrevimus.*

a. et *om.* 1. b. collibeat in *scripsi pro* adhibentes 1, 2. c. antea 2. d. omnia 1. e. redituri 1. f. extraite 1. g. et *om.* 2. h. inficiabatur 1. i. prodeuntibus 1. k. obiuracione 1. l. hoc 2. m. *lacuna non est in* 1, 2.

1. Deut. 13, 8: „neque parcat ei oculus tuus, ut miserearis“.

Celebratis igitur sanctissimi precursoris Domini cum omni devotione ac supplicatione sollempniis, compositionis procuratores de obsidibus et civium satisfactione domino referebant: ipsos[a], agentes super[b] hoc verbo, tractasse diutius, et obsides preparatos fore; sed plebeios et ignobiles pueros, quales de populo adipisci quiverunt, qui eum comitari non possent nec ipsum decerent; verumtamen interesse sua, et istos qualescumque[c] recipere, quandoquidem[d] concivium[e] vultus et animos admodum super hoc immutatos fuisse concernerent. Et primum non modicum super hiis commotus, quasi hec minatoria reputans et superba, *Non* inquit *tales obsides nec talem compositionem mihi pollicebantur, sed quales*[f] *ipse admittere vellem, prestitis iuramentis et securitatibus plurimis. Nemo sic petit ut minetur, nemo per exprobrationem rite impetrat. Quasi nobis minantur et terrore nos et ecclesiam nostram arbitrantur deprimere.* Hec et multa alia de deceptione ipsorum, de instabilitate et, quod fallaces essent, heros proponens, post prandium usque et super hec se responsurum consulto promisit; simul, qui venerant, tanto in solempnio secum epulaturos sueta[g] honestate invitans. Suspicabatur etenim: quod tale facinus in ipsum numquam presumerent, cum presertim, multipliciter offensus ab ipsis, eos numquam lesisset; vel, si ad hanc inmanitatem prorumperent, quod munitionem illam et monasterium, in quo erat, infra triduum quantocumque conamine preoccupare non possent; et[h] sic tandem aliquo honesto consilio, non per fugam, evaderet[i]. Cucullatus autem diabolus, quem supra meminimus, hesternam furoris parricidiique crapulam Maguntinis eructabat[k]. 1160 Iun. 24

Vix venerabilis pater refectionem compleverat; occupatus enim[l] circa innumerabiles pauperes, viduas et orphanos — quos in instanti opere misericordie, copiosa[m] videlicet elemosina, ut sibi semper moris erat, sufficienter expleverat — fuerat aliquantisper detentus; vix in extrema lectuli parte fessos et seniles[n]

a. ipso 1. b. desuper 1, 2. c. qualiscumque 1. d. quandoque 1. e. cum civium 1. f. qualis 1. g. consueta 2. h. sed 1. i. evadere 1, evaderet 2. k. eructans 1. l. em̄ 1. m. copies 1. n. aniles 1, 2.

1160 Iun. 24 artus quiescendos posuerat, cum[a] repente ingens in civitate clamor attollitur. Et confusa voce tubarum campanarumque, cornuum[b] armorumque strepitu, aliarumque compulsationum innumerabilium terra sono horrenti concussa, uti[c] in antiquum chaos mole subversa, quasi dehiscendo tremiscens iam ferretur[d] in preceps, protinus Maguntina impietas, sicut arrepticia passim tumultuanti[e] furore debachans, ut puta[f] apum[g] examen, de obscuris perfidie sue, clipeis ac peltis ceterisque funestis, vexillis et omni armorum genere armata[h], *Io! est*[i] *pax rupta!* diro clamatu vociferans, cum facibus et lignis, lapidibus, scalis, claustra civitatis insana perrupit[k]. Deinde festinans, quasi mundum vociferatione involveret, tribus in turmis, diabolica trinitate divisa, tribus viis, quas supra[1] descripsimus, montem, ubi venerabilis episcopus est, ne quaquam abeundi[l] ei daretur facultas, preocupare contendit.

Ceterum germanus domni episcopi, Dudo vocatus, probus, honestus satis, innocentisque[m] conversationis miles, preveniens populum, primum ad venerabilem fratrem suum domnum episcopum ingressus et eum sedentem reperiens, ait: *Quid hic sedes, mi domine? Ecce mundus totus in te ruit. Veniunt omnes Moguntini, ut te cum omnibus tuis hodie deleant. Nonne compulsationes et tantum tumultum et tam horribilem strepitum, mi domine, audis? Surge, mi domine; per dominum Deum tuum obtestor, surge; et ascendens equum, ineas*[n] *fugam et salva animam tuam et animas servorum tuorum hodie. Potes enim adhuc, quocunque dignatio tua desiderat, libere et expedite evadere.* Cui[o] respondit: *Numquid, domne Dudo, incutere vultis mihi metum, ut ego Moguntinos fugiam? Ego ab ipsa pueritia eos ad liquidum novi. Videbo, quid iam mihi facere possint. Paratus sum propter Deum et ecclesiam suam hodie in carcerem et in mortem intrare, si ita dispositum est.* E contra ille

a. cum *addidi.* b. cornorum 1. c. ut 2. d. ferreretur 1. e. tumultanti 1. f. ut puta *scripsi pro* utpote 1, 2. g. apud 1. h. arma 1. i. et 1. k. prorupit 1, 2. l. adeundi 1. m. innocentisve 1. n. inias 1. o. Cū 1.

1. pag. 650.

aiebat et omnes, qui cum ipso erant, quod non esset ei tutum, 1160
illic[a] contra tantum impetum remanere. Et episcopus: *Faciat* Iun. 24
Deus, quod bonum est in oculis suis. Et surgens venerabilis senex, baculo subnixus, undique per murum suos locabat; et ut fortiter resisterent hostibus, et ut viros se meminerint esse, et ut quilibet pro vita contra lanistas et carnifices viriliter staret, adhortabatur; perhibens, secum esse iustitiam veritatem et innocentiam, et ipsos contra iustitiam contra fidelitatem, sicut impii et ecclesie persecutores, pugnare, et quia in proximo eis a domino Deo veniret auxilium; principis una et boni oratoris gerens officium.

Postquam suos multa perarmarat audacia et omnes eos animos quasi leoninos[b] induerat; et quilibet opem suam ad sanguinem usque, licet in extremis[c] esset, spoponderat; et alii gladiis, alii lanceis, quidam saxis, quidam pharetra et arcu se[d] procul committerent; venerabilis pontifex Arnoldus ad orationis arma coram domino Iesu Christo uberrimis lacrimis gemitibusque se contulit, agonica Iesu Christi oratione perutens: ut, si in beneplacito suo esset, transferret ab eo calicem mortis[1] et de manu impiorum, qui ipsum circumdederant, liberaret; verumtamen non sicut ipse vellet, sed sicut[e] in misericordia sua et gratia adinveniret; quia spiritus quidem promptus est, licet caro infirma[2]. Omni igitur cordis devotione et spiritu contribulato, totus prostratus corpore coram Deo, inenarrabilibus Deum et sanctos suos, presertim gloriosam virginem Mariam, cui se a prime[f] etatis sue .... devotus obtulerat, gemitibus exorabat: ut ab eo mortis transiret imperium; et ne iniquorum potestati daretur atque libidini. Et deinceps anxius sollicitus — artius orans, magna in agonia spiritus factus[3] —: quid dubie sortis ministraret foris eventus, qualiterve paucitas suorum inermis contra hostes[g] insisteret, et an quilibet loca commissa tutaretur,

a. *om.* 2. b. animis — leoninis 2. c. heremis 1, extremis 2. d. se *addidi.* e. *om.* 2. f. prime 1, primo 2. g. contra insisteret hostes 1.

1. Cf. Marc. 14, 36. 2. Marc. 14, 38. 3. Luc. 22, 43: „Et factus in agonia, prolixius orabat“.

1160 Iun. 24 et si forte irrumperent, quod[a] sibi fuge presidium foret; genibus humo fixus et vultu circumquaque lumina vertens, si quispiam prospera belli narraret, in ipsius orationis[b] precatibus attonitus prestolabatur et supplex.

Interea Maguntini, quorum filii Mengoti preduces in tota acie et capita erant, passim per montem, tamquam vespe vel magis ut demones, furcatis manibus[1] uncatisque naribus[c 2] gaferatisque verticibus[3] efferebantur. Et precipiti linfantique cursu ardua montis captantes[d], capita sua infausto agitantes auspicio; sicut solis ab[e] estu morticine[f] deserteque carnes[g] in saniem verse[h] mucore[i] horrentis intuitus vermes ebulliunt, sic ipsis pro foribus claustri, que media montis respiciunt, et circum undique muros, efferatis dentibus rabidoque ore frendentes, percrebrescebant[k]. Et alii telis, quidam gladiis, pars arcubus pugnabat atque balistis; hunc ille lapide, hic illum cuspide ictibus petebat horrendis. Hic diri vulneris umbone a se comparique suo depulit ictum; hic densa manus pila tenent minantia pilis[4]. Et[l] hinc barchones ferrigeri[m] lunatis bipennibus[n], inde[o] tetris levigatisque manubriis[p], securibus, saxis predictas ingenti conamine feriunt portas.

Et cum interiores magna vi eis resisterent, ictusque in eos intorquerent viriles redderentque tristem tristibus vicem — quamvis pauci et inermes, et comparatione in milibus unus percutiens — postquam de meridie ad ipsam pene vespertinalis hore sinaxim sevo Marte tam modica manus cum tanta turbarum dimicasset[q] frequentia, et lapides tela velud[r] pluvie guttas in ipsos ingereret, et nullum adhuc hostes Dei de ponderis[s] tanti certamine[t] adepti fuissent triumphum; non paci imperatoris,

a. quid 1. b. ipsis oracionibus 1. c. nasibus 1, naribus 2. d. raptantes 1, 2. e. sub 1. f. morticinie 1. g. carnis 1. h. verso 1. i. mucrore 1. k. percrebrescebat 1, percrebescebant 2. l. Ex 1, 2. m. *an* garciones furciferi? n. bipennis 1, 2. o. inde *scripsi pro* in 1, 2. p. mānaris (9 6) *add.* 1. q. dimicassēt 1. r. vel ut 2. s. pondere 2. t. certaminis 1, 2.

1. manibus furcas tenentibus. 2. naribus uncorum tegmine munitis. 3. capitibus frixoria s. sartagines ferentibus. Cf. Dieffenbach Glossarium: „Gafrarium, wafelysen". 4. Cf. Lucani Phars. I 7: „et pila minantia pilis".

non festo beatissimi precursoris Domini parcentes; non denique reverentiam[a] ipsius diei, qua mundi salus in cruce pependit — sexta enim erat feria — non sacrata sanctorum loca reveriti, non sancti[b] Iacobi presentiam, non sanctorum sancta; monasterium cum altaribus et omni oratorio, cum omnibus monachorum officinis, sacris et non sacris, non[c] extimuerunt incendere. Scilicet[d] virorum efficaces[e] viribus atque virtutibus, sicut effeminati, iam[f] vim bellicam ad elementa convertunt. Igitur, perurentibus facibus, piceo liquore perfusis, massisque stramineis flammivomos egerentibus estus, ediculas, quibus sancta virginitas solitariis degebat in feminis — tam super portam, quam prius securibus exciderant, quam per alias muri posterulas structas — semiustis que illuc aderant virginibus, medio in solis fervore cum strictius fervor decoqueret terram, devoranti igne accendunt. Exinde per officinarum meatus, per rimas murorum, per eos quos flamma vorans[g] aditus fecerat[h], foribus hinc inde perruptis[i] — quia ignis calorem[k] et ineffabilem[l] ipsius fragorem[m] interiores iam pati nequibant — impii Maguntini, furenti strepitu et confuso clamore: *Zu, zu!* vociferantes, intus proruunt; et inermes, sicut eis occurrerant, subito captivitati addictos, cedunt, sauciant, ictibus crebris contundunt.

1160 Iun. 24

Interea omnibus pene domni episcopi militibus captivatis, aliqui ad ipsum confugientes rei sinistrum sibi referebant eventum: quia omnis maceries fracta, et omnis locus conquisitus ab hostibus esset; insuper, captivatis omnibus suis aut occisis, iam omnia vehementissimus consumeret ignis; adhortantes eum, ut in turres monasterii se cum omni celeritate reciperet; alioquin, ipsis supervenientibus, vita simul extimplo et omni honore privaretur et rebus. Hec illis dicentibus, venerabilis pontifex ab imo cordis longa et luctuosa trahens suspiria: *Heu* inquit *domine Deus, hec est*[n] *potestas mortis et tenebrarum*[1]. Et summa

a. reverentiae 2. b. scilicet 1. c. non *om.* 1. d. Scilicet *scripsi pro* Sed 1. (Scilicet virorum — convertunt *om.* 2.) e. efficaci 1. f. iam *scripsi pro* non 1. g. vorax 2. h. fecerat *om.* 1. i. preruptis 1, 2. k. odorem 1, 2. l. ineffugabilem 1, 2. m. flagrorem 1, 2. n. est *addidi.*

1. Cf. Luc. 22, 53.

1160 Iun. 24 properantia turrium per scalas annisus, vix qualitercumque fastigia quedam irrepere ceperat, quando[a] sacrilega manus predonum truculentissimorum incursat[b], cunctis exercitus[c] datis in predam ipsius. Prorumpentes in intima, *Ubi est? ubi est? ubi est ille? ubi est talis?* nefasto[d] vocum latrantes tonitruo, ad ipsum eodem devenissent in impetu, nisi iniecta rerum obstacula, que ipsum templi pavimentum multipliciter interpolarant, et nebula fumi que omnia obscuritate caliginosa obduxerat, et ipsa ignota[e] quibusdam penetralia domus labilem ipsorum inpingentium[f] retinuissent accursum[g].

Sed ubi omnia demolita et innumeris sunt rapinis direpta et distracta, sanctuario usque quaque impie profanato; cum iam omnes apices omnesque celsitudines monasterii turriumque cacumina vapor ignis[h] intollerabiliter invaderet; altiusque[i] ecclesia[k] proruptiones[l] flamme[m] ...... corrosionesque[n] substantie sue ad celum usque pavende sonarent[o]; et cum omnia turbo[p] teterrimi fumi quasi tempestas impeteret; essentque hostes pro ipsius ecclesie valvis[q] et observarent; reverendus episcopus de turri in turrim, ab impietate obsessus, progrediens, quid consilii caperet, quid demum eligeret, quo se absconderet, quo prodiret, quo se verteret, ignorans, in immensum a duobus artabatur propositis[r]. Utrum[s] enim se incendio tam aspero traderet, an[t] inimicis vitam suam crederet, adinveniri facile non erat[u]. Tandem, omnibus angulis consultationis et[v] deliberationis exploratis, ad hanc potissimam devenit sententiam: ut se sacrificium laudis in odorem suavitatis Iesu Christo offerret[1]; optatissime[w] glorie bravium reputans, si mortem, quam[x] Salvator pro omnibus pertulit[y], hanc ipse, licet prematura[z] etate et

a. quod 1. b. incursat *scripsi pro* incursu 1, 2. c. exercitus 1, exercitui 2; *an* exitibus? d. nefausto 1. e. ignotā 1. f. inpingenciam 1. g. occursum 1, 2. h. iginis 1. i. aliusque 1. k. ecclesie 1, 2. l. prerupciones 1, preruptioris 2. m. exardescerent *excidisse videtur. Nec vero est lacuna in codd.* n. *an* collisionesque? o. sonaret 1. p. turbigo 1, 2. q. valvibus 1. r. prepositis 1. s. Uterum 1. t. num 2. u. est 1. v. et *om.* 1. w. optatissime *scripsi pro* operosissime 1, 2. x. quem 1. y. protulit 1. z. pro matura 1, 2.

1. Cf. Ephes. 5, 2.

sub tam arto ancipitique[a] locatus gladio, zelatus ecclesiam et legem[1] Dei sui, mereretur Salvatori persolvere. Nec gladium persecutoris decrevit vereri, cum ipse dominus Iesus Christus proponat: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius eum timete, qui potest animam et corpus perdere in gehennam*[2]; et quod: *Maiorem caritatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis*[3], presertim cum ipse pro ecclesia Dei ulciscenda ad hoc extremum esset devolutus discrimen. 1160 Iun. 24

Hiis igitur aliisque scripturarum exemplis, scutum fidei loricamque[b] caritatis in imminenti[c] dispendio sui tamquam Gygas fortissimus induens, tantum vigoris et[d] solacii assumpsit, ut omnes de mutatione vultus ipsius repente mirari cepissent, qui secum aderant. Habebat enim adhuc quosdam cappellanos sacerdotes circa[e] se, quosdam milites, aliquos et ministros. Ab hiis igitur resciscebat[f], quid esset agendum. Et cum nil consolationis haberent, nullumque afferrent[g] solacium, sed quilibet proprium defleret interitum, adicientes: quia sero ipsorum imploraret[h] consilium; dum prius, cum libere posset abisse, eorum precibus acquiescere nollet, sed tam piaculari se reservasset supplicio; postquam[i] manibus sub sacerdotum se confitendo multis lacrimis humiliavit, sacrosancto Iesu Christi munitus ad viandum[k] corpore, hos omnes[l] deducit in medium, multifarie uberrimis eos fletibus consolans. Et pro amicitia, pro fidelitate, pro assistentia[m], pro devotione, pro tanta anxietate[n], pro tanto labore et servitio gratiam et misericordiam, salutem et recompensationem eis, palmis ad celum extensis, a domino Deo bonorum datore imprecans; inter cetera orsus est: *Filii carissimi et dilectissimi anime mee, tempus visitationis istius, quo dominus Deus nos visitare dignatur* .... Et cum hec inchoasset, singultus omnium, qui audiebant, et fletus et miserabilis luctus

a. anticipative 1. b. et loricam 2. c. eminenti 1, iminenti 2. d. et *om.* 1. e. circum 2. f. se sciscitans 1, resciscitans 2. g. afferret 1, afferent 2. h. impetraret 1, imploraret 2. i. post quae 2. k. viandum *scripsi pro* viaticum 1, 2. l. homines 2. m. assistancia 1. n. anxitate 1.

1. Cf. 1 Maccab. 2, 26. 2. Matth. 10, 28. 3. Ioh. 15, 13.

1160 Iun. 24 interpellabant[a] orationem. Et invicem luctuosis fletibus[b] deinceps ruentes in amplexus[c], et: *Heu mi domine, heu mi care domine; siccine*[d] *dura mors hic*[e] *nos separat?*[1] ululantes[f] .... multa intercapedine[g] facta, iterum venerabilis presul se[h] replicans in id ipsum: *Sustinete* inquit *modicum, carissimi; quia non vobis libata*[i] *est mors. Ut enim inceperam*[2], *tempus huius visitationis et diem istum mestitie vestre peccata mea et iniquitates advocarunt. Ego sum, qui peccavi Domino, ego inique egi; vos autem, qui oves et obsecutores contra impios et sacrilegos venistis, quid perpetrastis?* Et multa similia sicut iustus, qui in principio accusator est sui[3], inter alia et hec perorans, suspiriis singultibusque magnis memorans: *Ego autem iam delibor*[k] *et hora resolutionis mee proxime stat*[4]; *manus persequentium me solum petit. Vobis, Deo volente, mors nulla*[l] *dominabitur; sed omnes liberabimini*[m], *nec magnopere captivitatem presentem vel vincula vel carceres experti*[n]. *Quia de proximo Deus, cuius hodie in mortis servistis agone, salvos vos faciet, et vicissitudinem super hac vestra fidelitate retribuet.* Et cum omnes orarent[o] et obtestarentur[p] .... *et tam validus est*[q], *non diutius nos patiuntur in unum. Video, quod*[r] *ignis iste flammivomus omnia devorat et, quasi tempestas, in nos festinat irruere. Scio* inquit *et in ea caritate, qua dominus deus noster Iesus Christus sua in passione mundum instruxit*[s] ...... *Antequam rapiamur e medio, calicem benedictionis*[5] *et gratie sue percipiamus.* Et hausto[t] permodico potu: *Bibite* inquit *ex eo omnes*[6]; *potate in memoriam senis vestri, ut benedicat mihi anima vestra; quia raro a modo simul bibemus.* Et flebant omnes, et pre tristitia respondere nequibant[u].

a. interpolabant 1. b. fletibusve 1. c. amplexibus 1, in amplexus 2. d. siccine *scripsi pro* huccine 1, haeccine 2. e. hic *scripsi pro* sic 1, 2. f. *lacuna non est in codd.* g. inter capedene 1. h. se *addidi.* i. libata *scripsi pro* libera 1, 2. k. delebor 1, 2. l. ulla 1. m. liberamini 1. n. experiri 1. o. iurarent 1. p. *lacuna sequitur in* 2. q. est *om.* 2. r. quos 1. s. *lacuna non est in codd.* t. haustu 1, hausto 2. u. nequiebant 1.

1. 1 Reg. 15, 32: „Siccine separat amara mors?" 2. supra p. 661 verbis his: „Filii carissimi .... tempus visitationis" cet. 3. Prov. 18, 17: „Iustus prior est accusator sui". 4. 2 Timoth. 4, 6. 5. 1 Cor. 10, 16. 6. Matth. 26, 27.

At quidam miles hostili ex acie mediam per furentis ignis 1160
caliginem ad locum, in quo erat reverendus pontifex, armatus Iun. 24
usque progrediens, de eius[a] sciscitabatur hinc inde presentia. Quem presul ex nomine vocans: *Petre* — erat enim suus filiolus, quem de sacro fonte levarat[b] — multis precibus multisque eum obsecrationibus adiurabat, ut se de tanto et tam ingenti eripere vellet periculo. Simulque de fide, amicitia et de hiis que sibi dudum impenderat beneficiis; et quod nunquam sibi molestus fuerat, nec aliquid contra eum nec[c] contra ipsos Maguntinos, quod dignum foret morte, commiserit; et ut paternitatem, senectutem suam et benivolentiam huc usque gratiamque sibi ab ipso collatam respiceret; quanta etiam, si[d] ipsum de hac tribulatione eximeret, et quam magna sperare[e] deberet, aliaque plurima non paucis inculcans; ipsum propensius strictiusque[f] commonebat[g] obtestans. At ipse, vehementer sancto viro super tam seva pressura ut videbatur compatiens, aiebat: nullum sibi ferre posse presidium, nisi forte, lorica indutum, per mediam eum multitudinem tamquam aliquem captivum rapido cursu, ne agnosceretur, educeret; sed et loricam nullam aliam, preterquam qua[h] esset vestitus, habere; nec ipsam ei impartiri sine propria interventione valeret[i]; cuperetque super hoc verbo filios Mengoti aliosque suos cognatos consultum adire; ad ipsum ilico reversurus. Et dominus episcopus, multa eum[k] supplicatione et obsecratione adiurans et de salute et de auxilio et alio munere[l] rogitans[m], dimittit eum, iuxta pollicitationem suam protinus regressurum. Egressus est[n] igitur a facie domni episcopi sicut corvus ab archa[1], utpote qui magis explorator quam consolator advenerat.

Postquam diutius prestolabatur — et ignis, involvens omnia, summa cum[n] celeritate in unam, quicquid sibi occurrebat, absorbebat voraginem[o] usque ad lapides; nec, quo quis a calore

a. cuius 2. b. lavarat 1. c. vel 2. d. quata et se 1, quatenus et se 2. e. seperare 1. f. strictiusve 1. g. commonicabat 1. h. aliam quam preter 1, aliam preterquam qua 2. i. valere 2. k. cum 1. l. alia munera 1, 2. m. cogitans 2. n. om. 2. o. et *add.* 1.

1. Genes. 8, 7.

1160 Iun. 24 illo se posset abscondere, erat — quendam ministrum, cui plurimum reverendus episcopus confidebat, concite post ipsum direxit. Et progrediens usque ad ianuas monasterii, de intus, ubi Petrus, ubi filii Mengoti, ubi illi essent, sciscitabatur. Et cum nullum responsum reciperet, multa cum miseratione[a] omnes supplicabat, ut domino suo misererentur. Sed cum nil verbis proficeret, intuens obvolutiones flammarum et monasterium[b] passim calore[c] ignis tabescere, cuidam ex hostibus dexteram dabat. Qui, cum aliis condomesticis suis per captivitatis addictionem receptus, oblita fide, ad dominum suum amplius non est reversus.

Sed cum et hunc[d] per aliquam horam domnus episcopus sollicitus operiretur, et nusquam compareret, quendam monachum, abbatem, ad idem opus transmisit; magno cum gemitu dicens; *O fides, o fides, ubi es?* Abbas autem viriliter et sine metu ad illos prorumpens, legationem domini sui pro posse executioni mandabat; obtestans et coniurans filios Mengoti omnemque multitudinem, quod pro reverentia domini nostri Iesu Christi et honore suo et totius civitatis domnum episcopum vellent recipere captivum, et non eum occidere, sed tam diu in captivitate habere, donec eis satisfaceret iuxta voluntatem et preceptum eorum. Sed et ipso hec loquente[e], acclamantes omnes: *Iste est unus ex illis deceptoribus,* irruerunt in eum, et plagis impetitum[f] flagrisque, mucronum animadversum[g] verberibus, semivivum proiecerunt ipsum in vinculis. Sic ergo nec istum[h] domnus episcopus, in exitialis agone certaminis positus, amplius vidit.

Igitur cum et hunc aliquamdiu — secundum quod inminens loci[i] permisit incendium, dolens et mestus ut homo, cui vicinissimus duplex iam pene incumbebat interitus — expectaret, suspicans illum aliquo modo impeditum; et cum eructantis infrementisque[k] incendii ad instar Ethne montis vehementia omnes

a. multa commiseratione 2. b. monasterii 1. c. odore 1, 2. d. et hunc *scripsi pro* hunc et 1, 2. e. ipse — loquens 1, ipso — loquente 2. f. impetitum *scripsi pro* impositis 1, 2. g. animadversus 1. h. ipsum 2. i. foci 1. k. infringentisque 1.

suos a se diremisset[a]; aliique[b] de altitudine turrium in preceps[c] 1160
alii in manus hostium se dedissent[d], atque alii irent sic et alii Iun. 24
sic; conspiciens, se fore in medio flammarum cum fratre germano Dudone derelictum; ait ad fratrem suum lacrimabili et luctuosa voce: *Frater* inquit[e] *dominus Deus, qui altissimus est in consiliis et qui omnia secundum suam disponit et ordinat voluntatem, ad hanc ingruentem perturbationum*[f] *voluit me necessitatem pro peccatis meis deducere. Et nunc, hac*[g] *in vertigine rerum, arto procinctu situs, benignitatis sue presentiam, quo*[h] *ipse (me vocare*[i]*) dignatur, adire compellor, valde*[k] *penitens, quod tibi nil boni in vita mea, sicut potui, fecerim. Sed parce mihi et*[l] *hanc noxam et, quicquid in te*[m] *peccavi, remitte; retribuatque tibi omnipotens Deus fidelitatem et dilectionem fraternam, quam mihi ad istum articulum usque servasti. Ego vado, ut Deus mihi disposuit, ad mortem et ad martirium; sciens, quod sacrilega manus Maguntinorum me*[n] *non dimittet vivere. Sed tanto magis coram Deo ero liberior, quanto magis, cum nil fecerim capitale*[o], *emulatus iustitiam, ab impiis hominibus occidor indempnior. Ne forte ergo incendium istud te repente consumat et occupet mecum, festina et roga ab hostibus misericordiam; committarisque Embriconi, filio Mengoti. Nichil enim unquam ipsos lesisti; sed innocenter cum eis es conversatus in diem hanc.* Cumque ille amarissime fleret et, secum mori secum vivere et ipsum nunquam deserere velle[p], multa constantia obtestaretur, vix tamen[q] multis fletibus ipsum ad abeundum compulit. Inenarrabilibus ergo fletibus suspiriis atque singultibus abscedens[r], ad porte limen intus de turri progrediens, Embriconem exorat, ut liberationis suppeditationem sibi prestaret. Tum[s] ille: *Valde* inquit *libenter, domne Dudo, te salvum recipio; veni.* Gladio igitur potestati sue porrecto, solis lineis dumtaxat et ocreis ut erat amictus[t], dextre inheret[u]

a. dirimisset 1. b. alii se 1. c. in preceps *om.* 1. d. in preceps *add.* 1. e. *om.* 2. f. perturbacionem 1, *corr. in* perturbationum 2. g. hanc 1. h. qna 2. i. me vocare *addidi.* k. me *add.* 1. l. ad 1. m. in te *om.* 2. n. me *addidi.* o. capitale *scripsi pro* tale 1, 2. p. vellet 2. q. tum 2. r. accedens 2. s. Cum 2. t. accinctus 2. u. inherens 1.

1160 Iun. 24 ipsius. E contra Mengotus, eiusdem Embriconis germanus, in eundem Dudonem extimplo prosiliens, gladium parricidalem eius media per viscera strinxit. Quem Embrico, labentem[a] in se tremebundum palpitantemque, sic enecatum in faciem impulit homicide[b] fratris, dicens: *Qualem eum fecisti, talem habeas. Bonum hominem et innocentem et inermem viliter et cum infidelitate occidisti.* Et ille: *Dimitte illum iacere.*

Dum hec gererentur[c] ante ipsius ecclesie ianuas, studiosissime observabant[d] hostium obpansum: ut aut domnum episcopum, si egrederetur, occiderent aut in frementis ignis voragine spiritum exalare[e] compellerent[f]. Domnus episcopus, solus et miserabilis derelictus, vim incendii sustinere non valens, de turri, pedetentim insecutus ab igne, inexorabili hoste pellente, ad ostium appropiare iam cogitur.

Et fortuitu[g] paulo ante pauper occurrerat, cui anulum, qualis[h] Maguntinum decebat, et alia quedam contulerat; nil aliud de omni substantia preter quandam crucem ligneam, in qua salus mundi pependit — electam[i], ut in ipsa contra hostis presentis[k] diabolicos cuneos victoriosissime dimicaret cum oratione — reservans. Sane[l], cum agonis hoc decertaret stadio, quantas venias[1] fecerit, quantum domino Deo se humiliaverit, quanto lacrimarum fonte ipsum pavimentum ecclesie irrigaverit, et quali compunctione spiritum et eam, quam vix retinebat, animam in manibus Iesu Christi, beate Marie et omnium sanctorum commendarit[m], dicens: *In manus tuas commendo spiritum meum*[2], lingua carnis ad enarrandum haut sufficiens esset. Deinceps, quia torrens flammarum — undique bonum virum circumstantibus rogis, omnibus quoque imperante favilla — omnia dabat in preceps; et septa[n] monasterii precipitanti[o] furentique ruina strepentes[p] casuum ubique minitabant[q] anfractus; qualitercunque

a. et *sequitur in* 1, 2. b. homicidie 1. c. gerentur 1. d. observarent 1. e. spū exalacione 1. f. compelleretur 2. g. fortuito 2. h. qualem 1, 2. i. electam *scripsi pro* editam 1, 2. k. hostes presentes 1, 2. l. Sane *om.* 2. m. commendabat 1, commendavit 2. n. serta 1. o. praecipitandi 2. p. strepentes *scripsi pro* stupentes 1, 2. q. minitabantur 2.

1. inclinationes. 2. Ps. 30, 6.

sub ipsa muri crepidine per incendii[a] medius tormenta toto corpore repens[b]; et leva manu reverentissime canitiei cigneum sibi verticem ab estuantis camini fervore eo usque penaliter protegens — quia ea manus, quam sincipitis fecerat clipeum, stupenda facie ab ignis iam, nervis articulisque[c] contractis, deriguisset[d] — reliquis capillis pilisque immani exustione ad cutem usque decoctis; vesicas ignitissimas, que ab igne ferbuerant, infixas quasi sagittas, in corpore gestans[e]; sic, passim combustus, ad certaminis[f] locum, nunc miserabilis, antea reverentissimus, Maguntinus accedit. 1160 Iun. 24

Accedit; utique per immania, que in corpore tormenta pertulerat, a peccatis occultis[g] fide iam expiatus, quia non iudicat Deus bis in id ipsum. Accedit, iam altero martirio laureatus. Accedit sacrificium et oblatio, sed et holocaustum. Accedit victima sacerdos unctus. Accedit, summus pontifex factus in eternum. Accedit; ineffabili tormento iam rubricatus et cauterizatus[h], paulo post in eterne vite gaudiis, proprii sanguinis lavacro ut martir et testis fidelis, a[i] rege, domino deo suo Christo Iesu, miles invictus in eternum coronandus. Ut[k] elemosinarum et orationum suarum miserationumque, equitatis et aliarum virtutum omittamus magnalia; quis, cui sensus incolumis est, hunc — in tanto martirii agone probatum et examinatum et, obrizum[l] ut aurum, candidatum[m] — et sortem sanctorum martirum et partem beate e mortuis[n] resurrectionis non obtinuisse, contendat? cum et confessionis vexilla et satisfactionis insignia et penitentie remedia[o] per cruces intenti[p] doloris, ad divisionem corporis et anime sue usque urentes, iam in ipsum ad eternam salutem transisse, antequam ad sanguinis proximam[q] effusionem

a. incendii *scripsi pro* incendia 1, 2. b. repn̄s 1, repraesentans 2. c. cuticulisque 1. d. diriguisset 1, 2. e. gestiens 1. f. cunctaminis 1. g. occultis *scripsi pro* occulta 1, 2. h. cauterizatus *scripsi pro* cathezizatus 1, cathechizatus 2. i. et 1. k. Et 1. l. obrisum 1. m. decandidatum 1, 2; *an* defaecatum et candidatum? n. e mortuis *scripsi pro* Marie 1, 2. *Cf. Luc.* 20, 35: „illi vero qui digni habebuntur — resurrectione ex mortuis". o. remedia *in codd.* 1, 2 *alienissimo loco reperitur post* ventum sit, intueatur, *v. infra p.* 668 *n.* a; *itaque vocem in suum locum reduxi.* p. intenti *scripsi pro* interim 1, interni 2. q. proximam *scripsi pro* proximo 1, proxime 2.

1160 Iun. 24 ventum sit, intueatur[a]. Quia[b] in Nathan[c] prophete vaticinio[d] regis adulterii homicidiique reatus in penitudinis momento diluitur[1]; et Manasse impii post satisfactionem scelus aboletur[e 2]; et a vindice leone inobediente exterminato propheta, eiusdem denique corpus a vigili[f] asino custoditur extinctum[3]; et Ezechie post luctum ter quinus[g] vite[h] adicitur annus[4]; et latroni, crucis in extremo confitenti articulo, paradisi incolatus[i] promittitur[5]; et Petro lacrimanti[6] et mulieri[k] peccatrici[7] ploranti miseretur.

Venerabilis ergo archipresul Arnoldus, tamquam aurum in fornace, in camino tribulationis per ignem probatus, et inmunis a debito, et purgatus a delicto, ad palmam ut diximus accedit martirii. Miserabile illa dies cunctis prebebat spectaculum. Cerneres[l] enim hominem — paulo ante maximum principem, summum sacerdotem, supremis fascibus et genialissimis[m] infulis redimitum, gloriosum et spectabilem et amplissimis virtutibus preditum, misericordem[n], honestissimum et ita honorabilem, tantumque reverentie in vultu habitu et moribus gerentem, et ita letum oculis et plenum totius gratie apparentem, ut inter homines plus quam homo immo angelus videretur — nunc miserabiliter et piaculariter igne hostibusque artatum, totum enormiter[o] ustum et perustum, in sacco et[p] cinere, nudis plantis, deformem et curvatum, experimentum[q] flagrantis ardoris portantem.

Sed inter hec, galea spei, clipeo fidei, et caritatis armatus lorica, vivifice crucis in pectore colloque gestans trophea, hec apud se perorabat: *Ne reminiscaris Domine peccata mea vel parentum meorum, neque vindictam sumas de peccatis meis*[8],

a. *Cf. supra p.* 667 *n.* o. b. Qui 1, Quod 2. c. Mathan 1. d. David *excidisse videtur.* e. abolitur 1. f. a vigili *scripsi pro* cum iugali 1, 2. g. quintus 2. h. *om.* 2. i. incolatur 1. k. muliere 1. l. Cerneres *scripsi pro* cernens 1, cernit 2. m. genialissimis *scripsi pro* generalissimis 1, 2. n. misericordem *scripsi pro* misericordie 1, misericordia 2. o. enormem 1. p. in 2. q. experimento 1.

1. V. 2 Reg. 12, 13. 2. V. 2 Paralip. 33, 12. 13. 3. V. 3 Reg. 13, 24. 28. 4. 4 Reg. 20, 6: „Et addam diebus tuis quindecim annos“. 5. V. Luc. 23, 43. 6. Cf. Matth. 26, 75. 7. V. Luc. 7, 37. 47. 8. Tob. 3, 3.

Deus meus. Ne recorderis peccata mea, Domine. Delicta iuventutis mee et ignorantias meas ne memineris; sed secundum misericordiam tuam memento mei, tu, propter bonitatem tuam, Domine[1]. *Domine Deus, fortitudo laborantium et mestorum consolator, qui pro peccatis meis iuste mihi irasceris, quia peccavi tibi et mandatis tuis non obedivi, parce peccatis meis et iniquitatibus. Ne derelinquas me, domine Deus salutis mee*[2]. *Domine, non secundum peccata mea facias mihi, neque secundum iniquitates meas retribuas mihi*[3]; *sed convertere aliquantulum et propitius esto super servum tuum*[4]. *Ne moreris propter temet ipsum, Deus meus*[5]. *Sed festina in auxilium meum*[6], *tu, qui pius et misericors es et*[a] *prestabilis super malitia*[7]; *quoniam invenerunt me mala, quorum non est numerus, comprehenderunt me iniquitates mee*[8]. *Abissus vallavit me et pelagus cooperuit caput meum*[9]. *Sed tu, Domine, qui solus laborem et dolorem consideras*[10], *vide omne consilium eorum in malum adversum me*[11], *et fac mecum secundum misericordiam nominis tui*[12]; *qui non vis mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat*[13], *et qui Cananeam*[b] *et publicanum vocasti ad penitentiam. Domine Iesu Christe, fili Dei vivi, attende et audi vocem adversariorum meorum et tumultuantem contra me superbiam. Recordare Domine — qui locutus es in sanctis tuis, dicens: „Si non annunciaveritis iniquo iniquitatem suam, sanguinem eius de manu tua requiram“*[14] *— quod steterim in conspectu tuo, ut loquerer*[c] *pro eis bonum et averterem indignationem tuam*[d] *ab eis*[15]; *eo quod ecclesiam tuam, sponsam tuam, sanctuarium tuum profanassent. Sed nunc, Domine, quia super hoc verbo foderunt foveam anime mee*[16] *et sanguinem meum sitiunt effundere gratis, et traditus sum et non est qui adiuvet nisi tu domine Deus meus, adesto* 1160 Iun. 24

a. et *addidi*. b. Chananeum 1. c. loquere 1. d. tuam *addidi*.

1. Ps. 23, 7. 2. Ps. 37, 22. 23. 3. Cf. Ps. 102, 10. 4. Cf. Ps. 89, 13. 5. Dan. 9, 19. 6. Cf. Ps. 69, 2. 7. Ioel 2, 13. 8. Ps. 39, 13. 9. Ion. 2, 6. 10. Ps. (Hebr.) 10, 14. 11. Cf. Ierem. 18, 23. 12. Cf. Ps. 108, 21; 118, 124. 13. Cf. Ezech. 33, 11. 14. Cf. Ezech. 3, 18. 15. Cf. Ierem. 18, 20: „Recordare, quod steterim — ab eis“. 16. Ierem. 18, 20.

1160 Iun. 24 *precibus meis pius ac propitius, et libera me et animam meam de manu contrariorum meorum et ab omnibus persequentibus me. Ne avertas, Domine, aurem tuam a clamore et singultu meo*[1]*; ne sis mihi tu formidini*[a]*, spes mea in hac die afflictionis mee*[2]*. Sed libera animam meam, et a timore inimici eripe eam*[3]*. Quoniam in te speravi, non confundar in eternum; in iustitia tua libera me*[4]*. Et eripe me et suscipe iam spiritum meum, et fac me per martirii palmam in hac hora supplicii ad tuam pertingere gloriam. Amen.*

Cum hec igitur et multa alia prolixius oraret, et in agonia spiritus Deum et omnes sanctos suos et beatam Mariam, sanctumque[b] Iohannem precursorem Christi cuius festivitas erat, et beatum Iacobum ante cuius conspectum has supplicationes fundebat, sanctumque[c] Martinum patronum et dominum suum attentius deprecaretur; videns, occasionem[d] sibi evadendi fore subreptam, et inexorabiles hostes in facie, et atrocissimum ignem circa se perniciosissime infundi; inter gladios inimicorum et invectiones flammarum se totum suspendit in Domino, iterum dicens: *Deus universitatis conditor, qui neminem vis perire, et quem nemo amittit*[e] *nisi deceptus, et quem nemo invenit nisi purgatus; domine Deus, cuius nos fides excitat, spiritus erigit, caritas iungit; qui fecit celum et terram, mare et omnia que in eis sunt; cuius voluntati non est qui possit resistere; veni nunc queso*[f] *mihi in auxilium, veni in adiutorium meum, vera una eterna substantia. Exaudi me, domine Iesu Christe, qui non derelinquis sperantes in te*[5]*; et propter admirandam et singularem bonitatem tuam recipe*[g] *nunc oro fugitivum tuum. Iam te solum amo, te solum sequor, te solum quero, tibi soli servire cupio. Ad te mihi redeundum esse in instanti bravio, sentio. Pateat queso mihi pulsanti ianua tua vite, et prebe te ipsum mihi viaticum; ut non demergat me*[h] *tempestas aque, nec absor-*

a. formidinis 1. b. sanctum 2. c. sanctum 2. d. omnem 1. e. amittet 2. f. queo 1. g. me *add.* 1. h. me — urgeat *om.* 2.

1. Thren. 3, 56. 2. Ierem. 17, 17. 3. Cf. Ps. 63, 2. 4. Ps. 30, 2. 5. Cf. Iudith 13, 17.

beat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum[1]; 1160 Iun. 24
ne quando rapiat ut leo animam meam, dum non est qui redimat, neque qui salvum faciat[2], *nisi tu, domine Deus meus, secundum nomen tuum. Ergo sit laus tua, Domine, in me; et iam suscipe animam meam et per palmam martirii me fac ad tuam pertingere gloriam, salvator mundi.*

Sed cum hec dixisset, prope portam astitit sedens. Tenebrosus quippe turbo, ex densitate fumi[a] progrediens, ita omnem obscuraverat locum, quod ex pallore nigredinis apparentes tenebre omnino possent palpari[3]. Quamobrem Maguntini, porte turrium relicta custodia, a facie ignis exterriti extra murum locum omnem cinxerunt; omnem aditum, semitam omnem, omnes denique rimas et angulos, ne domno episcopo evadendi locus adesset, sollicite perscrutabantur. Et post paululum, cum flamma, fumi densitate reiecta, omnem faciem loci tenebris denudasset, quidam miles ex ipsis, truculentissimus tyrannus, Helmgerus[b] nomine, vestitus ferro et accinctus gladio in manu, furia invectus intra ecclesie ianuas, ad eum sciscitatum advenit, dicens: *Quis es tu* inquit[c] *et quid ibi agis?* Venerabilis autem episcopus nichil respondit. At ille diris instabat hiatibus; denuo, quis esset et quid ibi ageret, furioso latratu percunctans. Quem protinus agnitum vociferare[d] sicut arrepticius cepit: *Ecce, ecce! Hic est! Currite, currite* inquit *currite! Hic est!* Et cum omnes ruerent, ille, terribilibus oculis ipsum intuens, homicidis manibus christi Domini verticem attrectare non contremiscens, cigneos ipsius canos et omnis venerantie[e] plenos temeraria manu deiectione[f] demonica arripuit et mox, in ipsum irruens, sevum impietatis sue gladium per ipsius sacratissima tempora[g] fixit. Cui sanctus episcopus cum profunde inflicto vulnere inclinaret, antequam caput erigeret, alter terribili ictu inter sima[h] colli capitisque ipsum percussit; cui denuo inclinavit. Sed interim

a. sumi 1. b. Helingerus 2. c. inquit dicens 1. d. vociferari 2. e. reverentiae 2. f. deuectione 1. g. tympora 1. h. summa 2.

1. Ps. 68, 16: „Non me demergat — os suum". 2. Ps. 7, 3: „ne quando — salvum faciat". 3. Cf. Exod. 10, 21.

1160 Iun. 24 alius vecte ipsum, media per dorsi[a] percutiens plaga crudeli, ad terram usque illisit[b]. Sed Maguntini, omnes impetu facto clamantes: *Occide, occide; et nemo dimittat eum vivere,* linfanti furia omnes confertissime accurrerunt[c], cuncti, ve[d], dominum et episcopum suum interficientes. Quidam manum sacratam ad brachium usque gladio vibranti sulcavit. Alter circa sima media[e] nasi[f] ab aure in aurem eum ictu sevissimo perculit; quidam per sublabia[g] de dextro ad sinistrum profunda plaga transfodit. Atque[h] alii pectus, alii brachia, alii crura, et quidam sic et alii sic, infausto Marte sacerdotem Dei, ut caro solet macelli, in ipsis ecclesie liminibus piaculariter et miserabiliter divaricantes, eo[i] proprio rubricato baptizatoque cruore, de principe, de archipontifice, de sacerdote martirem Christi testemque fidelem in eternum fecerunt.

Sic igitur, ut dictum est, vesana Maguntinorum turba archiepiscopum et dominum suum, quia arguebat eam[k], quod Iesu Christi sponsam, scilicet Maguntinam ecclesiam, profanasset, sicut Iohannes arguebat Herodem propter Herodiadem[1], similem Iohanni, largiente Deo martirii per ignem et gladium possessurum palmam, in eiusdem precursoris Domini nativitate crudeliter et inmisericorditer interfecit. In quo nefando scelere, licet plebs furens cruente impietatis sit potita victoria, tamen iste, munimine regio[l] septus, nullatenus ab adversariis est superatus.

Iste est autem Arnoldus Maguntinus, qui — Maguntino solo ex generosis parentibus et religiosis exortus, Maguntine ecclesie clericus et deinde canonicus, et[m] post multis nobilibus prepositūris ecclesiisque simul dotatus, et abhinc Maguntine civitatis camerarius, et imperialis aule inclitus cancellarius et summus capellanus, per multas virtutes, omnium bonorum[n] operum cella misericors, ad summum sacerdotii gradum, titulis precla-

a. dorsa 1, 2. b. allisit 2. c. accurrentes 1, 2. d. cunctique 2. e. summa medii 2. f. nasus 1. g. *sic.* h. et 2. i. eo *addidi.* k. eam *scripsi pro* eum 1, 2. l. *sic.* m. est 1. n. bonorum *addidi.*

1. Cf. Matth. 14, 3 squ.

ris suffultus, perveniens — octavo sui metropolitanatus anno, 1160
iam grandevus et plenus dierum, gloriosus et decorus in conspectu Domini, Maguntinam ecclesiam cui preerat ab impiis suorum civium eripere volens faucibus, ultimam sui sacerdotii stolam lavans in sanguine agni, a perfida plebe occisus; infulam perpetuam a domino Iesu Christo, pro cuius honore proprium sanguinem fudit, anno dominice incarnationis millesimo centesimo sexagesimo 8[a] Kalend. Iulii feliciter et fideliter est assecutus. Iun. 24

Nunc autem profana et pestilens multitudo Maguntina, ut copiosius iram Dei et omnium sanctorum et cunctorum bonorum hominum super[b] se provocaret, de ipsa ecclesia, ubi eum impie et inhumane interemerant[c], mortuum et enecatum per pedes, tamquam canem, in foveam quandam platearum traxerunt. Et subsannantes ei, iurantesque per impietatis nequitiam: quod ille mortificator, senex pessimus, nunquam emori posset, immo quendam capellanum suum sibi similem, non ipsum, iugulassent[d]; iterum irruerunt in ipsum. Intima cordis, ventrisque totius gelida penetralia ipsius per gladii sevientis animadversionem rimati, circumquaque concisum, eum denuo, quantum in ipsis, occisum occiderunt. Et exinde nudum et inhumatum, miserabili[e] funere volucrum latrantiumque rostris trahendum, in cavearum agrorumque horrenda inoptataque[f] solitudine solum et inexequiatum[g] dimittentes; per triduum sepulturam in estatis ipso flagranti fervore sibi negaverunt. Iun. 24–26

Sed sine publicis[h] exequiis Christus martirem suum non dimisit. Nam in ipso imminentis noctis silentio, quod suum post obitum peremptorie[i] succedebat diei[1], circumstabant eum pauperum viduarum pupillorum orphanorumque multitudo innumera, quos semper victu vestituque alebat; ymnidicis choris

a. 8 *om.* 1, 2. b. *om.* 2. c. interimerat 1. d. iugulassent *scripsi pro* agladiassent 1, 2. e. miserabile 1. f. inoptataque *scripsi pro* ineptaque 1, 2. g. inexequitatum 1, inexequiatum 2. h. pudicis 1. i. peremptorie *scripsi pro* perempte 1, perempti 2.

1. i. e. ea nocte, quae inter diem 24 et 25 m. Iunii intercessit.

1160 Iun. 24—26 omnes concrepantes in unum, flentes, simulque domino Deo ostendentes tunicas et vestes et diutinis alimoniis, quibus eos[a] episcopus sanctus explerat, referta precordia. Et baiulantes preciosissimum funus de solitudine cavearum viarumque bivio[b], coram Deo in sancta sanctorum intulerunt; per totum illud triduum et deinceps in laudibus psalmis et supplicationibus sibi excubantes, et elemosinarum misericordiarumque suarum depositum, quod a viro sancto continuum susceperant, domino Deo cum lacrimis et magnis singultibus consignantes.

Verum nec infra illud spatium abhominabilis Maguntina furia requiescit. Sed ingredientes, ubi sanctum[c] est feretrum, reverentissimum corpus denudant, exspoliant, pedibus conculcant, ora ipsius premortui[d] lapidibus contundunt[e], et dentes exangues[f], quibus reverentiam addebat ipsa maturitas, ex ipso quod fregerant ore decutiunt; exprobrantes ei ac dicentes: *Vis tu filium meum obsidere? Vis tu bona mea recipere?* Et minabantur eis, qui circumstabant, pauperibus viduis orphanis et Scottis. At ipsi e contra, tanti viri necem vehementissime improperantes, adiciebant: quia pro ipso ad mortem usque pati supplicia non vererentur; quoniam eorum pater et mater et post Deum unicum fuisset refugium.

Maguntini interea, pauperum[g] improperia et totius mundi maledictum non valentes ferre, consilium fecerunt, ut cadaver sanctissimi viri (immitteretur[h]) in amnem[i] et caractere excommunicationis infamatum, impositum tabulae[k], aquis suspenderetur[l]; ut sic, ubi appulerit, legentes excommunicationis libellum, ei sepulturam et alia humanitatis officia denegarent. Sed prophanum consilium Deo disponente viribus caruit. Quia tertia
Iun. 26 sui obitus die in basilica beatissime Marie virginis, que ad Gradus dicitur, coram eiusdem sacratissime virginis altari est locum sepulcri[m], quem vivens quandoque in votis habuerat, de-

a. eas 1. b. bino 1. c. *an* statutum? d. praemortua 1, 2. e. contendunt 2. f. exargues 1. g. pauperum — valentes ferre *non suo loco leguntur in codd. post* cadaver sanctissimi viri. h. immitteretur *addidi.* i. inanime 2. k. tabula 1. l. suspendi 1. m. sepultum locum 2.

functus officio tumulationis[a] sortitus. Ubi eius merita omnibus 1160 Iun. 26
rite poscentibus ad laudem et gloriam nominis Dei patrocinantur. Amen[b].

a. *sic scripsi pro* officii tumulationem 1, officii tumulacione 2. b. *Sequitur in codd. fragmentum chronici a Christiano compositi:* Perpetrato hoc scelere — multipliciter est afflicta. *Cf. supra p.* 606 *n.* 1 *et infra Christiani chronicon.*

CHRISTIANI CHRONICON MOGUNTINUM.

Christianus II archiepiscopus Moguntinus, cum episcopatum circiter duos annos administratum anno 1251 per legatum sedis Romanae amisisset, iniquo animo fortunam suam ferens, quae detrimenta saeculo superiore ecclesiae Moguntinae illata essent[1], *ad Theodericum abbatem eiusque fratres perscripsit. Atque a pristinis ecclesiae ornamentis capto principio, ubertatem eorum splendoremque iam dilapsum copiose et abundanter ostendit, ut fortunatissimis praeclarissimisque rebus tristis calamitatum series opponeretur*[2]. *Totius autem mali exordium constituit a deiectione praedecessoris olim sui Heinrici I archiepiscopi, quem item sedis apostolicae legati duo ab episcopatu anno 1153 submoverant; omnemque stomachum, a legato apostolico sibi motum, in legatos Heinrici I adversarios erupit. Accusavit eos pecuniae acceptae et risus inhumani; indeque poena merita ambos uno die multari fecit, repentina post paulo violentaque morte pereuntes; quos quidem scimus etiam postea amplissimis rebus perdiu functos e vita abiisse diversis temporibus. Nec multo secus Rudolfum, filium Conradi ducis Zaringiae, anno 1160 electum archiepiscopum, propter crucis aureae partem absumptam interiisse eodem anno narravit, licet eundem constet exinde plus triginta annos viguisse. Tanta peccavit in rebus veterioribus; et suae aetatis quoque memoriam tenuem neutiquam sine ira exposuit. Forma-*

1. „Scripturus itaque vobis iacturam et oppressionem, qua annis iam centum cepit ruere ecclesia Moguntinensis“ — 2. „Igitur, ut eius miserabilior calamitas quam patitur et flebilior elucescat, prius, quibus honoribus claruit, quibus divitiis et ornatibus referta fuerit — disseremus“.

vit autem in ipsa urbe Moguntia[1] *libellum intervallo annorum 1251 et 1253; nam anno 1253, cum hospitaliorum ordini se addixisset, Parisiis vitam posuit*[2].

Primum ediderunt opusculum, „exscriptum Maguntiae e libro quodam vetusto", in Witichindi Saxonis rerum gestarum libr. III Basileae 1532, hac usi inscriptione: „Chronicon vetus rerum Maguntiacarum per Conradum[3] *episcopum". Ex qua editione deductae sunt editiones Reuberi Vet. Scr. Francofurti 1584 p. 450—458, et Francofurti 1726 p. 761—772, Urstisii Germ. hist. Francofurti 1585 et 1760 p. 567—575, Georgii Helwich Chronicon vetus cet. Francofurti 1630 et Moguntiae 1716, Ioannis Vol. secundum Rer. Mog. Francofurti 1722 p. 101—130. Boehmerus tandem Font. II 253—271, nonnullis apographi Treffleriani de quo infra dicam assumptis lectionibus, anno 1845 libellum proposuit iusto titulo hoc: „Christiani chronicon Moguntinum".*

Mea editio sic parata est, ut, cum item principem editionem (ed.) *maxime sequerer necesse esset, ad vitia depellenda adhiberem et variam lectionem, quam Dahl in Archiv für ältere deutsche Geschichtskunde II 326—332 attulit ex Treffleri bibliothecarii S. Iacobi Moguntini apographo codicis quondam Sponheimensis* (T), *et eos, de quibus vide supra p. 605, codices Wirziburgensem s. XV ms. fol. 187* (W) *atque Francofurtensem s. XVIII* (F), *Arnoldi archiepiscopi vitae adiunctum chronici Christianini fragmentum haud exiguum*[4] *continentes.*

Berolini 8 Idus Martias a. 1866.

1. „Adhuc" ait enim in describendo ecclesiae Moguntinae thesauro „acerra habetur hic, sed gemmae non sunt". 2. Annales Erphordenses 1253 (Mon. Germ. SS. XVI 39): „Cristianus Maguntinus archiepiscopus hospitaliorum ordini se tradidit"; (p. 40) „Eodem anno Cristianus Maguntinus, quondam episcopus, Parisius defunctus est ac in domo hospitaliorum sepultus". 3. „Conradum" ex coniectura perperam posuerunt, nam in ipsius libri exordio codex ille vetustus de scriptore nihil praebuit nisi haec: „C. presbyter episcopali nomine indignus". Hunc errorem ceteri editores fere omnes secuti sunt, quamvis nonnulli iam multis argumentis intellexissent, Christiano adiudicandum opusculum esse. Cf. Ioannis Volumen primum Rer. Mog. p. 607 squ. 4. „Perpetrato hoc scelere —

Venerabili patri domino Theodorico abbati et fratribus Ludovico[a] priori, Iohanni[b], Rudolpho sacerdotibus, Christianus[c] presbyter, episcopali nomine indignus, gaudia electis Dei ante mundi exordia praeparata[1].

Solent plerunque res olim gestae, si scriptis non fuerint commendatae, sic oblivionis conculcari pede, ut nulla de ipsis a posteris memoria habeatur; cum tamen earum noticia posset forte fore aliis causa cautelae et instrumentum evadendi pericula vel vitandi. Quod si non sit, saltem legentibus et audientibus tedium tollitur. Dum ea transierint, eis quasi quedam recentia renascuntur. Unde fit, ut ex hoc in admirationem ducantur vel stuporem, vel certe ad passionis gemitum provocentur. Scripturus itaque vobis iacturam et oppressionem, qua annis iam centum cepit ruere ecclesia Maguntinensis, ipsius invoco gratiam, cuius ea, quae sustinuit et adhuc sustinere non desiit mala, iudicio est oppressa. Igitur, ut eius miserabilior calamitas quam patitur et flebilior elucescat, prius, quibus honoribus claruit[d], quibus divitiis et ornatibus referta fuerit, succincte et breviter disseremus[e].

Erant ibi purpurarum praeciosarum tantae copiae, ut diebus festivis totum monasterium, cum sit tam[f] longum et latum, intrinsecus tegeretur, et tamen adhuc superfuerunt. Erant tapetia et dorsalia[2], mira picturae varietate distincta, quae operis subtilitate et pulchritudine animos intuentium admiratione delectabant. Praeter ista erant et alia, quae super pavimentum templi et scamna et coram altaribus sternebantur. Erant pallae altarium auro intextae praeciosae. Inter quas tres erant praecipuae, quarum una aestimabatur posse valere marcas cen-

a. C. Ludovico *ed.* b. Ioan. *ed.* c. C. *ed.*, Christianus *T.* d. *an* claruerit? e. audiatis *T.* f. tam *scripsi pro* tamen *ed.*

et ecclesia multipliciter afflicta". Boehmerus, cum hanc chronici partem a vitae Arnoldianae scriptore esse arbitraretur, eandem ex vita Arnoldi in chronicon Christianinum translatam esse non recte censuit. Cf. supra p. 606 n. 1.

1. Cf. Matth. 25, 34. 2. aulaea parietum.

tum, alia sexaginta; atque aliae non minoris vel parum minoris poterant aestimari.

Erat in casulis, dalmaticis, subtilibus et cappis sericeis et purpureis, auro et gemmis intextis, preciosus et copiosus thesaurus. Inter quae sex cappae praecipuae erant; quarum una aestimata est ad sexaginta marcas, sic enim et obligari poterat; aliae quinque minoris erant aestimationis. Ex hiis duas ego vidi. Quarum una vetustate fuit sic consumpta et attrita, quod alicui usui non valebat; data ergo est igni, et reddebat tres marcas auri cum dimidia. Alia, quae adhuc recentior videbatur, vendita est cum una palla altaris; quid pro hiis acceptum fuerit vel quo devenerit acceptum[a], penitus ignoratur. Inter casulas autem sic de quolibet colore duo paria: Duae nigrae aurifrigiatae[1]; et eiusdem operis duae dalmaticae; et duo subtilia, latis aurifrigiis ornata; et haec omnia valde bona. Item duae casulae de samito albo; et eiusdem fili dalmaticae duae; subtilia duo cum auro ornata; omnia valde bona. Item duae casulae de rubeo samito[b]; et tot dalmaticae et subtilia aurifrigiata; valde bona. Item duae casulae de viridi samito; et tot dalmaticae et subtilia aurifrigiata; valde bona. Item duae casulae de croceo samito; tot dalmaticae et subtilia; valde bona. Una inter caeteras erat casulas ante paucos dies violacea, latis et magnis aurifrigiis, longa et larga, aureis lunulis et sideribus insertis; quae tanti erat ponderis propter aurum, ut plicari non posset; et in ipsa vix aliquis poterat nisi valde robustus divina mysteria celebrare. Vestiebantur tamen illa pontifices[c] et praelati festis praecipuis cantaturi[d]; sed post euangelium, cantato offertorio, factis oblationibus, illam deponentes, flexibiliorem sumentes, in illa[e] divina perfecerunt.

Item multae tunicae diversorum colorum, videlicet rubei, viridis et violacei coloris, virgulatae crocei, albi; quibus utebantur ministri altarium et acolyti et chrismatis portatores.

a. devenerit venditum acceptum *ed.* b. ruffo sammito *T.* c. episcopi *T.* d. canturi *ed.* e. *an* ista?

1. fimbriis aureis ornatae.

In albis, cingulis, humeralibus, stolis et caeteris ornamentis, paucis credenda, copiosa diversitas.

Erant infulae[a] vel thiarae octodecim auriphrigiatae; chirothecae valde bonae sedecim. Annuli pontificales boni et magni: de robino unus, et impositis aliis gemmis minutis; de smaragdo unus; de saphiro unus; de topazio unus. Baculi pastorales duo, vestiti argento. Caligae octo; et tot scandalia. Haec de vestimentis.

Nunc de ornatu et thesauro ecclesiae, et primo de pertica audiatis. Erat pertica argentea, concava, deaurata; que tantum precipuis festis, ut in passione[b], pentecoste[b], in dedicatione ecclesiae, in festo patroni gloriosi confessoris beati Martini, in nativitate Salvatoris, ante altare dependebat. In qua vascula suspendebantur, quaedam eburnea, quaedam argentea, formarum diversarum; omnia reliquiis plena. In horum omnium medio fulgebat smaragdus, suspensus catenis aureis duabus, habens quantitatem et spissitudinem dimidii peponis magni, et per omnia similitudinem habens peponis, et ipse concavus. Huic solebat aqua infundi cum duobus vel tribus pisciculis parvis; et deposito desuper operculo, cum movebantur pisciculi, simplices et vetulae lapidem vivere affirmabant.

Erant thuribula decem argentea, deaurata; et unum aureum, habens auri marcas tres. Et acerrae undecim. Inter quas una erat de lapide integro onychino concavo, habens similitudinem vermis horribilis, id est ut buffonis; concavitas eius patebat in dorso; ubi et circulus argenteus cum literis Graecis ambiebat. In fronte huius acerrae — quia caput habebat simile vermi monstruoso — erat lapis topazius valde preciosus, magnitudinem habens dimidii vitelli ovi; in oculis eiusdem acerrae duo robini, quos carbunculos vocant. Adhuc eadem acerra habetur hic, sed gemmae non sunt[c].

Item erant duae grues argenteae, concavae, quae solebant poni iuxta altare hinc et hinc. Et dorso patebant; impositis carbonibus et thure vel thymiamate, boni odoris fumum per

a. insulae *ed.* b. pasca pentecostes *T.* c. sunt *add. T., om. ed.*

guttura et rostra emittebant. Erant autem grues tantae magnitudinis, cuius vivae.

Erant libri, qui pro ornatu super altare ponebantur, ut euangeliorum, epistolarum, plenariorum etc.; aliqui vestiti ebore sculpto, alii argento, alii auro et gemmis.

Erant pelves quatuor argenteae; et urcei diversarum formarum, quos manilia[1] vocant, eo quod aqua sacerdotum manibus funderetur ex eis; argenteam quaedam habentes formam leonum, quaedam draconum, avium vel gryphonum vel aliorum animalium quorumcunque.

Erant candelabra magna duo, quae iuxta altare ponebantur, argentea; et alia minora, quae super altare ponebantur, quibus rotae supponebantur latae propter stillicidia candelarum, nescio quot.

Erat corona magna pendens in choro ad similitudinem eius, quae adhuc pendet ad Sanctum Albanum; et una in medio templi; atque aliae tres minores ante altare sancti Martini; omnes ex argento diligentius fabricatae.

Erant cruces argenteae portatiles, mirae pulchritudinis; quarum duae in palmis, duae in paschate, duae in ebdomada paschae, duae in rogationibus, duae in die ascensionis Domini ferebantur; decem per totum. Erat et una crux tantae longitudinis ut totum brachium magni viri; in qua erant sanctorum reliquiae multae et magnae. In medio vero continebat de ligno dominicae crucis, ad quantitatem digiti, ad longitudinem vero palmae virilis. Vestita erat haec crux auro purissimo et gemmis preciosis et multis.

Erat et alia crux lignea, auro optimo vestita, in qua imago erat aurea Domini crucifixi. Quae imago cuiuslibet communis hominis magnitudinem[a] excedebat, concava, sed multum spissa; cuius venter plenus erat reliquiis et gemmis preciosissimis. Dicebatur autem, nec Romanum imperium meliores habere. Haec crux poterat dissolvi membratim in iuncturis, primo in talo, in

a. longi viri longitudinem *T pro* communis — magnitudinem.

1. vasa manualia.

genibus[a], in femore, in humeris, in cubito, in manibus, in collo, ubi corpori inherebat. Caetera pars corporis, dorsum scilicet et venter, pariter coherebant. Et hoc ideo, ut commodius et securius posset in archa, sibi ad hoc deputata, specialiter reservari. Haec raro ponebatur, nisi forte praesente rege vel alio magno principe, et in festis paschae vel natalis Domini, et pontifice hoc iubente. Cum autem hoc fieri oportebat, tunc in loco valde eminenti, in templo super trabem, ubi nulli alieno patebat accessus, a ministris fidelibus locabatur. In huius imaginis capite loco oculorum erant duae gemmae, quas carbunculos vocant, tantae magnitudinis ut duo vitelli ovorum; qui in tenebris coruscabant. Huic cruci inscriptus erat versus iste:

Auri sexcentas habet haec crux aurea libras.

Et nota[b], quod una libra habet duas marchas auri; sic ergo erant mille et ducentae marche auri probatissimi. Nec silendum arbitror: pro speciali huius auri examinatissimo valore crux ipsa proprio nomine censebatur. Vocabatur autem Benna.

De indumentis quotidianis, crucibus, calicibus, ampullis attinentibus, et thuribulis mentionem facere propter multitudinem non bene possum[c]. Sed quia de calicibus dicimus, subiit memoria, quod fueram iam oblitus. Erant calices duodecim argentei, omnes deaurati, eiusdem ponderis, cum patenis scilicet de tribus marchis; dempto calice, qui pertinebat ad maius altare, et is caeteros dimidia marcha praecellebat. Cuilibet calici erant speciales ampullae argenteae et pyxis[d] argentea ad hostias deputata. Praeter hos calices erant tres aurei. In uno horum poterat celebrari, quia[e] etiam suas habuit ampullas et pyxidem ad hostias ex auro purissimo et margaritis, et peram ad corporalia, filis aureis insertis, miri operis et decoris. Habebant etiam calices alii suas peras ad corporalia ex purpura et auriphrigiis adornatas. Erant fistulae quinque ad communicandum, argenteae deauratae. Erant colae[1] argenteae novem,

a. genuibus *ed.* b. Sciendum tamen *T pro* Et nota. c. arbitror ociosum *T pro* non bene possum. d. pypis *ed.* e. qui *ed.*

1. cola.

per quas vinum poterat colari, si necesse fuisset; praeter eam, quae attinebat calici aureo, et haec aurea erat. Hoc aureo calice solus pontifex, vel praelatus ecclesiae maioris, in summis festivitatibus utebatur. Alii duo calices tantae erant quantitatis, quod cum ipsis divina mysteria nequaquam poterant celebrari. Erat enim unus maior altero. Minor habebat cum patena marcas auri electissimi octodecim; in cuius pede per circuitum preciosi erant lapides valde, et in patenae circuitu limbus eiusdem operis ambiebat, et ipse quidem gemmis preciosis non carebat. Calix maior quot marcas auri habuerit, nescio; certum autem est, quod spissitudo eius erat digiti, et per totum, tam in pede quam supra, gemmis erat praeciosissimis adornatus. Habebat etiam idem calix duas ansas, quae poterant manus replere levantis; sicut solent habere mortarii, in quibus piperata et salsa praeparantur. Huius patena talis erat latitudinis et spissitudinis, quod ipsi congruebat, et ipsa gemmis per circuitum decorata. Hic calix habebat altitudinem unius ulnae, et capere poterat dimidium sestarium vini; nec ab omni homine poterat levari a terra commode.

Nullus me in hoc scripto arguat, obsecro, falsitatis. Nam ecclesia ipsa et sedes ab omnibus regibus et imperatoribus, principibus, comitibus, baronibus, liberis[a] et omni populo venerabilis habebatur propter pontificum sanctitatem, cleri devotionem, civium pietatem. Qui tamen in rigorem pessimum et superbiam modo et duriciam sunt conversi; minus[b] iuste dixi conversi, aversi dixisse debueram. O Maguntia[c] felix[d], tot donis[e] inclyta, si tu mutares gentem, rationis ac honoris[f] egentem!

Igitur cum, sicut iam supra dictum est, sic pontifices se haberent et clericalis disciplina optime servaretur, ita ut plebes clero, clerus praelatis obedientiam et reverentiam exhiberent, invicem honorantes, invicem diligentes, praesidente tunc quodam Henrico[1] archiepiscopo, viro utique pacifico et benigno ac 1142-1153

a. etc. *add. ed.* b. minus — debueram *add. T; om. ed.* c. Moguntia, Moguntia *T.* d. villa *add. T.* e. bonis *ed.,* donis *T.* f. rationis honore *T.*

1. I, 1142—1153.

1142-1153 multis virtutibus dotato, diabolus, qui hoc ferre non valebat, ipsi venerabili viro, quia veritatis ac pacis amator erat, lites et incommoda excitavit. Nam, quia semper ei erat cordi, ut clerus honore debito gauderet, populus iustitia regeretur, terra pace publica exultaret, ecce accusatur apud papam: quod somnolentus et inutilis haberetur. Quod vir venerabilis ut cognovit, solemnes nuncios pro sua excusatione ad summum pontificem decrevit protinus destinare. Misit ergo omnium suorum secretissimum cognitorem, quendam Arnoldum clericum, quem ipse archiepiscopus ad praeposituram maiorem promoverat[1] iam recenter, tanquam eum, qui non posset esse immemor beneficii tam noviter consecuti; et propterea eidem iam praepositurам sancti Petri etiam contulerat, insuper et camerarium constituit civitatis Maguntinensis. Erat autem idem Arnoldus miri ingenii et facundiae atque congestor pecuniae infinitae.

Is itaque, veniens ad curiam Romanam, pontificatumque ambiens Maguntinensem, primum sibi cardinales pecunia favorabiles acquisivit. Deinde, duos specialiter pecunia corrumpens, qualiter de sua propria promotione ageret et postmodum consummaret, cum illis familiarius pertractabat. Tandem, ab illis instructus et de se certificatus, coepit in suum dominum accusationis iacula dirigere, quem venerat excusare. Breviter, tantum in sua processit audacia[a], ut duos legatos destinari peteret, huius rei cognitores et iudices. Obtinuitque eosdem duos[b], quos corruperat.

Tandem tractu temporis multa intervenerunt facta[c], quae sicut scribentibus essent[d] onerosa ita legentibus tediosa[e]. Ve-
1153 niunt ergo legati[2] Wormaciam. Henricus episcopus citatus com-

a. et effecit *add. ed.* b. dominos, quos sanctificaverat, sed de illi sanctificationi, que non per Christum sed per comercium sit *T pro* duos quos corruperat *ed.* c. Multa hic interveniunt facta et gesta *T pro* Tandem — facta. d. esset *ed.; om. T.* e. onerosum — tediosum *ed.;* que sicut scribentibus onerosa ita et legentibus tediosa forent *T.*

1. Arnoldus non fuit praepositus S. Martini, sed fuit camerarius civitatis et praepositus ecclesiae S. Petri Moguntinae. 2. Bernhardus pr. card. tit. S. Clementis et Gregorius diac. card. S. Angeli.

paret; nihil praetendere poterat pro se, quod admittere vellent 1153
iudices sive legati supra dicti. Praesidentes autem iudicio in
loco, qui Neuhusen[1] vocatur, Henricum laudabilem virum ab Iun. 7
episcopatu amovent Maguntinensi; Arnoldum substituunt. Dicebatur autem, quod Fridericus imperator huic negocio assensum praebuerit, sed occultum[2]. Venerabilis vir Henricus, tam manifesta perversitate turbatus, ipsos perversos alloquitur in hunc modum: *Si ad sedem apostolicam appellarem contra vestrum iniquum processum, papa forsan ipse nihil amplius attentaret, et nihil mihi accresceret nisi labor corporis, amissio rerum et afflictio spiritus et evisceratio mentis et evacuatio gratiae. Appello ergo ad dominum Iesum Christum, tanquam iudicem iustissimum. Vos cito ad eius tribunal, ibi mihi coram summo iudice responsuros*[a]. *Non enim iuste nec secundum Deum, sed mercede corrupti, sicut placuit, iudicastis.* At illi: *Cum tu praecesseris, nos sequemur.* Haec autem ridentes et deridentes dixerunt. Acta sunt haec anno gratiae MCLI[b][3].

Dominus Henricus abiit ad quoddam claustrum Cisterciensis ordinis[4]; non monachus effectus, sed in consueto habitu vitam ducens. Arnoldus, non moram faciens, cum fuisset ut moris est ab imperatore regalibus investitus, Maguntiam venit ibique solemniter est susceptus. Post annum fere et dimidium[5] ve-
nerabilis Henricus praesul defunctus Deo, ad quem appellaverat, Sept. 1
totum processum lacrimabiliter assignavit.

a. me responsurum exhibeo *ed.*, responsuros *T.* b. M. C. V *ed.*, MCLI *T.*

1. Neuhausen a Wormatia ad septentriones. 2. Otto Fris. Gesta Friderici II c. 9: „— rex — Henricum — per eosdem cardinales deposuit“. 3. immo a. 1153. 4. Heinricus Eimbicam se contulit, ut docent Annales Palidenses (Mon. Germ. SS. XVI 88) 1153: „divertit Enbike“. Neque vero coenobium ordinis Cisterciensis ibidem fuit. 5. immo iam post tres fere menses. Obiit enim Heinricus die 1 Sept. 1153 secundum Annales S. Disibodi 1153 (Mon. SS. XVII 28) et Necrol. Hildesheim. (ap. Leibnitium I 766): „Kal. Sept. Heinricus Moguntinus archiepiscopus in Embike“. Bruschius autem (Magni operis de omnibus Germaniae episcopatibus epitomes 1549 p. 10) refert, Heinrici sepulcro Eimbecensi sic inscriptum esse: „Anno Domini 1153 Nonis Septembris obiit reverendus pater Henricus archiepiscopus Moguntinus
Ad Christum sospes eat huius corporis hospes“.

1153-1160 Arnoldus autem primordia sui consecrans praesulatus, purpuram optimam de almaria[1] tollens, sibi fecit vestes, tunicam, sorcotium et mantellum, ut in imperatoris curia gloriosior appareret. Sed omnipotens Deus non diu sustinuit istud nefas.

Orta est enim dissensio valde gravis inter ipsos cives Maguntinenses. Nam una pars dolebat vehementer venerabilem virum domnum Henricum ab episcopatu amotum; alia gloriabatur et superbiebat Arnoldum substitutum. Erat enim oriundus de ipsa parte civitatis, quae Selehofen nominatur. Tam gravis autem crescebat de die in diem invidia inter cives, ut tribus diebus in septimana congrederentur et per plateas cum gladiis et fustibus ac contis, cuspidibus et lanceis invicem se mactarent, caderentque hinc et hinc tanquam oves occisionis. Nec se Arnoldus interponere curavit pro pace et concordia reformanda; sed suos fautores potius contra partem adversam animavit. Propter quod accidit, ut pars illa de Selehofen, quam fovebat et animavit Arnoldus, maius monasterium occuparet illoque pro castro uterentur contra adversarios. Durabat haec dissensio dies multos. Et clerus, graviter oppressus, contemptus habebatur; quia iam copia maioris ecclesiae eis concedebatur ad divinum officium exequendum non nisi pro illorum libitu laicorum, qui illud temere occupaverant. Et iam quidem multi venerabilem Henricum conqueruntur mortis debitum exsolvisse[a].

Rem refero, fratres, omnibus illius seculi notissimam. Mors venerabilis Henrici multis innotuit. Pervenit etiam ad aures illorum cardinalium, qui, ab episcopatu eum amoventes, se promiserant sequuturos. Et ludentes ad alterutrum dixerunt: *Ecce praecessit, suo tempore nos sequemur.* Et ecce transiit tempus breve, et ambo uno die moriuntur[2]. Nam unus, sedens in sede

a. exoluisse *ed.*

1. armario. 2. Fabulae. Gregorium enim diaconum card. S. Angeli, post d. 19 Mart. 1154 factum episcopum Sabinensem (v. Regesta pont. Rom. p. 653), scimus obiisse intervallo dierum 20 Sept. 1162 et 18 Mart. 1166 (v. ibid. p. 677); Bernhardum autem pr. card. tit. S. Clementis, post d. 26 Iunii 1158 factum episcopum Portuensem et S. Rufinae (v. ibid. p. 658) decessisse spatio dierum 22 Iunii et 31 Dec. 1176 (v. ibid. p. 677).

naturae, ut purgaret ventrem, omnia intestina sua in cloacam 1153-1160 eiecit et animam miserabiliter exhalavit; alius, manuum suarum digitos articulatim abmordens et de ore expuens, deformatis manibus, quasi se ipsum devorans, expiravit. O Deus ultionum domine! Deus ultionum hoc egit[a][1], iustum exercens iudicium. Et in his omnibus non est aversus furor eius, sed adhuc manus eius extenta[2]. Audita sunt haec in terra nostra et fama celebri divulgata, nec a quoquam aliud dicebatur, quam: *Benedictus dominus, qui venerabilis Henrici iuste iniuriam vindicavit.* Sic isti dies suos clauserunt.

Crescebat autem in malum vehementius odium et pugna civium praedictorum. Iam conducuntur de foris auxiliatores milites ab utraque parte; pervenitur iam ad maiores. Nam quidam comites, promissionibus attracti, huic praelio se immiscuerunt. Tractatur ab utraque parte de sumptibus acquirendis. Et pars, quam fovebat Arnoldus, festinatum consilium invenerunt et, ut mutuo acciperent de ecclesiae ornatu, secretum habuere tractatum. Iam integritas ipsius ornatus in parte est non modica vulnerata. O cardinales carpinales! Pacem de terra accepistis et, ut homines se invicem interficiant, vos fecistis. Quodcunque mali provenit, quaecunque fuerint homicidia perpetrata, vestra est in causa perversitas. Vestra est iniquitas operata, ut veniat super vos omnis sanguis, qui effusus est et deinceps effundetur.

Ecce in omni terra non est, qui huic malo velit occurrere ad sedandum; sed crescit et intumescit mare istud, plenum frementium bestiarum, ventis afflantibus utique ex inferno. Iam se immiscet Arnoldus. Qui, cum esset archiepiscopus loci, fautores plurimos acquisivit in propriae civitatis interitum et iacturam; nolens parcere, ut quidam ei imponebant, nec sexui nec aetati.

Propter quod consilium pars adversa, ut in mortem sui domini armarentur, iniit. Longo ergo et secretissimo habito trac-

a. O deus ultionum d. d. ul. h. e. *ed.*

1. Ps. 93, 1. 2. Isai. 5, 25: „In his omnibus — extenta".

1153-1160 tatu, in proposito scelere se invicem adhortantes, se roborant et coniurant; tacent et abscondunt, quicquid pro sua sit malitia perpetrandum.

Sed nihil opertum, quod non reveletur[1]. Per plures enim admonitus Arnoldus est et[a] praemonitus, ut se cautius observaret. Qui fertur suis monitoribus respondisse: *Canes Maguntinenses mordere non norunt, nec aliquid valent quam latratibus deterrere. A corde carentibus timeantur.* Erat quidam abbas in claustro Eberbach[2] ordinis Cisterciensis, qui ipsum Arnoldum pro suis excessibus saepe literis arguit et imminentia pericula intimavit. Erat quaedam sancta virgo nomine Hildegardis, quae per spiritum vidit ipsum Arnoldum citius moriturum; scripsisse quoque dicitur ei in haec verba: *Pater prospice tibi; canibus enim sunt funes abstracti, qui insequuntur te.* Non autem acquievit monitis aliquorum.

1160 Iun. 23 Accidit, ut in vigilia Iohannis baptistae post prandium de quodam oppido Binga[b] civitati Maguntinensi appropinquaret, ac se in claustro monachorum iuxta muros civitatis ad Sanctum Iacobum in monte specioso, sic enim dicitur, se locaret. Et ecce Maguntinenses usque in crastinum sese armant et condunt, ut, cum in ipso die Iohannis audita fuerint campana, quilibet sit paratus. Et factum est ita.

Iun. 24 Venit dies. Et maturius solito prandent omnes; pulsatur campana, et a maximo usque in minimum universa civitas congregatur. Praesul Arnoldus se iam dederat quieti. Et audito campanae sonitu, ultra quam credi possit vehementer expavit, et timor irruit super eum; amissoque rationis gubernaculo, quid posset facere, ignorabat. Obstruxit autem repagulis[c] et lapidibus et lignis quibus poterat ianuas omnes monasterii memorati. Turba autem turbata ex adverso omnes portas et fenestras vel quoscunque alios exitus observabat, ne evaderet, quem

a. et *addidi.* b. Bingen *ed.*, Binga *T.* c. repagulis *scripsi pro* repagulum *ed.*

1. Luc. 12, 2. 2. Ruthardus abbas Eberbacensis, cuius litteras v. supra p. 405.

quaerebant. Iam ignem ad officinas admovebant. Vix et cum multa difficultate monachi recessum obtinuerunt. Et dum monasterium, fumo plenum flammisque, per circuitum premeretur, ipse praesul, turrim monasterii ascendens, misericordiam deprecatur et, si quem offendisset verbo vel facto, satisfacturum se suppliciter pollicetur. Sed turba, viso pontifice, clamare coepit furiose, nec poterant supplicantis verba prae tumultu turbatae turbae intelligi vel audiri. Sed admoto igne ad turrim, in qua stabat, ipsum de turri descendere compellebant. Flamma iam monasterio dominatur. Videns ergo, monachos obtenta securitate abscedere, tentat, si forte et ipse cum eis et inter eos possit evadere. Assumpto itaque habitu monastico, occultari tentat, ut et ignem qui invaluerat et gladium evaderet quem timebat. Apertis ecclesiae valvis, cum monachis fere abscesserat. Sed a quodam est cognitus et detentus infelix. Quidam primo gladium vibrans collo episcopi immersit. Alter, in fronte eius percutiens mucrone, ab aure usque ad aurem superiorem partem capitis ad inferius divisit. Sicque actum est, ut alii contis, alii fustibus, alii gladiis, alii lapidibus eum[a] mactantes, solo tenus praecipitarent. Iacentem sic et vulneribus et sanguine deformatum vulgus nequam et perversum vestibus spoliarunt. Quidam anulos de digitis abstulerunt. Reliquiae quaedam, quas collo pendentes solitus erat ferre, ab aliis sunt ablatae. Hec autem circa horam nonam, parum ante vesperas, sunt peracta. Nec poterant clerici ab ipsis malefactoribus aliquatenus obtinere, ut saltem occisus in loco traderetur debito sepulturae. Sic ergo iacebat in campo super fossam civitatis, ubi canum et luporum transitus habebatur; desiderantes, eum et ab huiusmodi bestiis devorari. Tribus diebus sic nudus toto corpore manens, veniunt aliquae maledictae feminae, caseorum et ovorum atque olerum venditrices, mercatrices, meretrices, saxisque dentes pontificis contuderunt. Aliae vero stipites ardentes et titiones fumantes eius gutturi infixerunt; adicientes linguis et labiis maledicta. Post diem tertium canonici Sanctae Mariae

1160 Iun. 24 — Iun. 24–26 — Iun. 26

a. eum *addidi.*

1160 Iun. 26 ad Gradus iam incognoscibilem et foetentem, furtim sublatum, deferunt in ipsam ecclesiam, lacrimosis suspiriis sepeliendo.

O furiam Maguntinam, o maledicta gens dura corde, gens immitis, gens intractabilis, gens indomabilis, gens iniqua, invisa coelo et terrae, impia in Deum, seditiosa in invicem, temeraria in sancta pace; qua[a] nemo neminem honorantem honoret, nemo neminem amantem amet, nemo etc. Vae tibi, infelix Maguntia, que proprium patrem mactas, ut te in superbiam ponas et parias genimina viperarum. Acta sunt hec anno millesimo centesimo sexagesimo.

O cardinales, huius rei vos estis initium. Venite ergo, venite, haurite nunc et ferte architriclino vestro diabolo, eique offerte cum ea, quam deglutistis, pecunia etiam vosmet ipsos.

Perpetrato hoc scelere, alium[b] sibi creare[c] satagunt scelerati[d], nullam clericis, quorum intererat, eligendi[e] licentiam concedentes. Assumptoque quodam Rudolfo, cognomine Clobelouch[f], fratre[g] scilicet[h] ducis Zeringiae[i][1], eum[k] in sedem collocant, adhuc occisi praesulis sanguine fumigantem[l]. Hoc autem factum est, ut possent ultionem imperatoriam, quam quidem[m] meruerant, evitare. Erat enim idem Rudolfus vir potens in[n] amicis[o], ipsius imperatoris consanguineus propinquus. Hic pro investitura regalium et consecratione sua ac pallio acquirendo, quod est pontificalis honoris insigne, consultans[p] ac pertractans — quia[q] sumptus[r] non habentur[s] in promptu[t] — unde possint res huiusmodi[u] acquiri, quibus in honore suo anquisita[v] dignitas obtineri et obtenta valeat[w] conservari; et ad nutriendum ignem sumptuosae ambitionis, quasi lignorum struem, secretiores consiliarii consilia subministrant. Thesaurus ecclesiae nimius

a. quam *ed.* b. aliud *ed.*, alium *W, F.* c. curare *ed.*, creare *W, F.* d. scelerati *om. ed.* e. potestas *add. ed.* f. Clobelauch *ed.* g. frater *W.* h. Friderici *ed.*, scilicet *W, F.* i. Toringie *W.* k. eum *om. ed.* l. fumigante *W.* m. quidem *om. ed.* n. in *om. ed.* o. amicus *ed.*, amicis *W, F.* p. consilians *W, F.* q. quando *ed.*, quia *W, F.* r. snmpta *ed.*, sumptus *W, F.* s. haberentur *F.* t. ad promptum *W, F.* u. *om. W, F.* v. anquisita *scripsi pro* acquisitis *ed.*, acquisita *W, F.* w. valeret *ed.*, valeat *W, F.*

1. fratre Bertholdi IV ducis Zaringiae (filio Conradi ducis).

et inutilis perhibetur[a]. Ad[b] quid enim grues argenteae ad 1160
fumigandum altare? Possent[c] altaria[d] et ecclesia tota thurificari thuribulis cupreis habundanter. Item ad quid calices aurei et gemmati[e] tantae quantitatis, ut in eis non valeant divina mysteria celebrari? Haec et similia consilia placuerunt. Quae[f] eo poterant facilius et citius adimpleri, quo[g], percusso pastore, grex dispersus iam abierat vagabundus. Rudolfus ergo iam dictus episcopus nominatur, disponensque[h] itineri suo, brachium ab illa magna cruce, de[i] qua supra mentionem fecimus, quae Benna[k] vocabatur[1], ad usus necessarios amputavit; fideliter promittens se reparaturum brachium aequalis ponderis et valoris, si peracto negocio prosperum iter ei faceret Deus.

Proficiscitur versus Romam. Sed praevolaverat fama ad curiam, quae facta fuerant, manifestans. Et venerabilis[l] papa, tactus dolore cordis intrinsecus de morte crudelissima archiepiscopi, et de insania[m] intrusionis Rudolfi per manum laicam, et eorum maxime, qui crimen homicidii perpetrarunt, ipsam intrusionem, intrudentes cum intruso, excommunicationis anathemate condempnavit. Rudolfus Clobelouch ad curiam Romanam[n]

a. prohibetur *W.* b. Ad *om. ed.* c. Posset *ed.*, Possent *W, F.* d. *om. ed.* e. gemmate *W.* f. quia *F.* g. quod *F.* h. disponens *W, F.* i. de — fecimus *om. W, F.* k. Genna *W.* l. *om. ed.* m. infamia *ed.*, insania *W, F.* n. *om. ed.*

1. Ei, quod in codicibus Wirziburgensi et Francofurtensi (cf. supra p. 677) reperitur, chronici huius fragmento inserta haec sunt: „quam quondam Willegisus Moguntinensis archiepiscopus, gerens curam regis, videlicet Ottonis tercii, et regni per annos tres, ex tributo Longobardorum sibi deputato, videlicet annuo, mille et ducentis libris auri purissimi, fusili opere fieri fecit ex auro purissimo; in cuius summitate celatum erat: „„Auri sexcentas habet hec crux aurea libras““. — Sed haec ex Annalibus Palidensibus illata esse videmus, ubi ad a. 983 (Mon. Germ. SS. XVI 65) sic est: „ac deinde Moguntinus presul, scilicet Willigisus, per triennium curam utriusque (Ottonis regis et regni) peregit. Qui de tributo Longobardie sibi interim deputato, videlicet mille et ducentis libris auri purissimi, crucem fusili opere fieri fecit, Benno dictam, in cuius summitate celatum erat: „„Auri sexcentas hec crux habet aurea libras““. Crucis illa effigies in pede sinistro digitulam casu amisit, que, tam puro auro per totam etiam patriam quesito, non poterat equiparari“. — Similia de Benna cruce leguntur in Annal. S. Disibodi ad a. 1160 et 1161 (Mon. Germ. SS. XVII 29 et 30). Cf. supra p. 681. 682.

1160 non pervenit, inque[a] via diem clausit extremum[1], procul dubio eius crucifixi occisus brachio, cuius ipse[b] brachium amputarat[c].

De thesauro hoc sciatur, quod, qui olim successive[d] affluxit, nunc velocius avolavit. Magna eius pars imperatori[e] creditur affluxisse, pars ab aliis ablata, pars Iudaeis in[f] pignore obligata, pars furtim subtracta. Dispersi sunt lapides sanctuarii, non quidem in capite[g] platearum[2] sed in bursas furantium.

1163 Quae vindicta secuta sit mortem domini Arnoldi[h], hic credimus non tacendum. Ab imperatore proscripti perpetuo exilio sunt damnati, hi scilicet, qui manu nefanda ipsum facinus perpetrarunt. Ipsa civitas omnibus iuribus et libertatibus[i] ac privilegiis perpetuo[k] est privata. Murus et fossatum et alie turrium munitiones sententialiter condempnata et destructa funditus et eversa, ita ut civitas ipsa deinceps lupis et canibus, furibus et latronibus pateat pervia[l], nec unquam reaedificandi habeat facultatem. Insuper et plebs ipsa perpetua infamia[m] subiaceat, totius deinceps exsors[n] gratiae et honoris. Destructae etiam sunt munitiones ipsius ecclesiae in diversis locis, et ecclesia multipliciter afflicta.

1161 Successit post hoc dominus Conradus[3], imperatoris consanguineus, de Bavaria oriundus. Sed suscitavit diabolus inter imperatorem et archiepiscopum immortales inimicitias; quia erat adhuc misera ecclesia Maguntinensis amplius castiganda. Causam huius discordiae longum esset enarrare, ideo praetermitto; nam et praesentem materiam non contingit. Dominus itaque Conradus, imperatoris non habens gratiam, exul et profugus
1165 fugit[4], Romam venit; ibique imperatori, quicquid mali poterat, fabricavit. Papa pro quadam causa imperatorem excommunicavit, ortumque est grave schisma inter ecclesiam seu clerum et

a. in *W, F.* b. *om. W, F.* c. amputavit *W, F.* d. *om. ed.* e. imperatorii *W.* f. *om. ed.* g. capita *ed.* h. archiepiscopi *W, F.* i. liberalitatibus *W.* k. perpetue *W.* l. previa *W.* m. sic *ed. et W;* perpetue infamie *F.* n. exors *ed.*

1. At Rudolfum constat, episcopum Leodiensem anno 1167 factum, demum anno 1191 e vita cessisse. 2. Thren. 4, 1. 3. I. 4. anno 1165 ad Alexandrum III papam, in Galliam.

imperium. In his omnibus dominus Conradus fuit imperatori 1165
adversarius capitalis. Sic ergo iterum ecclesia Maguntinensis
patris spiritualis est solatio destituta. Non erat, qui clericos in
ipsa dioecesi ordinaret, chrisma consecraret, poenitentes admit-
teret, moniales velaret, capellas et ecclesias consecraret. Haec
omnia mala ob venerabilis Henrici ab episcopatu amotionem,
cuius supra memoriam fecimus, pullularunt. O misera ec-
clesia Maguntinensis, quid pateris? O lugubre et amarum po-
culum, quod tibi ira Dei miscuit ad potandum.

Videns dominus Fridericus imperator, durum sibi fore et
contra papam et archiepiscopum certamen gerere, domino Con-
rado adversarium suscitavit. Instituit ergo dominum Christia- Sept.
num[1], suae quidem curiae cancellarium[2], loco domini Conradi
Bavari; virum utique mirae prudentiae, in rebus ambiguis et
arduis subtilissimi consilii et velocissimi inventorem. Erat etiam
vir mirae patientiae in adversis. Nulla in prosperis superbia
extollebatur. Vultus benignitate omnibus gratiosus, et alias ho-
nestis moribus adornatus. Hunc ergo, quia tam ecclesiasticarum
quam secularium personarum favorem cognovit habere, consti-
tuit episcopum Maguntinensem. Duravit hoc schisma annis
octodecim.

Tandem dominus Christianus, se interponens inter papam 1177
et imperatorem, ambos ad concordiam revocavit. Actumque est
de episcopatu Maguntinensi, ut dominus Christianus archiepi-
scopatum Maguntinensem obtineret pacifice et quiete, et domi- Iul. 25
nus Conradus Saltzburgensem archiepiscopatum accipiens guber-
naret. Erat enim in ipsa ecclesia a puero enutritus.

Quieverunt mala per tempus modicum, et dominus Chri-
stianus obiit. Obiit autem iuxta Romam. Graviter aegrotavit; 1183
vicinus erat summus pontifex[3], qui episcopum, ut proximaret, Aug. 25
paternis[a] literis hortabatur. Cumque papa ad archiepiscopum
pervenisset, sed[b] languor in tantum praevaluerat, ut patri sancto

a. *an* quem episcopus, ut proximaret paterne? b. *sic. An* senis?

1. I. 2. ab anno 1163 ad 1165 Sept. 3. Lucii III papae de Christiani I obitu epistola legitur supra p. 411.

1183 Aug. 25 assurgere non valeret. Facta ergo confessione summo pontifici, de manu eius communicationem sanctam accepit aliaque ecclesiae sacramenta. Et dominus papa, facta et dicta indulgentia, in pace abiit; et dominus Christianus Deo animam reddens mortem obiit. Audita morte domini Christiani, imperator intime doluit; et universa eius curia et omnes, quotquot intellexerunt, gravibus suspiriis sunt turbati. Rursum etiam misera ecclesia Maguntinensis plorans ploravit, quod dolor eius renovatus est.

Post haec principes[a] quidam dominum Conradum Saltzburgensem archiepiscopum imperatoris Friderici[b] gratie[c] reformant[d], ita ut ipse imperator eundem archiepiscopum Conradum ad Maguntinensem ecclesiam redire postularet; quod ipse dominus Conradus maximo desiderio affectabat. Suscipitur ergo dominus Conradus in ecclesia Maguntinensi, tanquam fuisset angelus Dei. In continenti[e] autem postea gravem ponebat exactionem in clerum. Et mirati sunt universi, et omnes qui audiebant dicebant: *Qualis est hic, qui tributarium facit clerum?* Sed convaluit haec pressura; et exin hoc suis deinceps successoribus relinquebat.

1190 Iun. 10 Modico tempore post imperator Fridericus, dum transiturus esset rivulum parvulum, qui pedibus poterat transmeari, impetu aquae quasi submersus est. Ipse dicebatur fuisse aliquantum gravis venerabili viro domino Henrico archiepiscopo et ad ipsius depositionem occulte consilium ministrasse. Huic filius suus Henricus sextus successit; quievitque terra a proeliis.

Iam sperabat ecclesia Maguntinensis post tot calamitates miserias pressuras iacturas aerumnas fletus et vulnera in statum surgere potiorem, et pastoris proprii protectione et praesentia consolari. Sed adhuc divina hoc ultio non admisit. Nam ignis egressus est[f] de foro foeni, quem veniens ventus ab oriente detulit super templum. Combustaque ecclesia, et libri multi et boni, privilegia quoque multa et valde utilia sunt consumpta; etiam pars ornatus magna, partim ignibus devorata, partim

a. princeps *T.* b. recuperata *ed.,* Friderici *T.* c. gratia *ed.,* gratie *T.* d. reformavit *T.* e. *an* Incontinenter? f. est *addidi.*

per asportationem subtracta. Venerabilis autem pontifex dominus Conradus novam monasterii fabricam inchoavit, sed non consummavit. In his omnibus nec clerus a suis se lasciviis temperavit nec laici a sua malitia respirarunt.

Post paucos annos ventus, veniens ab occidente, pinnaculum templi deiecit. Erat autem ligneum et super ciborium antiquum collocatum. Cum tanto autem impetu in ipsam structuram ventus irruit occidens, ut quasdam trabes in Rhenum mitteret, quasdam ultra Rhenum ad miliare iuxta villam Hocheim in aere deportaret. Certissimum a multis famabatur, quod non ventus sed diabolus hoc fecisset. Erant enim trabes quercinae et abiegnae quantitatis illius, quae in torcularibus solent esse. Ego memor sum istud ultimum accidisse. In omnibus his non est aversa ira Domini, sed adhuc manus eius extenta[1].

Post haec iter coepit[a] idem archiepiscopus transfretare et 1197
de manibus Sarracenorum eripere terram sanctam atque resti- Ian.
tuere cultui christiano. Se ipsum et alios multos cruce signavit, mare transivit, fere tribus annis militans Domino in partibus
transmarinis. Circa finem anni tertii[2] Henricus moritur im- Sept. 28
perator. Heu, heu! Vae terrae. De partibus Hierosolymita-
nis redit archiepiscopus, terram reperit desolatam incendiis et 1199
rapinis. Nusquam enim, ubi rex non est gubernator vel potens, non potest a populo pax haberi. Desideratur ab omnibus Conradi archiepiscopi adventus. Et ecce venit desideratus, et terram invenit proeliis et incendiis conturbatam. Studebatque omni desiderio pacem terris et quietem provinciae reformare. Et hoc fecisset, si mortis debitum non solvisset. Gravi enim aegritudine fatigatus est[b] et, cum de die in diem se convalescere spe-
raret, subito et insperata morte praeventus, Deo spiritum red- 1200
didit 1200.

Audita morte archiepiscopi, dux Bavarie[3], filius fratris[4] eius, omnem thesaurum et ornatum, quem in casulis et infulis

a. Post haec iter coepit *ed.; an* Post haec in se cepit? b. est *addidi.*

1. Isai. 5, 25. 2. immo iam a. 1197 Sept. 28. 3. Ludovicus I. 4. Ottonis I ducis Bavariae.

1200 et cappis habuit copiosum et ecclesiae donare deposuerat Maguntinensi, abstulit violenter. Quod tamen Deus non reliquit inultum. Nam et ipse dux post multum temporis interfectus tur-
1231 piter interiit[1], neque corpori Christi participans neque regno,
Sept. 16 ut existimatur. Equidem iuste, satis superque iuste[a], ut, qui beatum Martinum debito sibi decore spoliaverat et ornatu, ipse quoque caelesti ornatu et gloria privaretur. O altitudo et profunditas iudiciorum iusti iudicis Dei, terribilis in consiliis super omnes filios hominum[2].

1198 Imperator obierat[b], et surgunt duo reges[3] pro imperio litigantes. Non est, qui a malis imminentibus se abscondat. Ma-
1200 guntinensis archiepiscopus non est; et duo[4] pro eo, quis eorum fiat maior, decertant. Ex utraque parte amici et fautores promissionibus et muneribus acquiruntur. Et turpe est dicere: ipsi clerici electores simoniae vitio maculantur; et multiplicantur mala super terram, et scinditur ecclesia Maguntinensium. Qui uni[5] adhaerent, cum eo recedunt; alii remanent cum altero[6]. Sufficere poterat ad desolationem terrae unum schisma; sed funes peccatorum, dupliciter circumplexi[7], difficilius dissolvuntur.

Pervertunt cuncta simul haec duo schismata iuncta
regum, pontificum; nec novit amicus amicum.

Una pars, quae remanserat, canonicorum, cum suo electo excommunicatur; sed ipsi, hanc excommunicationem se simulantes ignorare, divina celebrare non omittunt. Duravit haec contumacia annis octo.

1208 Contigit post haec, ut rex Philippus, qui fovebat hanc par-
Iun. 21 tem interdictam, occideretur in civitate Bambergensi; et haec pars debilitata est, atque fautores alterius episcopi, qui de civitate exierant, convaluere anno Domini millesimo ducentesimo octavo.

Principes post mortem Philippi regis in Othonem conve-

a. iuste *scripsi pro* satis. b. abierat *ed.*

1. 1231 Sept. 16. 2. Ps. 65, 5. 3. Philippus et Otto IV. 4. Lupoldus (ep. Wormatiensis) et Sifridus II. 5. Sifrido. 6. Lupoldo. 7. Cf. Ps. 118, 61.

niunt, qui fuerat adversarius Philippi pro imperio, cuius parti
etiam papa[1] favebat. Iste Otho maturavit ad papam venire pro 1209
imperiali consecratione. Solemniter proficiscitur, consecratur[2].
Post annum excommunicatur[3], eique filius Henrici imperatoris, 1210
rex Siciliae Fridericus, suscitatur a papa. Redeunt mala, sur-
gunt incendia, spolia reviviscunt. Fridericus venit de Apulia 1212
contra Othonem; post annos aliquos Otho moritur. Fridericus, 1218
dispositis prout melius potuit rebus, Romam proficiscitur, in im-
peratorem consecratur anno Domini millesimo ducentesimo vice- 1220
simo ab Honorio papa. Quo mortuo[4], Gregorius papa succedit. 1227
Hic etiam Fridericum excommunicavit. Laetantur praedones et exultant lictores, capta praeda; convertuntur vomeres in gladios et falces in lanceas; non est, qui in latere non deferat chalybem et lapidem in praeparationem incendii et in exustionem. Omnia mala confluunt, specialiter super ecclesiam Maguntinensem, et maxime circa partes Rheni de civitate Spirensi usque Coloniensem.

Post mortem domini Siphridi archiepiscopi Maguntinensis 1230
senioris succedit dominus Siphridus[5], fratris[6] eiusdem filius. Hic duobus annis laudabiliter vixit. Sed quia elati cordis erat et superbiae magnae, nimis se contra Fridericum imperatorem erexit; non quidem ut divinam sed papalem gratiam obtineret. Gravi etenim infamia non solum apud papam sed et apud omnes homines laborabat. Hic ergo, vultum et animum leonis induens leo factus est; et coepit orphanos et viduas facere, villas comburere, civitates destruere, homines devorare, terram in desertum deducere, et papae mirifice complacere. Et quia iam inquisitionis literas contra episcopum dederat, ex hiis factis fratrem venerabilem appellabat. Hic Siphridus episcopus malum opus operatus est; qui per flammam ignis terram depauperavit, et thesauros ecclesiae ablatos praedonibus dispersit, dedit raptoribus. Iustitia eius non manet in seculum seculi[7]. Is itaque

1. Innocentius III. 2. 1209 Oct. 4. 3. 1210 Nov. 18. 4. 1227 Mart. 18. 5. III. 6. Godefridi de Eppenstein. 7. Cf. Ps. 110, 3.

1246 lantgravium Thuringiae[1] in regem eligi procuravit; sed brevi
1247 vivens tempore, et regnum et animam resignavit.

1241 Interea Gregorius papa moritur; sedes vacat annis duobus
1243 vel tribus. Huic autem papa succedit Innocentius quartus, qui
in concilio Lugdunensi contra Fridericum imperatorem deposi-
1245 tionis sententiam promulgavit.

1247 Mortuo lantgravio rege, Wilhelmus comes Hollandiae in re-
gem eligitur tantum ab archiepiscopis Maguntinensi et Colo-
niensi[2]. Post breve tempus dominus Siphridus archiepisco-
1249 pus etiam rebus valedicit humanis, abiens in regionem longin-
Mart. 9 quam[3]. Nec tamen ideo cessant mala.

Convenerunt ergo fratres ecclesiae Maguntinensis, tractantes, de patre futuro persuasi, qui posset ipsam, tot et tam gravibus oppressam miseriis et tanto tempore iam plorantem, paternis affectibus consolari. Et concorditer in venerabilem virum dominum C(onradum) Coloniensem archiepiscopum vota sua transtulerunt; postulantes a sede apostolica, ipsum sibi praefici in pastorem. Sed, heu heu, hoc non poterat obtineri. Non est haec postulatio admissa, sed electio capitulo restituta. Et ne archiepiscopus Coloniensis aegre ferret suum desiderium non completum, ipsi legationis dignitas est commissa[4].

Consedere rursum fratres ecclesiae Maguntinensis, eligunt
suum praepositum nomine Christianum, qui a cunabulis fuerat
in ipsa ecclesia enutritus. Eadem die est a legato[5], qui tunc
erat praesens, confirmatus et a rege[6] regalibus investitus die
Iun. 29 Petri et Pauli. Omnia haec acciderunt uno anno, scilicet:
quod dominus Coloniensis est postulatus, quod factus est legatus, quod dominus Christianus factus est episcopus et consecratus, quod pallium est assecutus. Omnes religiosi, et qui Deum prae oculis habere credebantur, super huius hominis promotione

1. Heinricum Raspe. 2. Conrado I, 1238—1261. 3. Cf. Luc. 19, 12.
4. Conradum I autem archiepiscopum Coloniensem iam die 14 Mart. 1249 sedis apostolicae legatum factum esse, liquet ex Innocentii IV epistola ap. Baluzium Miscell. VII 495. 5. Petro diac. card. S. Georgii ad velum aureum. 6. Wilhelmo.

gaudebant; sperantes, pacem rebus dari, maxime quia idem bellicis rebus non fuerat assuetus. Etiam qui negocio fuerant inimici, congratulantur ei. Sed non stetit diu in episcopatu. Accusatur enim apud papam[1]: quod omnino inutilis esset ecclesiae, et quod evocatus ad expeditiones regis invitus veniret. Hoc autem verum erat, eo quod fierent incendia, sectiones vinearum, devastationes segetum. Dicebat etenim, nequaquam decere talia sacerdotem. Sed quicquid deberet per gladium spiritus, quod est verbum Dei, omnimode se promptum asserebat et voluntarium servitorem. Cumque eius praedecessorum sequi vestigia moneretur, respondit: *Scriptum est*: „*Mitte gladium in vaginam*"[2]. Ob hoc in odium regis et multorum incidit laicorum. Qui omnes eum accusantes apud papam, obtinuerunt, eum ab episcopatu omni submoveri. Cessit ergo anno Domini 1251.

1249

1251

Substitutus est autem ab eodem legato adolescens subdiaconus, Gerhardus[3] nomine, filius comitis Conradi, qui dicebatur Sylvester comes. Hunc autem substituit Hugo[a4] cardinalis presbyter et legatus, inductus a quodam Henrico[5] archiepiscopo Herburgdunensi, qui socius erat ipsius legati. Nec tamen hoc ipse Henricus archiepiscopus consuluit sine causa. Acceperat enim occulte ducentas marchas pecuniae numeratae a Gerhardo, quem idem archiepiscopus institui procuravit. Nihil opertum, quod non reveletur[6]. Praeter has autem ducentas marchas factae sunt destructiones multae ecclesiae Maguntinensis.

a. Hugo *om. ed.; legitur in T.*

1. Innocentium IV. 2. Ioh. 18, 11. 3. I. 4. Hugo de S. Charo, pr. card. tit. S. Sabinae; de quo v. Quetif et Echard Script. ord. Praedicatorum I 194. 5. Henrico de Secusia, qui fuit ep. Sistaricensis ab 1241 — c. 1250, archiep. Ebredunensis a c. 1250, ep. Ostiensis ab a. 1263, et obiit a. 1271. De quo v. Hist. litter. XIX 428. 6. Luc. 12, 2.

ANNALES AUGIENSES.

Exploratum nobis est, annales Augienses fuisse in eo codice, quem saeculo IX Reginbertus monachus Augiensis[1] *tertium numerat librorum partim a sese aut scriptorum aut iussorum scribi, partim dono sibi datorum*[2].

Omnes enim res, quas teneri A u g i e n s i *illo codice docuit Reginbertus, quoniam pari ordine in codice membr. quondam* M o g u n t i n o *nunc Parisiensi n. 4860 (Colbert. 240, Reg. 3730 a) saeculo X scripto reperiuntur*[3], *hunc ex illo fluxisse certum est. Itaque cum „de cyclis decennov(enn)alibus cyclos 28" legamus in* A u g i e n s i *exstitisse*[4], *atque ipse Dionysii Exigui et Bedae magnus paschae circulus, undeviginti annorum cyclos 28 continens ab anno 532 ad a. 1063*[5], *comprehendatur codicis* M o g u n t i n i *foliis 152—155v et istorum foliorum in marginibus hi rerum* A u g i e n s i u m *annales positi sint, manu tenemus, una cum eodem circulo paschali in Reginberti codice annales quoque habitos esse; et eos quidem minimum ut in Moguntino ad annum 939 adductos, propterea quod saeculo XI Herimannus, ipsius monasterii Augiensis sodalis, in conficiendo chronico suo*[6] *annales ad*

1. Qui obiit d. 9 Maii a. 846. V. supra p. 425. 2. V. Reginberti catalogum ap. Neugart episcop. Constant. 548: „In tertio libro habentur chronica Eusebii Caesareensis episcopi et Hieronymi presbyteri et Prosperi .... epistolae Victoris et Dionysii de ratione cycli paschalis et d e c y c l i s d e c e n n o v (e n n) a l i b u s c y c l i 28 et versus diversi" cet. 3. ut plene arguit Theodorus Mommsen, Die Chronik des Cassiodorus Senator p. 574 squ. 4. V. supra n. 2. 5. de quo circulo cf. praefationem meam annalibus Corbeiensibus additam, in Bibliothecae huius T. I 29 squ. 6. Mon. Germ. SS. V 67 squ.

a. 939 usque adhibuerit, nec cognoverit Moguntina quaedam Moguntini codicis additamenta[1] *saeculo X facta.*

Moguntinus codex igitur paullo post annum 939 exaratus est. Etenim cum eadem, cui cunctus liber debetur, manus totos annales inde a 709 ad 939 usque posuisset[2] *atque ad a. 937 adnotavisset Friderici archiepiscopi ordinationem, iam istius successor Willihelmus (954—968), Ottonis I imperatoris filius, possedit codicem suaque manu annorum 953 et 954 memorias annalibus adiunxit. Deinde codicem reperimus longum tempus permansisse Moguntiae, ubi et saeculo XI Marianus Scottus annalibus Augiensibus et saec. XII S. Disibodi annalista aliis codicis partibus usus est. Servabatur ibidem saeculo XIV in ecclesia S. Stephani*[3]*, qua eum adiit a. 1528 Iohannes Cochleus*[4]*. Tum vero in Colberti bibliothecam transpositus Baluzio praesto fuit anno 1678*[5] *et Cangio anno 1688*[6]*, hodieque in imperiali bibliotheca Parisiensi tenetur.*

Ex hoc libro Baluzius a. 1678 primam annalium editionem[7] *fecit in Miscellaneorum T. I 496—500, idemque codex ad Theodorum Mommsen missus anno 1861 mihi patuit. Ac sic quidem proponendos annales duxi, ut relationes annorum 709—791 et anni 814, quas omnes ex annalibus Sangallensibus brevibus*[8] *provenisse liquet, litteris minoribus, quaeque scriptor Moguntinus ad a. 937 apposuit, ea litteris latius*

1. ad a. 937, 953, 954. 2. Tantum quod annorum 725—939 memoriae alio atramento atque annorum 709 et 710 scriptae sunt. 3. Namque in fol. 1*v* a scriptore saec. XIV sunt posita verba haec: „Pertinet ecclesie sancti Stephani in Maguntia". 4. V. Mommsen l. l. p. 583. 5. V. elenchum eorum, quae in Miscellaneorum tomo I continentur, ubi Baluzius scripsit se chronicon Augiensis monasterii „ex veteri codice ms. bibliothecae Colbertinae" assumpsisse. 6. V. Chronicon paschale ed. Du Cange, Parisiis 1688, p. 479 n. XXII. 7. quae repetita est a Iohanne Dominico Mansi in Miscellaneorum a. 1761 Lucae renovatorum T. I 120—121, et anno 1826 a Pertzio in Mon. Germ. SS. I 67—69. Postea attulit ex ipso codice perpaucas quidem emendationes Pertzius ibid. II 328. 329, at omnem fere correctionum copiam Waitzius in Nachrichten von der Georg-Augusts-Universität 1857 p. 53—55. 8. eas ediderunt Ildefonsus ab Arx et Pertzius in Mon. SS. I 64. 65.

distentis describerentur, Willihelmi archiepiscopi autem memoriae legantur seiunctae ab ipsis annalibus.

Berolini 4 Idus Martias a. 1866.

Annales Sangallenses breves.

709. Hiemps durus. Et Gotafred dux[1] moritur.
710. Pippinus Alamanniam ingreditur.
725. Sarraceni primitus ingrediuntur.
730. Lantfrid[2] moritur.
731. Obitus Bedae presbyteri.
734. Karolus Fresiam vastat.
735. Karolus Wasconiam invasit.
736. Audoinus episcopus[3] obit.
741. Karolus moritur.
746. Carlomannus Alamanniam ingreditur.
747. Carlomannus Romam pergit.
751. Lantfrid[4] moritur.
752. Pippinus in regem elevatur.
753. Stephanus[5] papa in Franciam venit.
754. Sanctus Bonifacius martirizatur. Et Pippinus Italiam intravit.
758. Pippinus rex in Saxoniam ingreditur.
759. Pippinus in Wasconia.
768. Pippinus rex moritur.
771. Karlomannus rex obiit.
772. Karolus rex in Saxoniam.
773. Karolus rex in Italiam.
774. Capta est Italia a Francis, et Karolus Romam pervenit.
778. Karolus Ispaniam ingreditur.
779. Item Karolus in Saxonia. Et fames magna mortalitasque in Francia.
781. Saxonia capta est.
782. Item Karolus Romam venit. Et Pippinus baptizabatur.
783. Hiltigart regina obiit.
786. Karolus Romam perrexit. Cruces in vestibus apparuerunt.
787. Karolus per Alamanniam pervenit ad fines Baiariae.
788. Tassilo dux venit in Franciam. Baiaria capta est.
789. Karolus pergit in Sclavos, qui dicuntur Wilzi[a].
791. Karolus rex Hunorum regnum vastat.
799. Gerolt[6] occiditur.

a. Viulzi *c.*

1. Alamannorum. 2. I dux Alamannorum. 3. Constantiensis. 4. II dux Alamannorum. 5. III. 6. frater Hiltigardis reginae, praefectus Bavariae; qui Augiae sepultus est. V. Herimanni Aug. chron. 799.

810. Egino Constantiensis episcopus[a] 9 Kal. Septembris[1].

812. Werdo[2] 3 Kal. Aprilis.

813. Walto[3] 4 Kal. Aprilis.

814. Annus primus Hludowici imperatoris.

816. Berenhartus rex[4].

824. Visio Wettini.

830. Pretiosa corpora sancti Valentini et sancti Genesii[b] in Augiam insulam venerunt 5 Idus Aprilis.

836. Hatto episcopus[5] obiit.

838. Puato diaconus palacii lapsus est in iudaismum. Erelebadus[6] cessit; et Walafrid constitutus est.

840. Eclipsis solis 3 Non. Mai. inter octavam et nonam horam, in vigilia ascensionis Domini. Hludowicus obiit.

842. Divisio regni.

843. Iudiht[7] obiit

856. Hildigarht[8] obiit.

858. Folcwinus abbas[9] obiit, et Waldarius successit.

860. Meginratus heremita martirizatus est.

864. Waldheri[9] abbas desiit; Hecco successit.

868. Visa est cometa manifestissime.

869. Ictus fulminis Kal. Iulii inter decimam et undecimam horam diei.

871. Heco abbas[9] obiit, et Ruadho successit.

873. Ictu fulminis Wormatia comburitur.

875. Ludowicus[10] caesar Italiae obiit. Et Karolus[11] rex Galliae Romam pervenit.

a. Constantiensis episcopus *scripsi pro* constituitur *cod.* b. Senesii *c.*

1. Necrol. Augiense (in Mittheilungen der Zürcher antiqu. Gesellschaft VI): „8 Kal. Sept. Egino ep̄s Constant̄“. Eginonis obitus ab aliis ad a. 810 ab aliis ad 813 refertur. 2. abbas S. Galli. Necrol. Aug. l. l.: „3 Kal. Apr. Werdo abba“. 3. abbas S. Galli, postea Augiensis, deinde ab a. 806 S. Dionysii Parisiensis. Cuius mors ad 4 Kal. Apr. refertur in necrol. Aug. l. l.; ad 5 Kal. Apr. in necrologiis Dionysiano, Germanensi, Argentoliensi, ut testantur editores Galliae Christ. VII 351. 4. Italiae. 5. Basileensis (abbas Augiensis); Augiae sepultus. 6. abbas Augiensis. 7. uxor Ludovici I imp. 8. filia Ludovici II Germanici regis. De qua cf. Dümmler Gesch. des ostfränk. Reichs I 863 n. 57. 9. Augiensis. 10. II imp. 11. II Calvus.

876. Ludowicus[1] filius Ludowici imperatoris obiit. Et bellum inter Ludowicum[2] et Karolum imperatorem.

878. Eclipsis solis 4 Kal. Novembris.

879. Karolus[3], filius Ludowici[4] regis Francorum et frater Carolomanni[5] et Ludowici[6], Italiam primum intravit.

880 881. Karolomannus rex Bawariae obiit.

881 882. Karolus Romae cesar efficitur.

887. Karolus imperator regno privatur. Et Arnolfus filius Karolomanni in regem elevatur.

888. Karolus imperator obiit.

891. Sinderolt archiepiscopus[7] a Nordmannis occiditur[a].....

896. Arnolfus Romae cesar efficitur. Et in Augia miseria famis et mortalitatis; ac christiani homines alterius carnem comederunt.

897. 2 Idus Iulii ictus fulminis ante auroram.

899. Ungari, Italiam ingressi, multa fecerunt. Et Arnolfus imperator moritur; ac Ludowicus filius eius in regem elevatur.

900. Cuntibold rex filius Arnolfi occiditur.

906 905. Bellum inter Chuonradum[8] et Adalbertum[9] Francos, in quo cecidit Chuonradus.

907. Boioarii et ab Ungaribus interficiuntur.

908. Ungares Saxoniam et Turingiam vastant.

909. Ungares Alemanniam ingressi sunt.

910. Franci ab Ungaribus aut occisi aut fugati sunt.

911. Chuonradus in regem elevatur.

913. Hug in abbatia[b][10] successit. Ungri partes Alemanniae vastaverunt, et iuxta In fluvium a Bawariis et Alemannis occisi[c] sunt. Hiemps magna nimis.

915. Ungari tottam Alemanniam igne et gladio vastaverunt.

a. *sequitur in cod. locus rasus.* b. in abbatia *scripsi pro* abbatiam *cod.* c. successi *cod.*

1. II rex, Germanicus. 2. III regem, Iuniorem. 3. III, Crassus. 4. II, Germanici. 5. regis Bavariae. 6. III, Iunioris. 7. Moguntinus. 8. comitem, patrem Conradi I regis. 9. comitem (Babenbergensem). 10. Augiensi.

917. Ungari per Alemanniam in Alsatiam et usque ad fines Lotharii regni venerunt. Erchanger et Peratolht decollati sunt. Et Chuonradus rex obiit.

923. Preciosissimus[a] thesaurus sanguinis Domini in Augiam[b] venit 6 Idus Novembris.

926. Ungari totam Franciam, Alsatiam, Galliam atque Alemanniam igne et gladio vastaverunt. Et Burghardus[1] dux occiditur.

928. Hiemps magna nimis.

931. Heinricus rex regem Abodritorum et Nordmannorum efficit christianos; et profectus est in Galliam.

934. Ungari ab exercitu regis Heinrici occisi sunt, et multi 933
comprehensi sunt.

936. Heinricus rex obiit; et Otto filius eius in regnum constituitur.

937. Monasterium sancti Bonifacii[2] et sancti Galli igne consumuntur. Ruodolfus[3] rex et Arnolfus dux[4] obierunt. Ungari, per orientales Francos et Alemanniam multis civitatibus igne et gladio consumptis, iuxta Wormatiam Reno transito, usque ad mare occeanum regnum Galliae devastaverunt, et per Italiam redierunt. Frithuricus archiepiscopus[5] ordinatus.

938. Otto rex in Bawarios ibat; illisque resistentibus, rediit. Frater eius Heinricus comprehensus est ab Eberhardo[6]. Illo vero liberato, Eberhardum in exilium misit; ac iterum Bauwarios invasit cum exercitu, omnesque sibi subdidit, nisi tantum unum Arnolfi filium. Interim magna pars Ungarorum a Saxonibus occisa est.

939. Otto rex ibat in Lotheringos usque ad Caprimontem. Interea Ludowicus[7] rex Gallie invasit Alsatiam. Tunc rex Otto revertens venit ad Prisacam et obsedit eam; et Ludowicus discessit. Interim vero Eberhart dux[8] occisus est, et Gisilber-

a. preciosismus *cod.* b. Attigiam *cod.*

1. I dux Alamanniae. 2. Fuldense. 3. II rex Burgundiae. 4. Bavariae. 5. Moguntinus. 6. filio Arnolfi ducis Bavariae. 7. IV, Transmarinus. 8. Francorum.

tus dux[1] in Reno submersus mortuus est. Postea rex ibat cum exercitu in Lutheringos, et omnes suo subiugavit imperio, praeter Metensem[a] episcopum[2]. Nec non et frater eius Heinricus, proiectis armis, venit ad eum.

WILLIHELMI MOGUNTINI MEMORIAE.

953. Mogoncia civitas ab Ottone rege obsessa est.

954. Per loca Germaniae Galliaeque plurima terrae motus magnus factus est.

Anno dominicae incarnationis 954, indictione 12, beatae memoriae domnus Frithuricus, sanctae Mogontiacensis aeclesiae
Oct. 25 archiepiscopus, 8 Kal. Novembris obiit. Eodem vero anno ego Willihelmus, tantae successionis indignus, loco eius cum
Dec. 17 consensu cleri et populi eiusdem sanctae sedis 16 Kal. Ianuarii, ipsoque die pace inter regem Ottonem et filium eius Liudolfum
Dec. 24 facta, in loco Aranstedi sum electus; et in 9 Kal. Ianuarii Mogontiae ordinatus.

a. Metensis *cod.*

1. Lothariensium. 2. Adalberonem I.

ANNALES MOGUNTINI.

Annales hos, Martini Poloni chronico adhaerentes in codice quodam membranaceo, cum descriptos ab amico Lipsiensi accepissent, Schoettgenius et Kreysigius anno 1753 in Diplomatariorum tomo I 51—52 cum hoc indice: „Breve chronicon" pervulgarunt; et anno 1845 eorum editionem Boehmerus Font. II 249—253 secutus est. Nec dubitandum est, quin ex eodem vetere annalium exemplo ductum sit saeculo XVII apographum codicis bibliothecae Bremensis chartacei S. I b 44*b*, *ex libidine ut videtur inscriptum sic: „Wernheri Mòguntinensis annales"; qui quidem liber et Pertzio in edendis annalibus (Mon. Germ. SS. XVII 1—3) ad manum fuit et mihi hoc anno ab I. G. Kohl benevole missus est. Adhibens igitur tum* (B) *codicem Bremensem tum* (L) *Schoettgenianam editionem, recensui exiguas has memorias; discretis iis, quae in introitu leguntur tralaticiis*[1] *notis, ad monachorum ordines neque vero ad ipsam Moguntiam spectantibus.*

Berolini 15 Kal. Apriles 1866.

Anno Domini 1083. Incepit ordo[a] Arhoasensis[b].
Anno Domini 1098. Ordo Cysterciensis[c].
1114. Clarevallis fundata est.
1120. Ordo Praemonstratensis.
1153. Obiit beatus Bernhardus.

a. incipit *B*, incepit *L*. b. Achoasensis *B*, Achoaſ' *L*. c. Cystertiensis *B*, Cysterciensium *L*.

1. similes enim sunt Notae Cluniacenses in Mon. Germ. SS. XVII 722 et Notae Parmenses, quas edidi ibid. XVIII 664.

Item 1170[a]. Occisus est beatus Thomas Cantuariensis.
Item 1198. Ordo Trinitatis.
Item 900. Diviacensis[b].
Item 1200. Ordo Praedicatorum.
Item 1210. Ordo Minorum.

Item[c] 1197. Obiit Heinricus[d] imperator.

Item 1189. Expeditio Frederici[e] imperatoris.

Item 1200. Obiit Conradus archiepiscopus Moguntinensis[f].

Item 1208. Philippus rex occiditur.

Item 1211. Expeditio puerorum[g].

Item[h] 1215. Factum est concilium generale a papa Innocentio.

Item 1220. Fridericus imperator consecratur ab Honorio papa.

Item 1225. Engelbertus[1] archiepiscopus Coloniensis occiditur.

1227 Item 1227. Gregorius IX fit papa.

1228 Item 1228. Fredericus imperator execratur[i].

1231 Item 1229. Terra sancta imperatori redditur.

Item 1230. Dux Bawariae[k][2] occiditur.

Item 1232. Laurissensis[l] ecclesia unita est ecclesiae Moguntinensi per Fredericum imperatorem[3] et Gregorium papam, procurante Sifrido[m] archiepiscopo Moguntinensi, huius nominis III. Item[n] Fritschelaria capta est et incendio devastata.

Item 1234. Quidam pro haereticis mendaciter comburebantur.

Item 1235. Imperator de Sicilia[o] redit[p]; filiam[4] regis Ang-
1241 liae[5] ducit; Heinricum filium suum de regno deponit, tenens eum captivum. Item tres legatos Romanos cepit[q] cum magna

a. Item 1170 — Cantuariensis *om. B.* b. *sic pro* Cluniacensis *B.* Item — Diviacensis *om. L.* c. *in L leguntur* Item 1197 — imperator *post* Item 1189 — imperatoris. d. Henricus *L.* e. Friderici *L.* f. Magunt. *L.* g. P˜..uorum *B.* h. Item 1215 — Innocentio *om. L.* i. excommunicatur *L.* k. Bauwariae *L.* l. Lauriscensis *B.* m. Syfrido *L.* n. Item *om. L.* o. Secilia *B.* p. redit *B,* recedit *L.* q. capit *L.*

1. I. 2. Ludovicus I. 3. cuius diploma de ea re datum m. Aprili a. 1232 v. ap. Gudenum I 512. 4. Elisabetham. 5. Iohannis.

pecunia, et multos Ianuenses cum eis, qui eos per mare conducere volebant contra eum. Baias destruitur.

Item 1239. Moguntinensis ecclesia consecratur.

Item 1241. Polonia et Ungaria a Tartaris graviter plagantur; contra quos multi[a] cruce signantur. Eodem anno Sergii[b] et Bacchi[c1] sol patiebatur eclypsin.

Item 1242. Cives Moguntinenses execraverunt[d] clerum.

Item 1244. Clerici sunt quiritati[e].

Item 1245. Fredericus imperator destituitur in concilio Lugdunensi.

Item 1246. Lantgravius[2] in regem eligitur; et eodem anno triumphavit contra Conradum regem apud Frankenfuort[f].

Item 1247. Obiit lantgravius; et Wilhelmus comes Hollandiae eligitur in regem.

Item 1248. Aquensis civitas capitur.

Item 1249. Obiit Syfridus archiepiscopus Moguntinensis; cui successit Christianus[g], huius nominis secundus. Item castrum ex opposito oppidi Bopardiensis destruitur.

Item 1250. Obiit Fredericus imperator.

Item 1252. Christianus cessit ab episcopatu; et, mediante 1251
Hugone[3] legato, Gerhardus filius comitis Silvestris[4] substituitur.

Item 1254. Obiit rex Conradus. Civitates coniuraverunt et Ingelnheim destruxerunt.

Item 1255. Wilhelmus rex triumphavit contra Flemingos 1254
in die translationis beati[h] Martini[5].

Item 1256. Gerhardus archiepiscopus capitur a duce Brunoswichensi[i6]. Wilhelmus rex occiditur a Frisonibus. Regina[7] capitur a domino de Kyperch[k8]. Dux Bavariae[l9] occidit

a. multitudo *L.* b. Sergi *B.* c. Bachi *L.* d. excommunicaverunt *L.* e. q̂ntati *L.* f. Franckenvort *L.* g. Christianus *L.* h. sancti *L.* i. de Bruneswich *L.* k. Kyberch *L.* l. Bauwariae *L.*

1. Oct. 7. 2. Thuringiae, Heinricus Raspe. 3. de S. Charo, pr. card. tit. S. Sabinae. 4. Conradi. 5. Iul. 4. 6. Alberto I. 7. Elisabeth, ux. Wilhelmi regis, filia Ottonis I ducis Brunsvicensis. 8. ab Hermanno de Ritberg secundum Monachi Kirsgartensis chron. Wormat. ap. Ludewig Rel. manuscr. II 126. 9. Ludovicus II.

1257 uxorem suam[1]. Mense Ianuario Richardus comes Cornubiae et Alfonsus rex Castellae in discordia eliguntur.

Item 1273[a]. Ruodolfus[b] in regem eligitur Remigii[2].

1278 Item 1277. Circa Bartholomei[3] idem Rudolphus triumphavit contra regem Bohemiae[c4].

Item 1278. Comes Iuliacensis[5] cum 400 nobilibus 17 Kalendas Aprilis occiditur in civitate Aquensi.

Item 1268. Karolus[6], frater regis Franciae[7], decollavit Conradinum apud Neapolim[d].

Item 1282. Rychenstein et Saenecke[e] sunt destructa[8] mense Augusto.

Item 1285. 15 Kalendas[f] Maii ecclesia ad Gradus incendio est destructa.

Item 1283[g]. Quidam[9] venit Coloniam et Nussiam, asse-
1284 rens, se esse Fredericum imperatorem. Eodem anno Petrus[10] rex Arragonum[h] cepit principem[11], filium regis Karoli, cum[i] plus quam[k] duobus milibus; de quibus decollavit citra mille de Gallicis apud Neapolim[l] supra mare.

Item 1285. Nonis Iulii quidam, falso asserens se Fredericum imperatorem, comburitur a rege Ruodolfo apud Wetslariam[m]. Eodem anno rex Franciae[12] cum magno exercitu exivit contra dominum Petrum quondam regem Arragonum; et triumphavit idem Petrus contra ipsum regem, captis quam pluribus et occisis.

Item 1288. In die Bonifacii[13] dux Brabantiae[14], comes de Monte[15] et cives Colonienses triumphaverunt[n] contra Syfridum archiepiscopum Coloniensem apud Worneg[o], occisis ab utraque

a. 1278 *L.* b. Rudolfus *L.* c. Boemiae *L.* d. Neapoli *L.* e. Sainneke *L.* f. Kalendis *B,* 15 Kln. *L.* g. 1288 *L.* h. Arroganum *L.* i. *om. L.* k. cum *addit B.* l. Neapoli *L.* m. Wetzlar *L.* n. triumphaverunt — Coloniensem *om. B.* o. Wurñc *L.*

1. Mariam. 2. Oct. 1. 3. circ. Aug. 24. 4. Otacarum II. 5. Wilhelmus IV. 6. I rex Siciliae. 7. Ludovici IX. 8. a Rudolfo I rege. 9. Theodericus Holzschuoch. 10. III. 11. Carolum (postea II regem Siciliae). 12. Philippus III. 13. Iun. 5. 14. Iohannes I. 15. Adolfus VIII.

parte quam pluribus, ipso episcopo cum suis fere omnibus captivato.

Item 1287. Beatus Wernherus inventus est apud Bachoracum[a].

Item 1291[b]. Obiit Ruodolfus rex in divisione apostolorum[1]. Eodem anno in vigilia Prothi[c] et Iacincti[2] factus est terrae motus. Eodem anno 3 Nonas Aprilis Akaron a paganis est obsessa, et continuis impugnationibus 17 Kal. Iunii, occisis incolis, funditus est destructa.

Item 1293. Nonis Maii Adolfus comes Nassovae[d] in regem 1292
eligitur.

Item 1294. In inventione sancti Stephani[3] ante diem horribile tonitruum est auditum. Eodem anno in crastino Laurentii[4] ad vesperas[e] cecidit grando maxima[f].

Item 1298. In vigilia beati Iohannis baptistae[5] Gerhardus[6] archiepiscopus Moguntinensis, dux Saxoniae[7] et marchio Brandenbuorgensis Moguntiae in horto[g] ferarum deposuerunt de facto regem Adolphum[h], et substituerunt Albertum ducem Austriae. Eodem anno Processi et Martiniani[i][8] idem Albertus triumphavit contra eundem Adolfum. Et ipso Adolfo occiso, Ropertus comes eius filius et plures de suis sunt captivati, et multi occisi.

Item 1301. Moguntinensis, Treverensis[9] et Coloniensis[10] archiepiscopi et dux Bawariae[k][11] coniuraverunt. Quo cognito, Albertus praedictus cum magno exercitu invasit terram praedicti[l] ducis. Qua pro magna parte devastata, idem dux se reddidit gratiae dicti regis. Post haec rex accessit[m] ad terram episcopi Moguntinensis; ac devastatis multis munitionibus ipsius, profectus est Pinguiam[n], ubi communiones civitatum regi in

a. Betheracum *L.* b. 1281 *B.* c. Prochi *B,* Prothi *L.* d. Massoye *L.* e. v̄s *L.* f. magna sive maxima *B,* maxima *L.* g. orto *L.* h. Adulfum *L.* i. Martiani *B.* k. Bauwariae *L.* l. dicti *L.* m. processit *L.* n. Pynnguiam *L.*

1. Iul. 15. 2. Sept. 11. 3. Aug. 3. 4. Aug. 11. 5. Iun. 23. 6. II. 7. Albertus II. 8. Iul. 2. 9. Theodericus III. 10. Wicboldus. 11. Rudolfus I dux Bavariae super., com. pal. Rheni.

auxilium convenerunt. Et post paucos dies Pinguia[a] capta et devicta, ipse episcopus opidum Laynsteyn, Erenfels[b], Scharpenstein et Pinguiam cum castro Klop regi resignavit sub certis conditionibus, et sic se regis gratiae conformavit[c]. Rex vero[d], instante hyeme, exercitum remisit. Eodem anno rex Franciae[1] magnum exercitum misit contra Flemingos. Qui se et patriam defendentes, Domino annuente, triumphaverunt et de regis exercitu citra 17 milia occiderunt. Deinde idem rex, congregatis denuo aliis exercitibus, personaliter contra Flemingos venit; qui, fiducialiter acies suas contra dictum regem dirigentes, de suis adversariis ante et post in diversis[e] conflictibus plus quam 30 milia straverunt, ex ipsis etiam quam pluribus interfectis.

Item anno Domini 1302. Albertus rex contra archiepiscopos Coloniensem et Treverensem direxit expeditionem grandem. Et dum[f] invaderet et devastaret terram episcopi Coloniensis, ipse episcopus, datis quibusdam munitionibus, se regis gratiae conformavit[g]. Et exinde episcopus Treverensis similiter se regis gratiae conformavit[g]. Item eodem anno amarum et miserum[h] vinum crevit.

Item 1304. Nullum frigus compertum est per totam hyememem. Quam hyemem secuta est aestas sine omni pluvia et tantae siccitatis, quod ad fundum Renus et putei decreverunt. Et hoc anno crevit vinum tam nobile, quod vinum ignobile praeferebatur vino nobilium vinearum.

Item 1306. Clemens papa V praefecit[i] magistrum Petrum[2] physicum, quondam Basiliensem episcopum, in archiepiscopum Moguntinensem.

Item 1308. Albertus rex a consanguineis suis occisus est, pro eo quod[k] eos terris suis et munitionibus exhereditaverat et in nihilum redegit. De cuius morte nec planctus nec dolor habitus, pro eo quod clerum odivit nec in eo virtus vel iustitia

a. Pyngua *L.* b. Erenvels *L.* c. confirmavit *B,* conformavit *L.* d. ergo *L.* e. divisis *B.* f. cum *L.* g. *sic B et L.* h. misere *L.* i. perfecit *L.* k. ipse *add. L.*

1. Philippus IV. 2. Petrum II ep. Basileensem.

inventa extitit aliqualis. Eodem anno Heinricus comes Lutzelnbuorgensis[a] ab omnibus principibus in regem concorditer est electus, et anno Domini 1309 in die epiphaniae Domini[1] apud Aquis est honorifice coronatus. 1309

a. comes de Luzzelnburg *L.*

1. Ian. 6.

INSCRIPTIONES ECCLESIAE S. ALBANI.

Qui tituli legebantur in Moguntina S. Albani ecclesia, anno 1552 flammis consumpta, eos Iohannes Hebelinus de Heymbach iam circiter anno 1500 admiscuit historiae suae Moguntinae[1], *quam in codice bibliothecae Wirziburgensis ms. fol. 187 inesse supra p. 520 indicavi. Sunt iterum alia manu collocati tituli in eiusdem codicis fol. 148 et 149. Aliunde vero transiisse videntur in Latomi catalogum archiepiscoporum Moguntinensium exeunte saeculo XVI conscriptum, quem edidit Menckenius in Scriptorum rer. Germ. tomo III 407 squ., et in Serarii Moguntiacarum rerum libros V, Moguntiae 1604. Quae omnia subsidia ad hanc editionem parandam admovi*[2].

Berolini 6 Kal. Apriles a. 1866.

1. „Exstant" inquit Hebelinus in cod. Wirzib. (ms. fol. 187) f. 136: „in ea (ecclesia S. Albani) hodie aliqua antiquitatis insignia, e quibus nostris temporibus sequentia insculpta lapidibus epigrammata visuntur". 2. In codice Wirziburgensi leguntur quoque bis fol. 136 et 148 Fastradae Karoli M. uxoris a. 794 mortuae et in ecclesia S. Albani sepultae elogia duo, quorum alterum a Theodulfo episcopo Aurelianensi scriptum esse scimus (v. Theodulfi opp. ed. Sirmondus p. 179, carminum L. II 11):

Inclyta Fastradae[a] reginae[b] hic membra quiescunt,
de medio quam mors frigida[c] flore tulit;
nobilis ipsa viri thalamo coniuncta potentis[d],
sed modo caelesti nobilior thalamo.
Pars animae[e] melior Carolus rex ipse remansit;
cui tradat mitis tempora larga[f] Deus.

a. Fastradane *cod. Wirz. f.* 136. b. *om. cod. Wirz.* c. reigida *cod. Wirz.* d. nobilis ipsa viro coniuncta et iure potenti *cod. Wirz.* e. illi *cod. Wirz.* f. longa *cod. Wirz.*

1. *De condita ecclesia S. Albani*[a][1].

Antistes humilis Riculf[b] hanc condidit aulam, 786—805
martiris Albani nomine namque sacram;
hanc quoque fulgenti iussit vestire metallo,
cum titulis aram cumque decore sacro;
perpetuam huius mercedem, Christe, laboris
Albani precibus cui, rogo, redde pie.

---

2. *De Riculfo*[c].

Te precor ex tumulo, frater, qui summa sepulchri 813
conspicis hic[d] gelida, quod mea membra tegit:
ut timeas, tractans cunctorum fata[e] virorum,
quodque fui quondam, quidve[f] futurus eris.
Antistes fueram famosus[g] nomine Riculf[h],
inclitus officio regis in aede fui;
hic modo me[i] parvo conclaudit[k] cespite tellus,
septus humo gelida, pulvere, verme voror[l].

a. *ex cod. Wirz.*, 1. *fol.* 136, 2. *fol.* 148*v. Ediderunt Latomus ap. Menckenium III* 455, *Serarius p.* 615. b. Richolf 1, Riculff 2, *Lat.;* Riculf *Ser.* c. *ex cod. Wirz.* 1. *fol.* 144, 2. *fol.* 148. *Ediderunt Latomus ap. Menckenium III* 456, *Serarius p.* 616 *et Scherer (in Haupt Zeitschrift für deutsches Alterthum XII* 443*) ex cod. saec. IX quondam Weissenburgensi* 91 *hodie Guelferbytano fol.* 126*v.* d. haec *Lat.* e. vata *cod. Weissenburg.* f. quodque 1, *Lat., Serar.* g. fumosus 1, 2. h. Riculf *cod. Weissenburg.,* Richolf 1, Richolfi 2. i. me *om.* 1, 2. k. concludit *Lat., Serar.* l. vorare 1, 2, foetet *Lat.*

Alterum eiusdem reginae elogium aetate inferius, quod reperitur etiam in Latomi catalogo l. l. p. 455, hoc est:

Fastradana pia Caroli coniunx vocitata[a],
Christo dilecta, iacet hoc sub marmore tecta
anno septingentesimo nonagesimo quarto;
quem numerum metro claudere Musa negat.
Rex pie, quod[b] gessit, corpus[c] licet[d] hic cinerescit,
spiritus heres sit patrie, que tristia nescit.

1. In ecclesia S. Albani fuit secundum cod. Wirziburg. fol. 136 et 148*v* et secundum Serarium (Moguntiacarum rerum libri quinque p. 614) etiam haec inscriptio: „Ecclesia haec est consecrata in honore sancti salvatoris domini nostri Iesu Christi Kal. Decembris anno incarnationis ipsius 805 indictione 13“.

a. vocidata *cod. Wirz.* b. quem *cod. Wirz.*, quae *Lat.* c. virgo *cod. Wirz.*, corpus *Lat.* d. *om. Lat.*

813 Nunc[a] scio: pompiferi[b] quod vana est[c] gloria mundi,
quique[d] futura cupit, spe meliora[e] manet.
Inde precor titulum fratres[f] hunc quosque[g] legentes[h],
Riculfo[i] ut[k] dicant *det requiem Dominus,*
lux ubi, vita[l], *salus, virtus sine fine manebit*[m]
premia perpetua, quae paradisus habet.

---

3. *De Haistulfo*[n].

826 Qui intrastis templum, precibus qui implestis et ora[o],
discere non pigeat, quis tumulo hoc iaceat[p].
Praesulis Haistulfi[q] sita sunt hoc membra sepulcro,
pontificale[r] suum[s] qui bene gessit[t] opus[u],
bis senis urbem hanc pastor qui rexerat annis,
dogma et apostolicum protulit ore, manu[v].
Iustitiae custos, rectus patiensque, benignus,
fidus in eloquiis et[w] pietate placens,
Lulli discipulus, successor rite Riculfi[x],
ambobus[y] meritis non minor iste fuit.
Quis te, sancte pater, cum Christo nesciat esse?
splendida quem[z] tecum vita fuisse probat.

---

4. *De Otgario*[a].

847 Qui intrasti templum pronusque[b] hanc sistis ad aram[c],
non spernas lector hunc titulum legere;

a. Nunc *cod. Weissenburg.,* Hoc 1, 2 *et Serar.* b. pomiferi *cod. Weissenb.* c. *om. cod. Weiss.* d. quique *scripsi pro* quisquis 1, quisque 2, *Lat., Serar., cod. Weissenb.* e. meliore 1, 2, *Serar.,* meliora *cod. Weissenb.,* meliori *Lat.* f. fratres titulum 1, 2. g. quoque 1, 2. h. legē *cod. Weissenb.* i. Richolffo 1, 2, *Serar.;* Riculfo *cod. Weissenb.* k. *om. Lat.* l. una *Lat.* m. manet *cod. Weissenb.* n. *Ex cod. Wirzib.* 1. *fol.* 144*v,* 2. *fol.* 148*v. Ediderunt Brower Hrabani poemata p.* 89, *Latomus ap. Menckenium III* 457, *Serarius p.* 619. o. implesti decora 2. p. inerat *corr. in* lateat 1; lateat 2, *Lat., Serar.;* iaceat *Brower.* q. Haistulphi *Serar.* r. pontificali 1, 2. s. sacrum 1, 2, *Lat., Serar.;* suum *Brower.* t. gesserat 1, 2. u. onis 1, ovans 2, onus *Lat., Serar.;* opus *Brower.* v. sacro *corr. in* manu 1, sacro 2, *Lat., Serar.;* manu *Brower.* w. et *om.* 1. x. Richulffi 1, Riculfo 2, Richolffi *Serar.,* Riculphi *Brower,* Richulphi *Lat.* y. amborum *Lat.* z. que 1. a. *Ex cod. Wirzib.* 1. *fol.* 145, 2. *fol.* 148. *Ediderunt Brower Hrabani poemata p.* 89, *Latomus ap. Menckenium III* 459, *Serarius p.* 623. b. pronus q 1, pronus qui 2, *Brower,* pronusque *Lat., Serar.* c. suspicis aram *Lat.*

nam[a] hic[b] tibi[c] mox pandit, tumulus sit cuius, et istic[d] 847
Otgarii nomen factaque clara dabit.
Pectore sub cuius regnans[e] patientia victrix,
fluctibus in tantis anchora fixa fuit.
Felle carens, animo placidus, dulcedine pastus,
praesulis officium rite peregit ovans.
Quatuor hic lustra binos complevit et annos;
moxque, urgente[f] die, raptus ab orbe[g] fuit.
Hunc meliore via credo[h] ad caelestia vectum,
non premit urna rogi, sed tenet aula poli.
Rex regum Christus, huic laetus[i] semper adesto;
et nobis clemens sis[k] sine fine, Deus.

---

5. *De Karolo*[l].

Quis lateat tumulo quisquis miraris in isto, 863
nolo mireris tu, qui[m] pulvis eris.
Sic equidem dura mors exercet sua iura,
ut nulli parcat, parcere nec valeat;
est testis Karolus[n], regali semine natus,
praesul magnificus, vermibus esca datus.
Sed legi[o] fragilis quia[p] parent[q] omnia carnis,
dic animae perpes ut maneat requies.

---

6. *De Liutberto*[r].

. . . . 889
Largus erat multum, patiens, humilisque, benignus,
omnibus exemplum in bonitate manens;
Hyster[s] qua fluitat, currit Renusque bicornis[t],

a. nam *om. Serar.* b. hic *om. Lat.* c. mox tī 1, tī mox 2, tibi mox *Brower, Lat., Serar.* d. istis *Serar.* e. regnas 1. f. oriente 1, urguente 2, *Brower,* urgente *Lat., Serar.* g. urbe 1. h. crede *Lat.* i. lectus 1. k. sit *Lat.* l. *Ex cod. Wirzib. fol.* 149. *Ediderunt Latomus p.* 462, *Serarius p.* 654. m. quia *Lat.,* quoque *Serar.* n. Carolus *Lat., Serar.* o. lege *cod. Wirzib.,* legi *Lat.,* lector *Serar.* p. qui *cod. Wirz.;* quia *Lat., Serar.* q. paret *cod. Wirz.;* parent *Lat.,* putrent *Serar.* r. *Ex cod. Wirziburg. fol.* 149*b. Ediderunt Latomus p.* 464, *Serarius p.* 666. s. Hyster *cod. Wirz.,* Hister *Lat.,* Ister *Serar.* t. bicornus *cod. Wirz.*

889 litterulis doctis doctior[a] ille fuit.

. . . .

---

7. *De Syndroldo*[b].

891 Quae[c] maneat merces, nosti, qui cuncta coherces,
qui servire tibi vel meruere mori.
Constat, quid valeant[d], qui nunc virtute coruscant[d],
sicut qui modico clauditur hoc tumulo,
praesul magnificus, Syndroldus[e] nomine dictus,
vitae mandatis notus ubique fatis[f].
Tali pastore, tali Maguncia[g] prole
mater eras[h] felix, es quoque nunc, et eris.
Pro te proque Deo sacrato sanguine fuso,
consors est[i] coeli[k]. Sic[l] memor esse velis[m].

---

8. *De Friderico*[n].

954 Cum constet vere, nihil[o] ortum fine carere,
semper homo timeas ultima[p]; ne pereas.
Gloria, nobilitas, species[q] cum laude, potestas
sunt tenuis fumus; nos quoque terra[r] sumus.
De qua progeniti, dum debita solvimus illi,
dic, ubi sunt vitae gloria, divitiae?
Praesulis eximii quis non novit Friderici[s]
dignum laude genus et[t] pietatis opus;
sed qui tantus erat, ubi sit, si quis modo quaerat,
nosti, qui tribuis vivere, Christe, tuis.

a. doctor *cod. Wirz.*, doctor et *Lat., Serar.* b. *Ex cod. Wirzib. fol.* 150. *Ediderunt Latomus p.* 464, *Serarius p.* 668. c. Quae maneat — meruere mori *om. Serar.* d. valeat — coruscat *cod. Wirz.*, valeant — coruscant *Lat., Serar.* e. Syndroldus *cod. Wirz.*, Sunderholdus *Lat.*, Sindroldus *Serar.* f. fatis *cod. Wirz.*, satis *Lat., Serar.* g. Moguntia *Lat.*, Magoncia *Serar.* h. eius *cod. Wirz., Serar.*; eras *Lat.* i. consors est *scripsi pro* consortem *cod. Wirz., Lat.*; consors es *Serar.* k. coeli *scripsi pro* coelis *cod. Wirz., Lat., Serar.* l. Si *cod. Wirz., Serar.*; Sic *Lat.* m. fidelis *cod. Wirz.*, velis *Lat., Serar.* n. *Ex cod. Wirziburg. fol.* 152. *Ediderunt Latomus p.* 473, *Serarius p.* 685. o. nil *Lat.* p. ultimo *Lat., Serar.* q. spes *cod. Wirz.* r. nosque terrea *cod. Wirz.* s. Frederici *cod. Wirz.* t. ac *Lat.*

Hunc[a] quoque, defunctis qui das[b] sua praemia cunctis, 954
vera salus mundi, da gregis esse tui.

---

9. *De Liudolfo duce Sueviae*[c][1].

Siste viator iter[d]; per[e] me tu gnoti seauton[f]. 957
Nam quod es, hoc fueram; quod sum nunc, et eris[g].
Non mihi Liudolfo[h] totus[i] suffecerat[k] orbis,
nunc[l] specus hoc cineri sufficit hocque[m] sat est.
Hinc[n] ut is eternam requiem mihi det rogo dicas,
omnia qui fecit meque vehi[o] voluit.

---

10. *De Wilhelmo*[p].

Lector, siste gradus, proprios horresce reatus, 968
et commortalis[q] compatiare neci.
Rege fui genitus, sublimis episcopus auctus[r]
nomine Wilhelmus; nunc cinis[s] exiguus.
Dic *anime requiem da* cuius, *Christe, perennem*
et tecum vivere, in te quia[t] *crediderat.*

---

11. *De Hattone II*[u].

Pontificem summum[v] Hattonem[w] cerne sepultum, 970
quisquis rimandas conspicis in litteras[x].

a. Hunc *scripsi pro* Nunc *cod. Wirz., Lat., Serar.* b. dat *Lat.* c. *Ex cod. Wirzib.,* 1. *fol.* 148, 2. *fol.* 152. *Edidit Latomus ap. Menckenium III* 475. d. tunc 1. e. pro 1. f. gnotice ayron 1, gnotico aycon 2, γνῶθι σεαυτόν *Lat.* g. quod sum ego nunc, eris ipse *Lat.* h. Luthulfo 2, Ludolpho *Lat.* i. tot 2. k. sufficerat 1, 2, suffecerit *Lat.* l. hunc 1, nunc 2. m. hocque *scripsi pro* hic q̄ 1, hic qui 2, hoc quoque *Lat.* n. Hinc — voluit *om. Lat.* o. vehi *scripsi pro* velut 1, vehit 2. p. *Ex cod. Wirzib.,* 1. *fol.* 148, 2. *fol.* 152. *Ediderunt Latomus p.* 475, *Serarius p.* 689. q. commortali 1, cum mortali 2, *Lat.,* commortalis *Serar.* r. actus 1. s. imis *Lat.* t. Et tecum vivere, in te quia 1, 2, Et tecum vivat, te quia *Lat.,* Vivere fac tecum, qui tibi *Serar.* u. *Ex cod. Wirzib.,* 1. *fol.* 148, 2. *fol.* 153. *Ediderunt Latomus p.* 469, *Serarius p.* 695. v. hic *addidit Lat.* w. Haithonem 1. x. Quisquis mundanis vivis adhuc tenebris *Lat.*

1. Liudolfum ducem Sueviae, Ottonis I regis filium, in Moguntina S. Albani ecclesia conditum esse, plures tradiderunt. V. Stälin Wirtembergische Geschichte I 452 n. 6.

Rursus doctorum pater extiterat monachorum.
Fulde coenobii . . . .
Eius[a] dic *animae miserere, piissime Christe,*
ut[b] *vita*[c] *vigeat et requie maneat.*

a. Cuius *Lat.* b. Sic *Lat.* ut — maneat *om.* 1. c. vitae *Lat.*

NECROLOGIUM ECCLESIAE MOGUNTINAE.

Ex veteri Rabani martyrologio membranaceo, Moguntiae ab Hahnio rectore collegii societatis Iesu suppeditato, necrologium hoc anno 1723 primus vulgavit Iohannes Fridericus Schannat Vind. lit. I 1—4; cuius editio non sine praetermissionibus iterata est anno 1853 a Boehmero Font. III 141—143. Equidem, cum in eadem Schannatii editione necessario me continerem, id commoditatis afferendum lectori censui, ut non modo in margine et personae et anni quoad facultas ferret definirentur, sed quaecunque etiam certis annis attribui possent, ea separatim quoque haberentur per annorum ordinem composita, hoc modo:

638. 14 Kal. Febr. Dagabertus I rex Francorum.
813. 5 Id. Aug. Richolfus archiepiscopus Moguntinus.
847. 11 Kal. Mai. Otkarius archiepiscopus Moguntinus.
856. 4 Non. Febr. Rabanus archiepiscopus Moguntinus.
863. Non. Iun. Karolus archiepiscopus Moguntinus.
891. 4 Kal. Iul. Sanctus Sunderoldus archiepiscopus Moguntinus et martyr.
955. 4 Id. Aug. Cunradus dux Lotharingiae.
968. Kal. Mart. Willehelmus archiepiscopus Moguntinus.
970. 15 Kal. Febr. Hatto II archiepiscopus Moguntinus.
975. Id. Ian. Rubertus archiepiscopus Moguntinus.
1004. 2 Non. Nov. Otto dux Carinthiae.
1011. 7 Kal. Mart. Willigisus archiepiscopus Moguntinus.
1015. 8 Kal. Ian. Megingoz archiepiscopus Trevirensis.
1021. 16 Kal. Sept. Erchinboldus archiepiscopus Moguntinus.
1022. 14 Kal. Iul. Thietmarus episcopus Osnabrugensis.
1024. 3 Id. Iul. Heinricus II imperator.
1031. 8 Id. Apr. Domnus Aribo episcopus Moguntinus.
1034. 6 Kal. Iul. Thietmarus I episcopus Verdensis.
1036. 4 Id. Dec. Gozmarus episcopus Osnabrugensis.
1039. 2 Non. Iun. Kunradus II imperator.

1043. 15 Kal. Mart. Gisla imperatrix.
1047. 3 Kal. Dec. Rogingus abbas Fuldensis.
1051. 4 Id. Iun. Domnus Bardo episcopus Moguntinus.
1056. 3 Non. Oct. Heinricus III imperator.
1059. 7 Id. Dec. Luboldus archiepiscopus Moguntinus.
1069. 2 Id. Iul. Udo episcopus Tullensis.
9 Kal. Ian. Godefridus Barbatus dux Lotharingiae.
1075. 2 Non. Dec. Anno archiepiscopus Coloniensis.
1077. 3 Kal. Aug. Embricho episcopus Augustensis.
19 Kal. Ian. Agnes imperatrix.
1082? 11 Kal. Ian. Marianus inclusus.
1084. 14 Kal. Mart. Sigifridus I archiepiscopus Moguntinus.
1088. 12 Kal. Iul. Meginhard II episcopus Wirciburgensis.
6 Kal. Aug. Benno II episcopus Osenburgensis.
8 Id. Aug. Wecelo archiepiscopus Moguntinus.
1099. 18 Kal. Mai. Cunradus I episcopus Traiectensis.
1104. 5 Kal. Nov. Iohannes I episcopus Spirensis.
1109. 6 Non. Mai. Rutardus archiepiscopus Moguntinus.
3 Id. Iul. Ioannes I episcopus Osenburiensis.
1119. 5 Id. Iun. Adelgoz archiepiscopus Magdeburgensis.
1156. 12 Kal. Oct. Hermannus comes palatinus Rheni.

Apparet autem ex hoc rerum conspectu, maxime undecimi saeculi memorias in hunc mortuorum libellum relatas esse paucaque tantum saeculi XII additamenta accessisse[1].

Berolini 10 Kal. Apriles a. 1866.

IANUARIUS.

975 Id. Ian. Rubertus archiepiscopus. Moguntinus
19 K. Feb. Ruthardus presbyter et decanus.
Dammo presbyter.
18 K. Feb. Hazecho presbyter et decanus.
Benno conversus.
Rubertus praepositus.
970 15 K. Feb. Hatto archiepiscopus. II Moguntinus

1. Affirmat quidem Schannatius, omnes memorias „primaria manu adscriptas esse", praeter paucas astericis a sese notatas. Sed ex iis, quae supra leguntur, quinque tantum notae signum illud habent apud Schannatium, et eae quidem, quas ad annos 1082?, 1099, 1109, 1119 apposui. Neque vereor, ne omnes, quos promisit editor, sint asterisci additi. Quo fit, ut ex solis stellulis Schannatianis non putem perspici posse, ille necrologii codex utrum saeculo XI an saec. XII scribi coeptus sit.

14 K. Feb.	Dagabertus rex.	I rex Francorum	638
	Guta cometissa; panem et carnem de Memelingen.		
12 K. Feb.	Racechinus presbyter.		
	Adalbirin laicus; 5 solidos de Clophem.		
11 K. Feb.	Imiza laica; 10 solidos de duobus aedificiis.		
8 K. Feb.	Gezman laicus et uxor eius Waldrat; 5 solidos.		
	Chuniza laica de Badahim.		
7 K. Feb.	Arnold laicus 5 solidos de orto uno.		
5 K. Feb.	Gebo custos et diaconus; 5 solidos de Hibingen.		
4 K. Feb.	Rudolfus comes; 8 mansos in Docesheim, 6 solidi inde dantur.		

FEBRUARIUS.

K. Feb.	Razo praepositus.		
4 N. Feb.	Rabanus archiepiscopus[a].	Moguntinus	856
3 N. Feb.	Arnoldus diaconus et custos.		
	Herimannus diaconus; 5 solidos de curte sua.		
8 Id. Feb.	Ruthardus diaconus; panem et carnem et vinum, sicut singulis Idibus intrantibus, de Brizeheim.		
Id. Feb.	Embricho puer et can.		
15 K. Mart.	Gisla imperatrix.	ux. Conradi II	1043
14 K. Mart.	Sigifridus archiepiscopus; in Larecho 1 libram et carradam vini, et libram 1 in Ulmeno.	I Moguntinus	1084
13 K. Mart.	Martinus presbyter.		
8 K. Mart.	Waltherus praepositus.		
7 K. Mart.	Willigisus archiepiscopus; 10 solidos de camera fratrum.	Moguntinus	1011
5 K. Mart.	Egilolfus praepositus et diaconus.		
4 K. Mart.	Sigeboto comes; 5 solidos Darmundestat.		

a. Razo praepositus, Rabanus archiepiscopus *scripsi pro* Razo archipraepositus, Rabanus episcopus *ed.*

4 K. Mart. Rudingus diaconus; 5 solidos in Willere.

MARTIUS.

968 K. Mart. Willehelmus archiepiscopus. Moguntinus

2 N. Mart. Adalbertus Wormaciensis ecclesiae canonicus.

8 Id. Mart. Wacelinus praepositus.
Bezecha laica; 8 uncias.
Guta; 10 solidos Sterlebach.

7 Id. Mart. Macelinus[a] Wirceburgensis episcopus. ?
Richlint; 8 mansos Sterceleshcim.

6 Id. Mart. Humbertus archipresbyter; 5 solidos Ibingunt.

5 Id. Mart. Humbertus diaconus et praepositus.
Bezelinus decanus; 5 solidos in Ciluvesheim.

16 K. Apr. Turimbertus magister et praepositus.
Bizecha laica; 5 solidos.

13 K. Apr. Gebeno comes; solidos[a] Wanesheim.

12 K. Apr. Sigeboto monachus S. Albani.

9 K. Apr. Odas presbyter et decanus; 5 solidos in Lorecho.
Rutardus presbyter. Ebnandus magister.

APRILIS.

1031 8 Id. Apr. Domnus Aribo episcopus; 30 solidos de camera fratrum. Moguntinus

Id. Apr. Berwardus diaconus et praepositus; 2 carradas vini in monte Zedal, quod est iuxta Bingam.

1099 18 K. Mai. Cunradus episcopus. I Traiectensis

847 11 K. Mai. Otkarius[b] archiepiscopus. Moguntinus
Gunzelinus presbyter et praepositus.

9 K. Mai. Regizo presbyter et praepositus.

6 K. Mai. Richolfus monachus S. Albani.

a. *sic.* b. Ockarius *ed.*

MAIUS.

6 N. Mai.	Rutardus archiepiscopus.	Moguntinus	1109
	Recebinus et uxor eius.		
8 Id. Mai.	Embricho diaconus et cantor; panem et carnem et vinum.		
	Ludewicus comes.		
7 Id. Mai.	Burchardus praepositus et diaconus.		
13 K. Iun.	Rubertus, maritus Richlindae; panis et caro et vinum de Sterceleheim.		

IUNIUS.

4 N. Iun.	Bubo praepositus.		
2 N. Iun.	Kunradus imperator[a].	II	1039
N. Iun.	Karolus archiepiscopus.	Moguntinus	863
7 Id. Iun.	Brusinc comes; 10 solidos Gumondesheim.		
5 Id. Iun.	Adelgoz archiepiscopus.	Magdeburgensis	1119
4 Id. Iun.	Domnus Bardo episcopus; 5 solidos et refect. Biscohesheim.	Moguntinus	1051
17 K. Iul.	Regela laica; 5 solidos de curte una iuxta Sanctum Mauritium.		
15 K. Iul.	Dacmarus comes; 3 talenta et 10 solidos Mimilingin, et panem et carnem.		
14 K. Iul.	Thietmarus episcopus.	Osnabrugensis	1022
13 K. Iul.	Wibertus felicis memoriae; 3 libras Munzecho.		
12 K. Iul.	Meginhard episcopus Wirciburgensis.	II	1088
11 K. Iul.	Drocmarus decanus.		
	Ozelinus laicus de Logenestain; 4 carradas vini.		
10 K. Iul.	Sigefridus comes; pro cuius anima dati sunt fratribus S. Martini 4 mansi et 8 mancipia et vinea una in Asgeberc.		
	Heremannus episcopus[1]; 10 solidos Scornesheim.		
9 K. Iul.	Embricho presbyter et praepositus.		

a. Kunradus et Karolus imperatores *ed.*
1. an Heremannus I ep. Bambergensis, qui a. 1084 obiit?

1034	6 K. Iul.	Thietmarus episcopus.	I Verdensis
891	4 K. Iul.	Sanctus Sunderoldus archiepiscopus et martir.	Moguntinus

IULIUS.

	3 N. Iul.	Ekkartus miles; 2 mansos dedit.	
1024	3 Id. Iul.	Heinricus imperator.	II
1109		Ioannes Osenburiensis episcopus.	I
	2[a] Id. Iul.	Ruobbertus praepositus et Adalbero primicerius et	
1069		Udo episcopus.	Tullensis
1088	6 K. Aug.	Benno episcopus Osenburgensis.	II
1077	3 K. Aug.	Embricho episcopus; libram 1 Swaberode.	Augustensis

AUGUSTUS.

1088	8 Id. Aug.	Wecelo archiepiscopus Moguntinus; 3 libras.	
		Wecelo et Gebehardus abbates.	
813	5 Id. Aug.	Richolfus archiepiscopus.	Moguntinus
955	4 Id. Aug.	Cunradus dux.	Lotharingiae
	Id. Aug.	Salemannus acolytus; 10 solidos de vinea iuxta S. Margaretam.	
	17 K. Sept.	Hacechinus diaconus et praepositus; panis, caro et mensura vini; tantundem singulis Kalendis intrantibus, Scornesheim.	
1021	16 K. Sept.	Erchinboldus archiepiscopus.	Moguntinus
	14 K. Sept.	Embricho conversus et monachus S. Albani.	
	12 K. Sept.	Ebo praepositus et diaconus.	
	5 K. Sept.	Rubertus episcopus.	
	4 K. Sept.	Rudelo praepositus.	

SEPTEMBER.

	7 Id. Sept.	Humbertus episcopus.	
	6 Id. Sept.	Drubertus presbyter et praepositus; 4 uncias de curte sua.	

a. 2 *scripsi pro* III *ed.*

4 Id. Sept.	Hazecha laica; panis et vinum et caro et libram 1 denariorum in Souvilenheim.		
18 K. Oct.	Rutardus laicus, uxor eius Birina et pater eius Gotebolt et mater eius Regila; pro quorum memoria dantur fratribus unciae 4 Clopheim.		
14 K. Oct.	Thiemo praepositus.		
12 K. Oct.	Hermannus comes palatinus; 4 libras Stedin.	Rheni	1156
11 K. Oct.	Regezo diaconus et praepositus S. Mariae.		
9 K. Oct.	Ebbo presbyter et decanus.		
6 K. Oct.	Ebernandus piae memoriae dignus.		
4 K. Oct.	Gunzwinus praepositus S. Mariae et magister scolarum S. Martini.		

OCTOBER.

5 N. Oct.	Heriman et Huogozo presbyteri et praepositi.		
3 N. Oct.	Heinricus imperator.	III	1056
2 N. Oct.	Godeboldus diaconus et praepositus S. Martini.		
	Wigo presbyter et praepositus S. Mariae.		
7 Id. Oct.	Humbertus abbas; 5 solidos de Ibingun.		
5 Id. Oct.	Ruthardus praepositus bonae memoriae; de Binga 5 solidos.		
15 K. Nov.	Hugizo praepositus.		
5 K. Nov.	Iohannes Spirensis episcopus.	I	1104

NOVEMBER.

2 N. Nov.	Otto dux; panis et caro Assebach.	Carinthiae	1004
	Ello miles; 5 unciae Hedenendale.		
4 Id. Nov.	Wolcholdus decanus et praepositus.		
2 Id. Nov.	Hezelinus praepositus.		
15 K. Dec.	Wicel praepositus.		
7 K. Dec.	Chunradus diaconus et praepositus.		

1047 3 K. Dec. Rogingus abbas Fuldensis;
5 solidos Bomeresheim.

DECEMBER.

1075 2 N. Dec. Anno archiepiscopus. Coloniensis

8 Id. Dec. Robertus diaconus et decanus[a].

1059 7 Id. Dec. Luboldus archiepiscopus; Moguntinus
2 libras Godeloc et vineas Dinenheim.

1036 4 Id. Dec. Gozmarus episcopus. Osnabrugensis
Bezelo praepositus et diaconus; 11 libras Gisenheim.

2 Id. Dec. Udo comes; 10 uncias de Nache, 4 Daleheim.

1077 19 K. Ian. Agnes imperatrix; ux. Heinrici III
refect. Walehestat.

17 K. Ian. Gotescalc comes.

12 K. Ian. Lanzo presbyter et praepositus.

11 K. Ian. Arnolt presbyter et praepositus.

1082? Marianus inclusus.

1069 9 K. Ian. Godefridus dux; Lotharingiae
5 solidos Udenhagin.

1015 8 K. Ian. Megingoz archiepiscopus[1]. Trevirensis

a. *sic; an* diaconus et praepositus?

1. Sequitur epistola haec: „Venerabili et dilectissimo viro A. sanctae Moguntinae ecclesiae praeposito caeterisque dilectissimis confratribus nostris eiusdem ecclesiae canonicis F. P. D. . . . fratrum servus indignus, sanctorum Dei societatem promereri. Noveritis, fratres carissimi, venerabilem confratrem vestrum ac nostrum, dominum R. ecclesiae vestrae cantorem, a clementissimo domino augusto ad partes nostras nuper transmissum, ad nos usque feliciter pervenisse et ex parte vestra salutationem iocundissimam nobis reverentur obtulisse. Quae res, fateor, animum nostrum plurimum laetificavit et in vestri dilectionem satis quidem excitavit. Quapropter, sicut per illum postulastis, pristini foederis amicitiam, inter venerabilis memoriae patrem et praedecessorem nostrum et vos habitam, renovare ac confirmare cupientes, quicquid ipse vobis concessit, nos ex parte Dei et sanctae Mariae beatorumque apostolorum Petri et Pauli vobis concedimus; constituentes vos participes et collegas beneficiorum nostrorum et nostrae congregationis. Et id ipsum a vobis in caritate poscimus. Praeterea, ut vestrae caritatis puritatem plenius agnoscamus, precamur: ut crucem, quam bonae memoriae dominus E., vestrae olim praepositus ecclesiae, ex nimia dilectione quam erga nos habebat nobis de eleemosina sua destinavit, per fidelem nostrum, presentem latorem, nobis transmittere curetis. Cuius depositionis diem, in cartula annotatum, pariter nobis transmitti volumus; pro tanto beneficio congruam animae defuncti fratris mercedem cupientes restituere“.

INITIA EPISTOLARUM
HUIUS TOMI.

INDEX
RERUM MEMORABILIUM.

CORRIGENDA.

p. 200 n. 1 *pro:* 740—762 *scribe:* 740—758.
p. 347 n. 6 *pro:* v. supra n. 3 *scribe:* v. supra n. 4.
p. 531 n. 5 *pro:* Anno Domini 1114 *scribe:* Anno Domini 1014.
p. 551 v. 15 *pro:* Adeldvile *scribe:* ad Eldvile.

Berolini apud Weidmannos (J. Reimer).

Typis Gustavi Schade, Berolinensis.